IHS

73
E
5

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
26 0
20

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
55
10 B
1

12
25
B
11.

15
6
41

Horæ ſucceſſiuæ,

Id eſt:

SIMONIS MAIOLI
EPISCOPI VVLTVARIENSIS,
AD DIERVM CANICVLARIVM imitationem,

QVINQVE COLLOQVIA
IOCOSERIA LECTV ET PERiucunda & perutilia,

Quippe non ad occultarum rerum tantum notitiam comparandam, ſed etiam ad prudentiam & morum honeſtatem formandam egregie inſtituta & compoſita:

Opera & labore M. GEORGII DRAVD.

CVM INDICE.

Francofurti, impenſis Ioh. Godofridi Schönvvetteri.
M. DC. XIX.

Damnatus Autor sub [illegible] nomine Maioli

Coll. Rom. Soc. Jesu.

AD LECTOREM.

ADmonendus per me es cumprimis Lector, vt ſi qua fortaſſis, quorundam opinione, ab vno alterutrove collocutorū nimis duriter dicta videantur, tu ſepoſitis ſiniſtris iſtiuſmodi opinionibus, abſque ſuperciliοſo præiudicio omnia legas atque diiudices, & quemlibet ſuorum, vel aliorum etiam quæ ſuo inſtituto accommodat, verborum eſſe interpretem memineris. Proinde ſerius ſis licet cenſor, non tamen eſto admodum ſeuerus. Semper ego in hoc operoſe laboraui, vt ne quam cui inferrem noxam. Sane magnos ſæpenumero viros literis ſuis abuſos, ad effectus ſuos digerendos nouimus, dum alius adulatur iis quos captat, alius iniuria laceſſitus ſtylo referit, alius ipſe ſui tibicen eſt, & in efferendis propriis laudibus quemuis Thraſonem ſuperat. Ego quamuis ingenio tenui & perquam exigua doctrina præditus, tamen huc ſemper ſpectaui, vt ſi poſſem, prodeſſem, ſin minus ne quem lædere. Sane ſemper fere hic eruditis mos fuit, quicquid dolet aut delectat, chartis ceu fidis ſodalibus committere, in harum ſinum omnes

pectoris

pectoris æſtus effundere. Imo deprehēdas quoſdam non alio conſilio libros ſcribendos ſuſcipere, quam vt in his obiter animi ſui motus inſulciant, atque hac ratione tranſmittant in poſteros. At ego nullius denigrare famam nec vel leuiſſimam labem cuiquam aſpergere, in tot iam à me editis voluminibus ſiue tractatibus, ſummopere vbiuis ſtudui. Quid enim aliis cum priuatis meis affectibus? Aut cur carbone notarem, cui ſuum candorem, etiamſi promereatur, non poſſim reſtituere. Malo in hanc peccare partem, vt vel parum meritos prędicem, quam vt meritos vituperem. Summa meæ intētionis iſthæc eſt: Nullus eſt mihi tam inimicus, quem nō optem, ſi fieri poſſit, in amicum redire. Candide ergo & abſq; præiudicio, quum præiudicia tollant iudicia, vt hæc legas & feliciter his vtrobique fruaris, precor & comprecor. Dabunturque alii Tomi in proximum.

ELENCHVS COLLOQVIORVM,
quæ hoc Libro comprehenduntur.

I. *De miranda hominis ſtructura, ingeniorum varietate, conditione & moribus.* fol. 1

II. *In quo præludium quaſi Gigantomiomachiæ aduerſus omnium ſtatuum ac conditionum homines inſtruitur.* 125

III. *Nullam hominum conditionem, ſtultitiæ eſſe expertem; cui annexus eſt de diuerſis hominum cuiuſcunque nationis moribus atque humoribus.* 171

IV. *In quo de iocis & ſalibus, quatenus exerceri atq; vſurpari in tanta ingeniorum ac ſtatuum diuerſitate citra offenſam poſſint: vbi etiam quædam de leuitate, ſimulatione ac diſſimulatione cæteriſq; quæ his confinia ſunt, adnectuntur. Hinc recta ad iuriſprudentiam, ipſoſq; adeo Iuriſconſultos fit tranſitio; quibus poſt longam concertationem (cum lites non debeant propagari vt vites) aliquo modo placatis fit demum tranſitus ad cæteras facultates, & ſcientias tam liberales, quam illiberales, humaniores ſimul & inhumaniores, adeoq; etiam mechanicas eas que non minus ſordidas, quam precioſas atq; fumoſas. Ad extremum Magiſtratus pii ſimul, & profani cum ipſorum officiariis ac ſubditis idea proponitur; idque non in vnico hoc, ſed in cæteris colloquiis.* 307

LIBER SECVNDVS CONTINET
ſub ſe Colloquium.

De fine mundi, eiuſque interitu, de Antichriſto, extremo Dei iudicio, purgatorio & beatitudine.

AD DIERVM CANICVLARIVM SIMONIS MAIOLI, EPISCOPI VVLTVRARIENSIS IMITATIONEM,

IVVENILIA,

COLLOQVIVM PRIMVM.

De miranda hominis ſtructura, ingeniorum varietate, conditione & moribus.

Collocutores,

SENEX. IVVENIS. EQVES.

HEm denuo Iuuenis hic cuius ego ante pluſculos annos noui ingenium nugarū ſibi adſciuit ſocium. Vſque adeo facilis ac fatua, & tantum nō maligna hęc ætas, eò quod hominum peruerſitates ac verſutias omnimodas nōdum habet perſpectas, quorumuis affectat conuerſationes atque amicitias. Verè nimirum D. Ambroſius *lib.1.de viduis.* Vicina, inquit, lapſibus eſt adoleſcentia. Eoque magis ſubitanea hæc cōuerſatio diſplicet, quod videam, effuſe vtrumque ridere. Quod quidē, *annotante Sebaſt. Fou. in 3. Plat. de Republ.* magnum eſt leuitatis argumētum. Et Dion Philoſophus: Riſus continuus & intentus eſt deterior, inquit, iracundia. Idcirco maxime viget in ſcortis & pueris ſtolidioribus. Mihi ſane facies magis ornari videtur lachrymis, quam riſu. Lachrymis enim vt plurimum bona aliqua doctrina coniungitur: riſui

vero laſciuia. Et flendo quidem nemo ſibi concitauit autorem contumeliæ, ridendo autem ſpem dedecoris auxit. *Stob. ſerm. 72.*

IVVENIS. En vt ringitur Senex. Sed facit pro ætatis illius granditatæ moribus. Cum enim ſuſpicioſi ad quæuis ferè ſoleant eſſe ſenes, cogitando ad peiorem ſemper vergunt partem. Hinc vſque adeo ad iracundiam proni ſunt, vt quod eſt in Prouerbio, Si vel aſinus canem momorderit, litem moueant.

EQVES. Ridere nos ac lætitia geſtire, fortaſſe animaduertit. Sed enim pauci certè homines ſunt, qui aut non rideant, aut ſuauiſſimum hoc naturæ donum, lætitięque ſymbolum auerſentur. Hac ſe teſſera quiſque prodit, & veram ingenij indolem explicat, mundo velut aſſignatã. In meliori vultu niſi riſus eſt, venuſtas velut nube obſidetur. Cũ ſuauiſſima ætas eſt, ridet: cum pulcherrimus annus, ridet: cum ſine fæce cælum, ridet: vbiq; humanum hũc affectum vſurpat natura, vt decorem augeat; aut certè facit homo quod natura, tanquam rideat, cum ſerenus eſt, & à curis rerum [illegible] tempeſtatibus animum [illegible].

Riſus iucunda-varietas.

IVVENIS. Meminit [illegible] dubie Senex ſententiæ [illegible] *Auerrois in Rempubl. Platon.* [illegible] *Tex. 1.* qui, ridere immodic[illegible], non debent ſummæ auto[illegible]ri, planè a riſu videtur [illegible] abſtinere.

EQVES. Vis pietate ac meritis grauis, phraſi Virgiliana, quodſi facetis verbis ea quæ coram ſubditis profert, poteſt tẽperare, næ is mirifice ſubditorũ animos lætitia perfundit, puſillorumq; ſaluti maxime conſulit. Quod permulti & illi quidem prudentes [illegible], & optimi minime poſſunt, quorum inſtinctus toruitaſq; naturæ ad fletum propẽſior eſt, atq; triſtitiam, quam ad hilaritatem & riſum, quam diuerſitatẽ ingenij in Democrito, atq; Diogene fuiſſe Satyricus ita commeminit.

> *Iamne igitur laudas quod de ſapientibus alter*
> *Ridebat, quotiens à limine mouerat vnum*
> *Protuleratque pedem. flebat contrarius alter?*

Democritus enim is erat, qui domo exiens ridebat curas, necnõ & gaudia vulgi. Qui vero flebat errores hominum, & quibus cõtinue merguntur caſus atque diſcrimina, ille Diogenes. [illegible] n[illegible]tro ques natura [illegible] dedit & duros, hiſtoriæ pro[illegible]unt Pyrronem, Heraclitũ, & qui tantæ acerbitati obnoxius factus eſt, vt in totius odium generis humani effectus ſit. Timonẽ Craſſum itidem auum eius Craſſi, à Parthis interemptus eſt, nunquam in tota vita riſiſſe ferunt.

Democriti riſus.

IVVENIS. Perdifficile eſt radices extirpare naturæ. Quippe ſunt ita comperti à primis ſeminib⁹ homines, vt contra ea pauci admodũ vitam detorqueant. Et me quidem

eſſe.

eſſe ex eorum numero fateor, quib⁹ innata eſt pronitas ad feſtiuitatem atq; lætitiam, non tam ſponte, quã forte ab humore ſanguinis inſerti mihi lætiſſimi. Sed me ſic equidem velim in poteſtate habere, ne quid nimis vtraque in parte, aut eam certe mea hanc in complexione virtutem ſeruare, quam Græco nomine Eutropeliam Ariſtoteles vocat, planeque & laudat, & inter Theologos vir doctrina clariſſimus Thomas Aquinas locat inter mediocritates, atque virtutes.

Sultani riſus. EQVES. Reminiſcor iam hiſtoriæ de Sultano Agazenorum Principe, Gallorum regis in Campania captiuo. Totum Sultanus bienniũ nunquam ridere viſus fuerat. Præmiũ Galliæ Rex pollicetur ei, à quo primum nũcietur riſiſſe: riſiſſe quidam nunciat, & teſtes viſus adhibet; riſus cauſam ex eo ad ſe accerſito rogat Rex. Sultanus reſpondet: Rotas currus forte fortuna prætereuntes vidi, atq; animaduerti, quæ ima erat loco, attolli, quæ ſublimis & elata, deprimi; & hanc eſſe vitæ ac felicitatis humanæ inconſtantis ac variæ imaginem cogitaui, ſimulque riſi, ꝗ rei fluxæ atq; caducæ cauſa tantopere efferamur, & mecũ ipſe reputaui, fieri aliquando poſſe, vt qui ſeruus abiecte & humiliter nunc viuo, futurus deinceps liber ſim, atq; honoratus. Orationi reſpondit euentus. Rex enim ſapiẽti hominis reſponſo delectatus liberũ eſſe iuſſit, & menſæ ſocium. At ille, vt Afer, ita vafer, Africano plane commẽto Capuam atque Beneuentum Regi ademit, atq; in patriam & ad imperium ſuum ſaluus reuertit.

IVVENIS. Tu ſeriã recenſuiſti, ego ridiculam enarrabo de Philemone ſene hiſtoriam. Ficus Philemoni paratas, in conſpectu eius poſitas, aſellus comedebat, puer inclamatus vt aſinum abigeret, ſero venit. Itaque conſumptis omnibus: Quoniam, inquit, tam tardus fuiſti, da nũc merum aſello. Interim riſus obortus hominẽ ſenem præfocauit. *Eraſ. l. 6. apoph. Verũ alij hoc Chryſippo aſcribũt.* *Philemonis è riſu mors.*

SENEX. Diutius me cõtinere nõ poſſum, quin interloquar, & feruoris iuuenilis imprudẽtiam ſimul & impudẽtiam in te coarguam. Lucianus es, quæq; hactenus prolocutus es, merum Lucianiſmũ ſapiũt. Meminiſſe debueras illius D. Hieronymi *ad Nepotianum* ſententiæ, qua, inquit: *Sicut ignis in viridibus lignis ſuffocatur, ita ſapientia in adoleſcẽtia tentationibus & libidine impedita, nõ explicat ſuum fulgorem, niſi labore & ſtudio & oratione incentiua iuuẽtutis intro repellantur.* Sicut enim fructus non inuenitur in arbore in qua flos prius nõ apparuit, ſic in ſenectute honorem legitimum cõſequi non potuit, qui in adoleſcentia diſciplinæ alicuius exercitatione nõ laborarit. *Cyprian. de 12. abuſionib.* Maxime vero hæc ætas à libidinibus eſt extollẽda, in labore & patientia animi & corporis exercenda

cenda, vt in bellicis & ciuilibus officiis eorũ vigeat induſtria. Vt n. ciconias nemo aduenire ſẽtit, ſed aduenisſe: nemo diſcedere, ſed diſceſſiſſe: ꝙ noctu clanculum faciũt vtrumq;: Ita iuuentutẽ nemo intelligit diſcedere, ſed diſceſſiſſe: & ſenectutẽ nõ ſentimus aduenire, ſed aduenisſe. *Plin. lib. 10. hiſt. natural. cap. 23.*

Senilis prudentia

EQVES. Probe mones, venerãde ſenex. Mens enim & ratio, vt inquit Macrobius, conſilium in ſenibus eſt, qui ſi nulli fuiſſent, nullæ omnino eſſent ciuitates. In iuuenib⁹ eſt feruor, at in ſenibus eſt prudẽtia. Qui quidem feruor atq; inſolentia lõgo rerum vſu atque ætate mitigatur, pari omnino modo quemadmodum vina & poma ſubacerba miteſcunt. Itaque ꝙ olim Auguſti Imperatoris ſenis vnica vox: *Vos iuuenes, audite me ſenem, qui iunior ſenes audiui,* pręſtitit, dum vnica hac voce exercitum tumultuãtem compeſcuit. Idẽ quoque vel vnicus tuus nutus, imo vel vmbra tua apud nos præſtabit.

SENEX. Animaduerto in te ſenilem prudẽtiam, quam in vegeto adhuc dum corpore non quæſiuiſſem. Verum in iuuene aliquid ſuſpicor procacitatis, ne quid grauius dicam.

IVVENIS. Lucianum me dixiſti, at Lucianus non ſum. Vixit n. is ſub Adriani Imp. imperio, anno a natiuitate Chriſti 120. Sed neq; Alcuin⁹ ſum, cui per anagrammatiſmum Luciani nomẽ poteſt affingi. Is namq; Caroli Magni Præceptor fuit, & circiter annum Chriſti 800. diem ſuũ obiit. Multoq; minus ſum Caluin⁹ ille, qui, idẽtidẽ per anagrammatiſmũ Luciani nomen ſortitur. Is namque ante annos multos, aliquam paſſus eſt corporis & animæ διάλυσιν. Vtinã vero doctrinæ peritia eſſem Lucianus. Nam ſi quiſpiam fuit vnquam, qui Horatianum præceptũ impleuerit, miſcueritq; vtile dulci, hoc eſt voluptatẽ cum vtilitate cõiunxerit, cũctorum certe calculis, Lucianum hoc inprimis præſtitiſſe comprobatur. Hic eſt ille Lucianus, qui ſingulari quadam vafricie, citra tamẽ petulantiam, priſcæ comœdiæ dicacitate admodum lepide perſtringit, dum cuncta naſo ſuſpendit, omnia miro ſale perfricat, nihil vel obiter attingens, ꝙ nõ aliquo feriat ſcommate; Philoſophis præcipue infeſt⁹, atq; inter hos Pythagoricis potiſſimũ ac Platonicis ob præſtigias: Stoicis item ꝓpter intolerãdum ſupercilium; hos punctim ac cęſim, hos omni telorũ genere petit; idq; iure optimo, quid enim odioſius, quid minus ferendũ, quã improbitas virtutis profeſſione perſonata? Hinc illi blaſphemi, h. e. maledici vocabulum addidere: ſed hi nimirũ, quorũ vlcera tetigerat. Pari libertate gẽtilium quoq; deos paſſim & ridet & lacerat, vnde cognomen ei inditum ἄθεος; ſpecioſum ꝑfecto vel hoc nomine, quod ab impiis ac ſuperſtitioſis ei attributum. Inter ſophiſtas annumeratur: ſed quam benè, ipſi viderint.

Luciani encomium.

derint: tantū n. in dicendo gratiæ, tãtum in inueniẽdo felicitatis, tãtū in iocando lepôris, in mordendo aceti, ſic titillat alluſionibus, ſic ſeria nugis, nugas ſerijs miſcet: ſic ridens vera dicit, vera dicendo ridet: ſic hominum mores, affectus, ſtudia quaſi penicillo depingit: neque legenda, ſed plane ſpectanda oculis exponit, vt nulla Comedia, nulla Satyra cum huius Dialogis conferri debeat, ſeu voluptatem ſpectes ſeu vtilitatem. Eius verba ſunt terſa & phraſis dilucida, verborum apparatu plane inſtructus ac tumens.

SENEX. Multa tu quidem de Luciano iſto tuo deprædicas, idque ex ijs qui vanitatibus ac ſuperſtitionibus Ethnicis fuerunt immerſi.

IVVENIS. Imo vero ipſe D. Chryſoſtomus, vir acerrimi iudicij, & Doctorum ferme omnium Chriſtianiſſimus, & Chriſtianorum, vt ego certe puto, doctiſſimus, tanti eius ſcripta æſtimauit, vt bonam Dialogi ipſius, qui inſcribitur *Cynicus*, partem in Homiliam quandam, quam in Iohannis Euangelium commentatus eſt, inſeruerit. Quinetiam ipſe Eraſmus, fere omnium facultatum Criticus haud aſpernãdus, ipſum Lucianum, Adamantinum omnium ſuperſtitionum inſectatorem vocauit.

D. Chryſoſtomus Lucianum commendat.

SENEX. Laudo in ætate iſthac tua iuuenili, ſenile iudicium. Ridendo non eludis quæ refutanda ſunt, quod Sophiſtarum eſt, macte iſthoc tuo iudicio, iſthac felici, fœcunda ac ſecunda memoria. Lõge aliter antea de vobis, dum ridentes deambulare & colloqui cernerem, iudicabam. Nimirum bonitas ipſa ingenij & præſtans, vanaque doctrina non exiguo labore, peruigilijſque quæſita ſine exercitatione, auiditateque, vel diſcendi quæ neſcimus, vel tradendi alteri quæ cognoſcimus, quid porro adiuuat? dum in nullam velut ſepulta ſe profert, aut communem vtilitatem, aut ſuum commodum? aut honeſtã etiam laudem? Non fragant ſuauia niſi attrectata agitataq; pigmenta, nihil & prodeſt conditum, cum valet iuuare, non eruere, & exercere theſaurum. Sed neque ignis, quo nihil vigentius, dum occultus cinere, preſſuſque iacet, in vſum vllum erumpit, ardoremque flaueſcit. Ita litterarum ſtudia omnia, ita Organa, ita Tybiæ, ita Buſſi, ita Lyræ, ita quicquid ſingulis in opificijs, & artibus habetur excellens, ſine commemoratione actitationeque confeſtim abuolat aut certe langueſcit. Vnde verum eſt, quod nunc occurrit mihi prouerbium, *Dum non agis, dediſcis*. Quo circa quærere, rogare, interpellare, diſputare, deque re litteraria omni crebro conferre optimæ frugis ingenia probaui magnopere ſemper, noſtroſque vt facerent homines incitaui.

cit ui. Vnde Anaxagoras plane vitus eſt mihi dignus iure qui ſaperet, & ſæculorum memoria omnium laudatiſſimus viueret, qui cum in re difficilima quapiam hæſitabundus, attractuſque ſubſiſteret, & obitus filij nunciaretur, interim illi, diſſimulauit audire, ne filij deſiderio forte permotus à re quæſita, & fructu quem ſperauerat, animum & intentionem auerteret. Quantum & admirabilior hac in laude prima philoſophorum gloria Socrates? qui in conſpectu mortem, habens veneno iam illi porrecto, ad vltimum vſque halitum de animorum immortalitate diſſeruit inter amicos atque diſcipulos. Occurrit & mihi par præconium meritus Portius Cato, qui prope ſenex Latinas litteras, Græcas vero iam ſenex perdidicit, & quæ interdiu legiſſet, audiſſetque cognitu digna veſpere refricabat.

EQVES. Quid vero eſt venerande, Senex, quod ſiniſtri aliquid de nobis ſuſpicabaris, antequam tecũ miſceremus colloquia?

SENEX. Ego Grauitatem & Sapientiam vbiuis requiro quæ quidã apud eos, qui nimiũ in riſum effunduntur, rara eſt. Ridiculum enim in anima, inquit Plato *in Phileb.* eſt improbitas quædam, quæ habitus cuiuſdam cognomen habet. Quocirca idem Plato in riſum nimium profuſos damnabat. Nam effuſum riſum, inquit, vehemens mutatio ſequitur, *lib.3. de Republ.* Hinc illa Epicteti *in Enchiridio* grauis admonitio: *Riſus neque multus ſit, neque ob multa, neque ſolutus.* Hinc apud Athenienſes olim in Academia ridere non licebat. Ridere illic nefas erat. Nam vt Æliani verba vſurpem, ab iniuria & ignauia purum & inacceſſum ſeruare hunc locum conabantur. Sed enim ad delitias & hilaritatem veniamus, vt quæ hactenus ſeueriora viſa, lepôre ſuo condiantur. Etenim iucundiores abire quam veniſtis, cupio. Sermone reliquo & argumento ſuauis ero, & vos quoque faciam, omneſque è fronte delebo rugas: meum in veſtro vultu videbo. Etenim niſi lepos amœnitaſque auribus omnium inerrent, niſi ipſe alias Iocus expandat, animoſq; bona voluptas imbuat, condemnabo ipſe quę dixi & dicturus ſum, & infeſtam Suadæ ſapientiam arbitrabor.

Riſus quomodo attemperandus.

Athenienſib. in academia olim ridere non licebat.

EQVES. Athenienſes, quorum grauitatem ex toruo aſpectu metiri videbaris, ſiquidem res dicenda eſt, tam graues & ſerij eſſe voluerunt, vt deſiperent: & cum Sapientiam vultu affectarent, homines ſe eſſe obliti ſunt. Nos tam tetricam Mineruam non habemus. Sapientiæ Muſas iungimus & Gratias: ſed Ridere, uno ludere hæ amant. Nam quoties ſuauitas pectus imbuit, cor ſe laxat, & iucundo feruore hilaritatem exprimit. Animi mo-

motum vultus indicat, cum agitatione viſcerum, thoracis adeoque oris muſculi tenduntur. Quam ſuauiter natura ludat, ignorare nemo poteſt, niſi cui cornea fibra eſt. Gaudium certe nemo Sapiēti eripit. ſed gaudii fructus Riſus eſt, ſicut & doloris lacrymæ ſunt. Si fructum proſcribimus, cur arborem toleramus? Lacrymas certe nemo reprehendit: cur Riſum? & apud Homerum ſapientiæ exemplar Vlyſſes lacrymarum ſæpe imbrem effudit. Quid ſi lacrymarum quoque vicem Riſus occupet? Nam & hi affectus, ſtimulante naturæ genio, in contrarium erumpunt: in lacrymas gaudiū in Riſum dolor ſiue pauor. Ita Apuleius de Ariſtomene narrat, quem inuerſa lecticula euolutum & excuſſum humi obtegebat. Loquentis, an potius ridentis? verba audiamus: *Nam vt lacrymæ ſæpicule de gaudio prodeunt: ita & in illo nimio pauore, Riſum nequiui continere, de Ariſtomene teſtudo factus.* Sic igitur cōmunis interdum lætitiæ & triſtitiæ affectus Riſus eſt, vt & Lacrymæ; cum & gaudentium & dolentiū ſæpe ſtillent oculi, riuuloſque ab eodem animo educant.

IVVENIS. Spartanos omnes ciues, illos ſeueritatis alumnos, Xenophō *Lib. 7. Rer. Græc.* ſcribit neſcio quo victoriæ nuncio repente in gaudium & in lacrymas actos; & cauſam adfert: *Ita lætitiæ & mærori cōmunes lacrimæ.* Ne miremur, Riſus ipſe amat lacrymas, & cum lacrymis frequenter erūpit. Etenim originē & fontē illæ quoq; à corde habent, & hinc ſcaturiunt. Ab oculis deinde fluūt, & torrentem faciunt, quo gaudij atq; etiā triſtitiæ affectus vehatur. Volūt autem Æſculapij filij, tres in humano corpore exhalationes humidas eſſe, à Stomacho, Iecore, Corde; & ad totidem membra ſuperna ſeu receptacula educi; ad Nares. Aures, Oculos. A Stomacho mucū; & per nares effundi: a iecore Cremium & per aures expurgari: à corde deniq; Lacrymas, & per oculos manare. Quæ cū ita ſint, videant obſecro triſtiſſimi homines, ne mœroris damnent voluptatem, dum Gaudio infeſti.

EQVES. Riſus è pectore vultuq; ſi eijcitur, in exiliū pariter Lacrymæ ibunt, quas amant. Vir Grauis & Sapiens tamen homo eſt: homini natura Riſum dedit; quia Hilaritatem. Os cuiuſq; & vultum examina: non ridere, vitiū potius corporis dixeris, q̃ venuſtate. Quoſcunq; tales Vetuſtas recenſuit, Auſteros potius, q̃ Graues; & Moroſos Difficileſq;, q̃ Sapientes accepimus. Nec enim poteſt ſerenus eſſe animus, vbi frons nubila: quēadmodum vbi perpetuo gelu rigent omnia, nulla amœnitas faciem telluris imbuit.

IVVENIS. Agelaſtorum agmen Heraclitus ducit, ille tam à Riſu alienus, vt fleret continuo: & ſic quidem *ipſe*, vt Seneca *Lib. 2. de Ira*, ait, *Heracliti fletus.*
inter deplorandos. Sed profecto *Mirādū eſt, vnde illi oculis ſuffecerit humor,* niſi aqua intercus fuit, qua & obijt.

EQVES.

EQVES. Hunc certe Sapientem atra bile laboraſſe Theophraſtus olim ſcripſit. alij, odio hominum, in avios montes, & remota teſqua ſeceſſiſſe, vt paullatim à ſe abiret, & qui ſuauitatem exuerat, iam quoque humanitatis obliuiſceretur. An & arrogantiam compungo? Cogita quam Sapiens fuit, qui ſuæ ſe auctorem ſcientiæ fecit. Fecit Heraclitus. Talis eſſe debebat, qui nunquam rideret. Nihil vero ſtultius, quam quod ſenex iactaret, *ſe nihil ignorare; cum iuuenis nihil ſciuiſſet.* Verbo complectar: ne rideret, delirus fuit; vt ſciret omnia, ſtultus. Multa eum ignorare oportet, qui ſe vnum æſtimat: atque tantæ quoque dementiæ Heraclitus fuit, vt omnes omnino contemneret, Homerum autem, Heſiodumque, diuinos homines, dignos verberibus cenſeret, & qui è certaminibus, vt Laërtius refert, eijcerentur. Sic vero qui Riſu caruit, morbo laborauit; & qui ſeueriſſimus eſſe voluit, Riſum omnibus mouit.

Anaxagoras Agelaſtus. IVVENIS. Anaxagoram Clazomenium Ælianus *Var. Hiſt. l. 8. cap. 13.* ſcribit, *Nunquam ridere viſum eſſe, neque omnino ſubridere.* Ariſtoxenum etiam *admodum a Riſu abhorruiſſe.* Sed iſti quidem tanto fortaſſis Heraclito meliores, quod ſaltem non fleuerint. Dionyſium etiam Siciliæ Tyrannum idem Ælianus *Lib. 18. capit. 13.* tradit, *amaſſe Tragœdiam, & aptaſſe cothurno dramata; à ſocco autem & Comœdiâ alienum fuiſſe, quod non eſſet ad Riſum procliuis.* Sed Tyrannum nominaui. Marcum Licinium Craſſum, auum eius, qui bello Parthico perijt, alij ſemel, alij nunquam riſiſſe volunt. De hoc Plinius *Lib. 7. cap. 19. cap. 4. Ferunt* (inquit) *Craſſum, auū Craſſi in Parthis interempti, nunquam riſiſſe, ob id Agelaſtum vocatum.* Et Solinus, in eadem propemodum verba. Semel, Sidonius ſcribit:

Tam Cenſorius haud fuit vel ille,
Quem riſiſſe ſemel ferunt in æuo.

Agelaſti autem olim credebantur reddi, qui in Trophonij ſpecum oraculorum cauſa deſcenderant. Vnde Parœmia: *In Trophonij antro vaticinatus eſt*, de homine triſti, tetrico, & moroſo.

EQVES. Ridiculum, quod de Parmeniſco Metapontino Athenæus *Lib. 14. cap. 11.* refert. Is poſtquam in ſpecu Trophonij Riſum amiſerat, Apollinis percunctatum iuit remedium. Apollo reſpondit, *Dandum à Matre Riſum: hanc veneraretur.* Reuerſus ad Penates parentemque, cum ridere nihilominus non poſſet, à numine ſe deceptum cenſuit. Sed quid? interiecto temporis aliquo ſpatio, forte in Delum venit, vbi Latona, mater Apollinis, colebatur. Ergo curioſe luſtrans cuncta, tandem ad ſimulacrum ductus eſt. Vbi ligneum ac deforme vidit, præter opinionem *Parmeniſci riſus vnde.*

in

in Riſum ſolutus eſt, & ægritudine ſua liberatus.

Qui non Riſerunt, iſti quidem ſunt: ſed tales, vt exemplo ſuo, aut potius vitio, delere hilaritatem noſtram non poſſint. Hæreo tamen, & iam exſpecto, vt IESVM CHRISTVM, omnis ſapientiæ & Virtutis, imo omnis Lætitiæ & ſalutis fontem, mihi repræſentes, quem fleuiſſe inter homines legimus, non Riſiſſe.

Chriſtus riſiſſe non legitur.

EQVES. Quid dicam? In homine Deum agnoſco. Sanctitas hæc fuit, & diuinitas. Quod mortalibus à natura conceſſum erat, noluit vſurpare, imo quod dederat ipſe omnibus, ſibi negauit. Ad dolores, opprobria, tormenta, ad crucem denique mortemque natus amplius præſtare quam homo voluit, etiam *Non ridere.* Vt ſcias quantæ molis ac momenti erat generis humani ſalus, nullas delicias, ac ne ſigna quidem vlla iucunditatis admiſit. Et ſane, vbi Deus hominem induerat, & æternæ Sapientiæ Bonitatiſque radius tenebrarum cœpit vilitate circumdari, ne Ridere quidem rerum Natura debuit: niſi debuit tamen, quia Auctorem ſuum complexa. Sic igitur, quod Æternitas non fecit, facere mortalitas potuit, ac deinceps perenni lætitiæ geſtu exſilere. Huiuſmodi certe vox Genij Numiniſque ad Paſtores fuit, Chriſto iam nato: *Annuncio vobis gaudium magnum. Gaudium* ecce *magnum, & quod erit omni populo.* Atque hæc lętitia, vt magis animos hominum excitaret (quantum opinor) Riſu quoque, ceu veriſſimo typo figurata fuit, in Patriarcharum geſtis. Etenim Chriſtus ad hoc natus, vt Deo victima eſſet, & immolaretur: ſed tanti tamque horrēdi myſterij imago Iſaacus fuit: quem vnigenitum à patre Deus in holocauſtum petijt. Tertullianum *aduerſus Iudæos. cap. 10.* audiamus: *Cum Iſaac a Patre hoſtia duceretur, & lignū ipſe ſibi portaret, Chriſti exitum iam tunc denotabat, in victimam conceſſi à Patre, lignum paßionis ſuæ baiulantis.* Quid autem Iſaac? Chaldaicè *Riſus* eſt: & ita Saræ verba *Geneſ. cap. 21.* intelligenda, cum ab Abrahamo puero nomen eſſet impoſitum: *Riſum fecit mihi Deus, & quicumq; audierit, corridebit mihi.* Philo Iudæus *Libello, Quod deterius potiori inſidiari ſoleat*, hunc locum ſacræ Scripturæ citat, & diducit: *Opifex eſt enim Deus boni Riſus & Gaudij. Nam ſi Riſus Iſaac intelligitur; Riſus autem factor eſt Deus; iuxta verum Saræ teſtimonium, etiàm Pater Iſaaci rectißime dicatur.* Addit: *Huius appellationis etiam Sapiens ille Abraham fit particeps, cui gaudium proles Sapientiæ, triſtitiam tollens, donatum eſt.* Idem Scriptor (*Lib. de præmijs & Pœnis.*) *Iſaacum Chaldæi alij Riſum nominant. Riſus autem eſt ſignum, quo ſe profert cultum mentis gaudium: qui affectus eſt inter omnes alios honeſtiſſimus,*

Sara Riſus.

B

ſimus, & tranquillitate ac ſecuritate totam animam replet. Non riſit igitur Chriſtus, vt nimirum totam gaudij cauſam Homines acciperent, ſalutiſque beneficium lætiſſimâ hilaritate celebrarent.

IVVENIS. Docte atque inſigniter diſſeris. Sed iuuat à ſacris ad profana deſcendere, Riſumque à Gentium conſenſu commendare. A Philoſopho ordior: Riſit Democritus; & hoc vnum egit: quem nemo tamen Sapientiæ aut Grauitatis laude ſpoliauit. Imo Sapiens ideo Democritus, quia Riſit. Sic docuit, ſic diſſeruit, ſic Philoſophatus eſt. Tolle Riſum, & Democritus non erit: iterum, tolle Riſum, & præſtantiſſimum Sapientię lumen extingues. Plus ſcripſerit, an Riſerit, dubites; & vtro amplius humano generi profuerit. Anaxagoræ elogio Pentathlus hic ille fuit in ſcientiâ rerum omnium: id eſt, *Quinque Certaminum*, ſiue perfectiſſimus: & talis à Laërtio deſcribitur. Sic vero qui ſciuit omnia, Ridere potuit: & qui non Ridere non potuit, euthymian ſtatuit rerum finem, animique tranquillitatem in Bono Riſu inuenit.

Iam igitur laudas quod de Sapientibus alter
Ridebat, quoties à limine mouerat vnum
Protuleratque pedem?

Philoſop[illegible]tur, & qui vnus inſtar omnium, Homerus: is, tanquam Homines ac Herôes ſatis non riderent, hanc oris hilaritatem Dijs immortalibus tribuit, & prope immodicam.

Difficiliſque Deis extingui Riſus inerrat.

Læti hilareſque Dij eſſe non poterant, niſi riderent; & Barbatus Iupiter ſeueritatem numinis ſuaui cachinno mitigabat. Sic Cælo receptus Riſus, in terris tanquam numē coli cœpit, & templa ac ſimulacra inuenit, imo, quod reuerētiam tam iucundi auget Dei, apud grauiſſimos illos Spartanos. Templi Plutarchus in Agide & Cleomene meminit: ſimulacri, in ipſo Lycurgo: *Neque ſane ipſe fuit præfracte auſterus Lycurgus: imo Riſus ſignum ab eo poſitum eſſe Soſibius tradit, vt vrbanitate, tanquam laboris victuſq́ tempeſtiuo condimento & conuiuia & ſimiles congreſſus interpolarentur.* Et quis non malit igitur Ridere [illegible] Lycurgo, quā flere cū Heraclito? & corrigere aut cōſtituere hominum mores, quam aſpernari? Atque Lacedęmonij, vt idem Plutarchus teſtatur, digni & tali Legiſlatore, & Simulacro f[illegible]ere, tam amœne ſerij, vt auſteritatem effugerent; tam ſerio amœni, ne quā ineptiarum laſciuiâ ſoluerentur. Riſu conſecuti ſunt, vt & bello fortes, & pace boni eſſent, vtrobique Spartani.

Riſus templa & ſimulacra.

EQVES. In Gymnaſijs & Leſchis falſa amœnitate tempus traducere,

Laſche conſabulationum locus. ducere, & ingenium ſolebant occupare. *Conſuetudinis autem illius potiſſimum negotium erat* (verba Plutarchi ſequor) *vt vel virtutem aliquam laudarent, vel probrum reprehenderent, cum Ioco & Riſu aculeato, admonendi & corrigendi cauſâ.* Vnum alterumque ex ipſa plebe exemplum ſumo. Claudus quidam animos ſumpſerat, ac iam ſe præparabat, vt in militiam iret: deriſus fuit, tanquam parum aptus. At ille, *In bello,* inquit, *non fugientibus opus eſt, ſed firmantibus gradum.* Alius clypeum Muſcæ imagine inſigniuerat: deriſus fuit, tanquam latere vellet, nec ab hoſte conſpici, qui tam paruum aſſumpſiſſet ſignum. At ille, *Imo,* inquit, *vt agnoſcar ſumpſi. Tam prope enim ad hoſtes accedo, vt vel muſcam videant.*

IVVENIS. O felicem Spartam, quæ ciues ſuos ſic exercuit! ô amœnam, quæ nec ſine Riſu virtutem coluit! Ioci & pungentes iſti lepôres, velut ſtricturæ ſunt; è pectore velut igni proſiliunt, ſed moto. Sic & amœnitas exercitationem amat. Friget animus, cum ſimplicitate tegitur; & languet cogitatio, niſi calore quodam excitetur. Ipſe Riſus calor eſt, aut certe à calore. Hinc eundem *inextinguibilem* Homerus dixit; & Grammaticis Γέλως ab ἕλη, quæ vox *calorem* & *iubar* ſignificat. Prorſus, vt ignem colligas, vim conſidera. Confluunt ad Riſum lacrymæ, neq; tamen moto iam affectu, gaudij flammulas extinguunt. Ebullit Riſus, & quem vicit humorē ſimul expellit. Quicquid dico, Calor agit; e pectoris, vt ſic appellem, foco ſurgit, arcem hominis caput petit, & cerebro circumfuſus, Riſum pariter & Lacrymas educit.

EQVES. De Templo & Simulacro ſatis: *Numen* ipſum videamus: neque amplius commendari hominibus Riſus potuit, quam vt Deus fieret. Huic igitur in Theſſaliâ Hypatenſes, Apuleio ſcribente, peculiari ritu ſolennia faciebant. Summa religionis erat, ludum ſeu dolũ comminiſci, quo ignarus quiſpiam inuolutus, Ridendi argumentum publice præberet. Atque hic talis, ſi lepidiſſimâ ſcenâ numen propitiaſſet, mœroris deinceps atq; doloris credebatur expers futurus. Ipſos Hypatenſes audiamus: *Nā luſus iſte, quam publice gratiſſimo Deo Riſui per annua reuerticula ſolenniter celebramus, ſemper commenti nouitate floreſcit. Iſte Deus auctorem ſuum propitius vbique comitabitur amanter, nec vnquam patietur, vt ex animo doleat: ſed frontem tuam ſerena venuſtate latabit aſſidue.*

IVVENIS. Memini me legere hiſtoriam de ara Herculis, quam conſecrauit Deo ridiculo. Petierat aliquando Hercules ab aratore, vt ſibi & ſocijs eſurientibus, alterutrũ ex bobus, quibus cum agricolabatur, venderet. Cum vero is abnue-

ret, Hercules vi ambos rapuit, & ſubito mactauit, mactatoſque vna cum ſocijs deuorauit. Arator interea fruſtra deorum vltricium opem implorans, conuicijs Herculem vna cum ſocijs inceſſebat. At vero is vna cum ſocijs nullatenus à bouinæ carnis eſu abſtinuit, quin potius quæuis aratoris in ipſum & ſocios iacta conuitia in riſum & ludibrium vertens, cachinno totum illud agreſte conuiuium agitabant. In memoriam igitur huius ita tranſacti conuiuij, aram extruxit, eamque Deo ridiculo nuncupauit, mandauitque, vt omnia quæ in ara iſta immolarentur ſacrificia, riſu & cachinno condirentur.

Sacrificia ridicula.

EQVES. Nos vanitatem ſuperſtitionis relegantes, gaudium riſumque iucunda remiſſione quæremus, idque ſine honeſtatis aut grauitatis damno.

IVVENIS. In Academiis & Scholis etiam riſus à comploſione naſcitur, & aliqui in pedibus quoque riſum ponunt. Hilares ſunt, & ſimul etudiunt. In his tanquam in Leſchis agunt, cum ioco ad virtutem eunt.

SENEX. Nimii eſtis in hac de Riſu diſſertatione. Democritum ſane nunquam ſine riſu in publico fuiſſe aiunt, adeo nihil illi videbatur ſerium eorum quæ ſerio gerebantur. Sed eo ipſo factus eſt ipſe propemodum ridiculus. Temperandus itaque riſus, ne quid inſit leuitatis. Nam, quod eleganter ait Seneca, vnius horæ hilaris inſania (ſiue hilaris riſus) longiſſimi ſæpenumero temporis tædium affert. Hanc itaque Baſilii Stobæi habetote ſententiam: ad lenem vſque riſum, animi hilaritatem ſubindicare non dedecet, iuxta ſcripturam, quæ ait: Lætante corde vultus renidet: cachinnari autem voce, & concuti corpore, non eſt hominis animo compoſiti, neque probi. Hæc Stobæus.

IVVENIS. Videtur nonnihil animo commotus Senex. Sed facit id pro ſenum ingenio, eſtque quod vultus toruitas indicat, profundo cogitationum barathro immerſus.

EQVES. Quicquid id ſit, magnum aliquid animo verſat & extruit.

IVVENIS. Ædificium forte ſtruit, idque inde auguror, quod cum primum noſtrum interrumperet ſermonem, atque argueret, ſubito inferebat ſententias aliquas & ſimilitudines, in quibus lignorum viridium, arborum & ciconiarum q̃ ædificiis nidificant, bona fit mentio. Ex abundantia enim cordis os loquitur. Cumq; identidem conſideret verendum ſibi fore, ne domū, quam firmā extruere cogitat, vixdū abſolutā, ipſo per nuncium mortis auocato, deſerere cogat, hinc adeo fit, vt tantopere toruum videat.

EQVES.

De ſenectute fabula.

EQVES. Contra mortis ſuo camentum nullum eſt remedium. Dicam fabulam. Veniſſe olim humanum genus ad Iouem aiunt, & petiſſe ab illo, aliquod vt remedium repellendę ſenectæ ſibi impertiret. Nimis enim paucos annos valere atque vigere homines, neque illis ſpatium vel ad virtutis curſum perficiendum, vel errata & delicta vitæ corrigenda ſuppetere. Quodſi ſenibus inſtauraretur adoleſcentia, futurum, multo vt melioribus & probioribus hominibus vteretur. Annuit Iupiter precibus, & quandam medicinam confecit illis ſenectę, ac in vtre conditam tribuit. Hanc deſcendentes aſino ſarcinam imponunt, & læti reuertuntur. Tempus erat æſtiuum, & omnia ſolis ardore flagrabant. Magna igitur atque intolerabili ſiti corripitur aſinus, & fortè nemus opacum prætcriés, ſtatuit in illud deflectere iter, & paululum requieſcere. Ingreſſus fontem ibi inuenit, quare mirifice delectatus, ſiccas fauces aquæ cupidiſſimè intēdere, & refrigerare volebat guttur aridum atq; feruens. At ſerpens cuſtos fontis, immani corpore prouoluitur, & os ſęuum oculoſque infeſtos in aſinum intendens, micāte lingua ſe illi copiam vndarū facturum gratuito, negat. Aſinus ita erat ſiti enectus, vt corij particulam non videretur recuſaturus impendere pro potu. Rogat igitur, quid pretij poſcat. Sarcinam, inquit ſerpēs, tradito. Cape ſane, inquit aſinus, ita ęnim & onere me inſuper liberatis. Senectæ igitur medicinam nactus ſerpens, in conſilium & cōuentum ciuium defert. Aſinus redit vacuus ad homines. Illi ſarcinā requirunt, hic amiſſam eſſe narrat. Tum ingēs dolor omnes corripuit; neq; Iupiter denuo largiri medicinā volebat, neque ipſi recuperare à ſerpentibus poterant. Itaque nunc exuuiis veteribus poſitis iuuentam induunt ſerpentes, pernicioſæ hominib. beſtiæ. Homines memores accepti mali & damni dati ab aſino, delicias faciunt verberando miſerum animal.

Inſtitutum operis.

SENEX. Condonabo aliquid ætati; abſtinete duntaxat ab iniuria. Ædificij ſtructuram me meditari, recte dicitis; at ſtructuram ædificij non extruendi demum, ſed iam dudum extructi, Hominis naturā, qui vere ædificium Dei atque à Deo extructum eſt, ſtructurā omnino admirandam. Interim non minus etiam admiranda eſt ædificiorum ex lignis & lapidibus ſtructura, ad quā non tam architectādi peritia, quam promptis pecuniarum (quæ ſunt tanquam nerui architecturæ) expenſis opus eſt. Ipſo etiam Saluatore noſtro id commonefaciente: *Luc. 14. Quis ex vobis qui velit turrim ædificare, quin prius ſedens computet ſumptus, an habeat quibus opus eſt ad perficiendum, neque poſtquam poſuerit fundamentum, nec potuerit perficere,*

re, omnes qui viderint, incipiant illudere ei, dicentes: Hic homo cœpit ædificare, nec potuit consummare.

EQVES. Recordor iam hiſtoriæ cuiuſdam de ſene fodiente puteum, cuius initium quidem tragicum, at læta fuit apoſtrophe. Hiſtoria hæc eſt: Anno Domini 1552. ad nonas Februarias, Franciſcus Peluſius Lugdunēſis φρεατορύκτης ſenex ſexagenarius, dum in colle Diui Sebaſtiani in villa Ludouici Pheræi puteum foderet altum pedes quadraginta, egeſta terra deſuper irruenti ad profunditatē triginta quinq; pedum, oppreſſus eſt foſſor viuus, qui incumbēti periculo, quod forte preſens habuit, tabulatum oppoſuit, ſub quo reclinatus, & à cadenti mole protectus, aëris & ſpiritus aliquantum retinuit, quo ſeptem dies noctéſque vixit ſine cibo & ſomno, ſola vrina epota (quam certum eſt non alere, quum ſit purum excrementum ſtomachum roborans vel potius conſulens vrgenti ſiti) & omnis doloris expers, atque adeo mœſtitiæ, quin etiam ſpei plenus (quam in ſolum Deum collocarat) identidem auxilium ſibi ſaluo inclamans, ſed à nemine auditus, quum tamen ipſe ſuperiorum motus, ſtrepitus, & verba audiret, horaſque ſonantes numeraret. Poſt ſeptimum deinde diem quum ipſi iam conclamato pararetur pheretrum, effoſſuſq; eſſet magna ex parte puteus, repertus [illegible] de

Senis fodientis puteum, hiſtoria.

pro lindo clamātis; quam primum ſequutus eſt pauor, ac ſi ſpiritus exauditus eſſet ſubterraneus, mox clamore perſeuerante, iniecta ſpes, & accelerata effoſſio, donec viuus & valens, hauſto prius vini calice, per funem euectus eſt, viribus adeo integris, vt ad ſe tollendum neque ſe ligari paſſus ſit, neque aliena ope vti voluerit; ſenſu vero adeo ſano, etiam iocabundus crumenaque prompta, & pecunia numerata, diceret, ſe cum benignis hoſpitibus diuerſatum, apud quos ne teruncium quidem ſeptem dies impendiſſet: & mox ad opus eſt reuerſus, ſuperſtes adhuc cum hæc ſcriberem. Sic ad verbum Anulus.

SENEX. Non dubium eſt ſenem iſtum per Angelos protectum, ſimul & ne vires deficerent, conſeruatum fuiſſe. Sed redeamus ad ſtructuram ædificiorum, & quia ab allegato à me ſcripturæ loco feci initium, non ingratum opinor, ſed neque infrugiferum vobis erit, ſi quid in aliis ſcripturæ locis de ædificiis conſtituatur, pauca edifferam.

IVVENIS. Scriptura certè & de ædificiis ex lignis & lapidibus & de ædificiis corporis noſtri elegantiſſime differit. Sic D. Apoſtolus: *Scimus, quoniam ſi terreſtris domus noſtra huius habitationis diſſoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus: domum non manu factam, sed æternam in cælis. 2. Cor. 5.*

IVVE-

Ivvenis. Eleganter ab antiquis domus dicitur οἶκος φίλος, οἶκος ἄριςος. Domus amica, domus optima. Nuſquam n. commodius, liberius, lautius homini viuere cõtingit, quam domi. Et cui ſuppetit facultatum copia, is ſi felicem velit vitam agere, viuat in domo propria. Infelicißimũ enim eſt incertis vagari ſedibus, quemadmodum faciũt ſemper ἀεὶ ξένοι, peregreque viuentes.

Ædium inhabitatio. Senex. Audi ſcripturæ ſacræ deſuper monitum, *Eccleſ. 29.* Melior eſt victus pauperis ſub tegmine aſſerum, quam epulæ ſplendidæ peregre ſine domicilio. Minimum pro magno placeat tibi, & improperium peregrinationis non erudies. Vita nequam hoſpitandi de domo in domum, & vbi hoſpitabitur, non fiducialiter aget, nec aperiet os ſuum. Hoſpitabitur & paſcet, & portabit ingratos, & adhuc amara audiet: Tranſi hoſpes & orna menſam, & quæ in manu habes, & ciba cæteros. Exi à facie honoris inimicorum meorum: neceſſitudine domus meæ hoſpitio mihi factus es frater. Grauia hæc domini habenti ſenſum, Correptio domus & improperium fęnerantis. Parentes quoq; idem ſapiens commonefacit, ne filiis poteſtatem domus ſuę concedant. *Eccl. 33.* Filio & mulieri, fratri & amico non des poteſtatem ſuper te in vita tua: & ne dederis alij poſſeſſionem tuam: ne forte te pœniteat, & depreceris pro illis. Et *Eccleſ. 33.* Dum adhuc ſuperes & aſpiras, non immutabit te omnis caro. Melius eſt enim, vt filij tui te rogẽt, quam te reſpicere in manus filiorũ tuorum.

Eqves. Ego hactenus nolui eſſe οἰκουρος, qui tecto & vmbra gaudeat, quique domi deſidere amat, ætas enim mea id non ferebat. At qui negociis domeſticis ſeſe nuncuparunt, his omnino domi manendum. Inutile enim eſt, diutius abeſſe domo, relictis poſſeſſionibus. In quam ſententiam quadrat illud ex Odyſſ.

Tu quoq́, amice domo diuturnus abeſſe caueto.
Rebus item que viris intra tua tecta relictis.

Senex. At enim ne domus deſtruatur, maximopere prouidendum eſt. Qua autem ratione deſtruatur ædificia, audi deſuper ſcripturam loquentem. *Prou. 11.* Qui conturbat domum ſuam, poſſidebit vẽtos: & qui ſtultus eſt, ſeruiet ſapienti. *Prou. 14.* Domus impiorum delebitur: tabernacula verò iuſtorũ germinabunt. *Prou. 15.* Domum ſuperborum demolietur Dominus. *Prou. 15.* Conturbat domum ſuam, qui ſectatur auaritiam. *Prou. 17.* Melior eſt buccella ſicca cũ gaudio, quam domus plena victimis cũ iurgio. *Eccl. 10* In pigritiis humiliabitur cõtignatio & in infirmitate manuũ perſtillabit dom⁹. *Eccl. 21.* Obiurgatio & iniuriæ annullabũt ſubſtantiã, & dom⁹ quæ *Ædium deſtructio.*

nimis

nimis locuples eſt, annullabitur ſuperbia: ſic ſubſtantia ſuperbi eradicabitur.

EQVES. Ædificatores lapides, quos firmos eſſe volunt, dulcibus aquis diu madefactos operibus imponunt. *Io. Gra. l. 2. de Anim. tex. 121.*

Ædium destructio.

SENEX. Ædificiorum firmitas non conſiſtit in commoda lapidum ſtructura, ſed in protectione diuina, de quo itidem audi ſcripturam loquentem: *Pſal. 126.* Niſi Dominus ædificauerit, ſimul & cuſtodierit domum, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam. Væ ergo illi, inquit Ieremias cap. 22. qui ædificat domū ſuam in iniuſtitia, & cænacula ſua non in iudicio: amicum ſuum opprimet fruſtra, & mercedem eius non reddet ei. Qui dicit, ædificabo mihi domum latam. *Eccleſ. 21.* Qui ædificat domum ſuam impendijs alienis, quaſi qui colligit lapides ſuos in hyeme.

EQVES. Magnam ædificiorum tam ſacrorum quam priuatorū extruēdorum, curam habuit antiquitas. In quem finem etiam ædiles conſtituerunt. Eſtque ædilis vnde dictus magiſtratus, qui ædium non tantum ſacrarum, ſed etiam priuatarum curam gerebat. Poſtea hoc nomen & ad magiſtratus tranſlatum eſt. Dictus eſt autem Ædilis quod facilis ad eum plebi aditus eſſet, teſte Pomponio Feſto.

IVVENIS. De Ædilibus ſic Plato inquit: Ædilibus omnia circa forum curæ eſſe debent, & poſt templorum viſitationem cura ipſorum eſt in foro, ne quis iniuriam faciat in his, quæ ad hominū vſum pertinent, vt petulantiæ & temperantiæ inſpectores ſint, & caſtigent eum qui caſtigatione opus habet: & ex venalibus cōſiderent, quæ circa externos conſtituta ſunt. Et *Plato de legibus, Dial. 8.* Idem Plato: Ædiles, inquit, gubernationem circa forum à legibus conſtitutam cuſtodiant, & templorum ac fontium in foro curam gerant, vt nemo quicquam iniuria afficiat. Si vero iniuria quis affecerit: puniant plagis & vinculis peregrinum. At ſi ſit indigena, in ipſorum poteſtate ſit mulctare vſque ad drachmas centum numiſmatis, & iudicantes in communi cum vrbis curatoribus duplam huius mulctam exigant: idem de vrbis curatoribus. *Plato de legib. Dial. 6.*

THEOL. De conſtructione ædium ſacrorum eleganter tractat Ariſtoteles. Ædes, inquit, ſacræ idoneum locum in ciuitate habere debent, & eſſe talis locus, qui ſupereminentiā haberet, & ſub hūc locū debet fieri cōſtructio fori, quod debet eſſe purum ab omni mercatu, & nec opifices, nec agricolas inde appropinquare, niſi à magiſtratib. vocarētur, & gratior eſſet loc⁹, ſi gymnaſia ſeniorum in eo cōſtituta ſint: & circa ædes ſacras decet communia ſacerdotum celebrare. *Ariſtot. polit. lib. 7. cap. 12.*

EQVES. De ædium ſtructura breuiter quidem ſed concinne Ariſtoteles: Ædes, inquit, ita parandæ ſunt, vt rerum poſſeſſarum & ſalubritatis & commoditatis rationem habeamus. *Ariſtot. Oeconom. libr. 1. capit. 6.*

Ædificiorum iura. SENEX. Varia extant de ædificiis iura, idque eò quod varia ſubinde de ædificiis ſuſcitantur diſſidia. Sacra ſcriptura quidem pauca de ædificiorum iuribus diſſerit. De domo vendita & eius lege, extat *Leuit. 25. verſic. 5.* At in iure ciuili extant de ædificiis perquam multa. Videri poteſt deſuper Inſtitutionum liber ſecundus, *de rerum diuiſione, titul. 1.* vbi: Quomodo ædificatione, rerum dominia acquirantur; An quod ſolo inædificatur, ſolo cedat. Quod dicatur ſolum proprium. An duo ſint eiuſdem rei domini. Quare alienum tignum meis ædibus iniunctum nō teneat eximere. Actio tigni iniuncti contra quem competat. Tigni appellatione quid veniat. An tignum alienis ædibus iniunctum vſucapiatur. An ex ſua materia in alieno ſolo ædificans perdat ædificium. An ſcienter in aliena domo ædificans perdat materiam. Impenſæ quotuplices. Impenſæ neceſſariæ an deducendæ. Vtiles impenſæ an & quando deducantur. Voluptuariæ impenſæ quatenus deducantur, & ſi quæ his ſimilia, omnia hæc tractantur *libr. 2. Inſtitut. de rerum diuiſione, titul. 1.* Sed & *lib. 4. Inſtit. tit. 6. de actionibus,* fusè tractatur de ſeruitutibus realibus & perſonalibus, eorum diuiſionibus & ſubdiuiſionibus. De ſeruitutibus altius tollendi ædes, ſeruitutibus luminum, ſeruitus ne luminib. officiatur, ſeruitus ne proſpectui officiatur, ſeruitus proiiciendi, differentia inter proiectum & immiſſum. Et ſi quæ ſunt infinita, quæ ſingula proſequi non eſt huius loci.

EQVES. Ab initio cum adhuc ſimplex ætas eſſet & candida, tot de ædificiorum iuribus non fuerunt diſſidia. Homines enim primum more ferarum in ſyluis & ſpeluncis naſcebantur, ciboque agreſti veſcendo ibi vitam agebant. Poſtea reperto igni, vt Vitruuio *de Architect.* placet, cognitaque eius commoditate ad teporem propter vſum frigoris, arcendum propius accedentes, in vnum plures conuenire cœperunt, & in eo congreſſu, quicquid vellent, iam tum facile tractare, vt qui rationis participes erant. Alij ex fronde tecta facere, alij ſpeluncas, ſub montibus fodere, vt Troglodytæ & Lybiæ quidam populi, Heſperiis Ætyopibus vicini, teſte *Strab. in 17. Geogr.* factitabant, non nulli hirundinum nidos imitantes, ex luto, & virgultis condere loca quæ ſubirent. Et ſic vſu venit, vt homines quorum ad quiduis intenditur ingenium, velut nouis in- *Architecturæ initium.*

C uentio-

uentionibus gloriantes, & aliis deinde oſtendentes, ædificia informare, parietes furcis rectis, & virgultis interpoſitis luto texere, luteas glebas arefacientes & vt imbres & æſtus vitarent arundinibus vel fronde tegere, vel ex vilua paluſtri tuguria componere cœperint. Quæ ædificia teſtatur Vitruuius, ſua etiam ætate conſtruxiſſe Galliam, Hiſpaniam, Luſitaniam, Aquitaniam, Phrygiam. Ac etiam Ægyptus poſuerat, ſecundum Diodorum, ita apud omnes fere gentes, talia hodie viſuntur: nec mirum, cum ſint qui etiam nunc ſine ædificiis, ſub dio vitam ducant, pars in curribus, vt Scythæ propè omnes, pars in campis, vt Nomades & Saraceni in Africa, qui ſylueſtres nuncupantur: Atque eo pacto rem paulatim ad artem, id eſt, architecturam deductam. Fuerunt quæ ædificandi rationem docuere, quam auctor Diodor. *in 6.* Palladi aſſignat.

IVVENIS. Architecturæ Ægyptij inuentorem Vulcanum aſſerunt, qui in regno Mercurio ſucceſſit, alij Dædalum inuentorem faciunt. *Franc. Patrit. de Republ. lib. 1. cap. 9.*

SENEX. Ego ex Ioſephi teſtimonio aut Cain Adam primi hominis filio, aut Iobal ex Lamech genito potius attribuerim, quorum alter primus oppidum, alter Tabernaculum condidit, vnde deinceps non modo caſas, ſed domos ex lateribus, parietibus & lapide ſtructas, Deorum templa quam ornatiſſima facere cœperunt.

EQVES. Autores duntaxat allego, penes quos etiam fides eſto. Cæterum, nunc porrò, qui primum luteas aut lateritias domos ædificauerint, & tegulas & lapidicinas inuenerint, & de prima columnarum origine, dicam. Domos luteas, teſte Plinio *libr. 7.* Doxius Gellij filius primus ædificauit, ſumpto, ab hirundinum nidis exemplo. Lateritias verò, hoc eſt, ex lateribus conſtructas, eodem auctore, Euryalus & Hyperbius fratres Athenis, primum fecerunt earum ſtructuras. Diodorus *in 6.* dicit Veſtam Saturni ex Rhea filiam primam inueniſſe domos ipſas, & agros, teſte Laertio, Epimenides Cretenſis primitus expiaſſe dicitur. Tegulas quibus domus teguntur, Cinyra Agriopæ filius in Cypro inſula inuenit. Lapidicinas, hoc eſt, loca vbi lapides effodiũtur, Cadmus Thebis, aut ſicut Theophraſto placet, in Phœnicia, auctor Plinius.

Materierum ad conficiendas ædes inuentio.

SENEX. Ego rerum huiuſmodi inuentionem verius, vt opinor, Cain, aut Seth eius fratris filiis aſſignarim, quando ille, teſte Ioſepho *in primo Antiquitatum*, mortalium omnium primus oppidum condidit: iſti vero, columnas duas, id eſt, vnam lateritiam, alteram lapi-

lapideam, vt in eis rerum cæleſtium diſciplinam inſcriberent, conſtruxerunt, quam primum columnarum atque laterum originem eſſe dixerim, quo apparet, in ipſo fere mundi primordio domos aliaque ædificia ex diuerſis materiis conſtruendi vſum fuiſſe.

Architecti ſagaces.

IVVENIS. Architectorum huius temporis mira eſt ſagacitas, id quod inter cæteros innuit Olaus Magnus, Archiepiſcopus Vpſalenſis *libr. 10. de gentibus Septentrionalibus*: Vt moderni temporis, inquit, Aquilonares architecti inſigniores ſtructuras priſci ſeculi latè per orbem diuiſas, magis admirari quam imitari valeant, præſtat intelligere, ſeptem tantum terris loco miraculi fabricas fuiſſe relictas: primam Epheſi, videlicet Dianæ templum: ſecundam, Regis Mauſoli pulcherrimum monumentum: tertiam Rhodi, ſolis æneum ſignum: quartam, Olympici Iouis ſimulachrum: quintam, Cyri Medorum Regis domum: ſextam, Babyloniæ muros: quos Regina Semiramis latere cocto, ſulphure ferroque conſtruxit, & ſeptimam, Pyramides Ægypti. Sed quis illa vlterius putabit eſſe præcipua, cum in vna vrbe Roma Iulij III. Pontificis Maximi pretioſum & admirabile theatrum atque decorum fontem, pro publica cunctarum gentium ſalute incomparabili naturę & artis pulchritudine excogitatum, diuerſicolorúque lapidum concordi varietate cōſpexerit fabricatum: vt meritò totius orbis octauum ſpectaculum æternis laudibus aſſerat proſequendum ac extollendum. Hæc Olaus.

Architecti ſuperbi.

EQVES. Sed & deploranda eſt plerorumque architectorum inſana ſuperbia. Audite hiſtoriā Veneti, Sebaſtiani Ziani ducis auſpicio ex Conſtantinopolitana vrbe Architectum inſignem acceſſerāt, ad extruendā auream D. Marci ædem. Præter ampliſſima munera etiam marmoream ſtatuam in auguſtiſſimo templi loco ſibi poni Græcus homo poſtulabat. Aſſenſerunt patres. Iam ferè abſoluto opere; nimia leuitate coram patrib⁹ imprudens faſſus eſt, ſe quidem multo celebrius templū ipſum fuiſſe extructurum, niſi inter ipſum opus occurriſſent plura, quæ ipſum prudentiorem feciſſent. Ad quem ſubridēs Dux: Ergo nos quoque de ſtatua ponēda prudentiores reddemur. Illi itaq; in veſtibuli frōte marmoream ſtatuam collocarūt, manu ad os obiecta, quaſi illū dicti ſui pœniteret. *Egnat. lib. 6. cap. 5.*

SENEX. Satis hac vice de architectura, quippe de qua ex profeſſo dicere, non eſt noſtri inſtituti. Si quis verò veſtrum vlterius de architectura noſſe deſiderat, is legat de origine architecturæ, inter cæteros *Polydorum lib. 7. cap. 7.* De architectura, *M. Vitruuium libr. 10. Iacob. Iocund. Vitruuium collatis exemplaribus*

bus repurgauit. In Vitruuij architecturam, *Guilbel. Philandri annotationes.* In Vitruuium, *Gaudentius Merula*. Vitruuianæ architecturę compendium, *Franciſcus Maurolycus promittit*. Ratio architecturæ antiquæ, *per Franc. Diegum de Sagredottis graphice ſcripta ex Vitruuio & alijs Architectis excerpta*: *Colinaus, Pariſiis impreſſit*. Gallicè redditam in *forma quarta, chartis ſeptem*. De architectura, *Marlianus, Leo Baptiſta, Albertus Florentinus & Riburuſius, Sebaſtianus Serlij Bononienſis* de architectura *Tomi duo, Italice ſcripti, Romæ impreſſi*. Et vide plura *in Geſneri Pandect. titul. 2. de artibus illiteratis*. De ædificandi ratione, *Bruſonium lib. 1. capit. 11.* De ædificiorum vanitate, *Coruinum in Apophtegm.* De ædificiis veterum & nouorum, *Raphaelē Valeter. lib. 27.* Duodecima hora ædificare quid ſit, *Cœl. Rhodig. libr. 12. cap. 9.*

Deus architectus mirificus.

EQVES. Deus mirus eſt architectus ſiue opifex. Cum enim crearet hominem, non terram ipſam ſiue glebam terræ, ſed de terra puluerem pro materia ſumpſit, χοῦν λαβὼν ἀπὸ τῆς γῆς. Hinc eſt quod *Gen. 3.* ad Adamum ait: *Puluis es & in puluerem reuerteris*. (& Abraham *Geneſ. 18.* ſe appellat γῆν καὶ σποδὸν, puluerem & cinerem.) Quo ipſo omnipotentia Dei declaratur, qui cum poſſet ex lapidibus & glebis, miſtaque humo aquis ſeu limo condere corpus hominis, tanquam ex propioribus, tamen remotius: vtpote interminatū puluerem corripuit, eamque vertit in corpus hominis. Ita Cyniphes produxit per Moyſen *Exodi 8.* vt omnis puluis (χῶμα τῆς γῆς) in pediculos Pharaonis mutaretur. Diſputet iam Ariſtoteles de ſuis vermibus, & Plato de magna conuerſione, & cratere Timæi: alij de formicis, cruore gigantum & aliis fabulis.

Hominis structura.

IVVENIS. Hoc nimirum eſt ex arena funem nectere, quod nemini præterquam Deo poſſibile eſt. Cæterum videtur aliqua opinio ſeminalis & cæleſtis hæſiſſe apud quoſdam, quaſi ab initio rerum incluſa eſſent capſis & matricibus elementaribus, ex quibus mediante ſole tanquam flores & fructus prodierint homines, quale quid Patres de magorum ranis ſcripſerunt; ſed ex Ouidio tamen potius quam ſcriptura. Ita enim canit iſte:

Natus homo eſt: ſiue hunc diuino ſemine fecit
Ille opifex rerum, mundi melioris origo:
Siue recens tellus, ſeductaque nuper ab alto
Æthere cognati retinebat ſemina cœli;
Quam ſatus Iapeto miſtam fluuialibus vndis
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

Et Vir-

Et Virgilius ex Anchiſæ ſententia:

Principio cælum ac terras campoſq; liquentes
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum pecudumque genus, &c.

SENEX. Homo iam creatus,& generatrice augmentatriceq; quin & dominatrice potentia inſtructus, conſeruatione naturali per nutrimentum indigebat. Neq; enim licet potuerit, tamen aut angelicum aut adamantinum fecit hominem Deus,ſed talem,qui vſu cæterarum creaturarum per nutritionem naturalem prorogare vitam & deberet & poſſet. Ideo etiam pro varietate functionum, varia accepit mebra, eaq; organica animæ præſidi accommodata. Vt viueret cor,ſpiritus vitales, calorẽ, ſanguinem & arterias accepit cum ventilabro pulmone. In hęc enim membra per nares inſpiratũ eſt vitæ ſpiraculum. Vt noſſet ſciretque tam interna quam externa,poſſetque etiam iudicare, capite eſt donatus, & in hoc ſenſoriis internis externiſque quorum ope etiam cognoſcit anima & iudicat, mente rationeque ſeu intellectu prædita: inſeruiunt huic potentiæ ſpiritus animales, Nucha, & nerui, indidem etiam mouendi poteſtas eſt, cui famulantur muſculi, tendines, oſſa. Vt generaret, genitalibus eſt inſtructus. Vt creſceret quantitate, & conſeruaretur in ſuo vigore, culinam, ventriculum, hepar & cor ex parte nactus eſt. In his cibus fit per coctionem naturalem, & ſecretionem ſuperfluitatum, cui ſua quoque organa deſeruiunt, alia etiam deuehunt nutrimentum.

IVVENIS. Cum, vt habet *caput* 1. *Geneſ.verſ.27.* Deus marem & fœminam fecerit, & marem quidem ex puluere, non identidem fœminam, quippe quæ non melioris conditionis quam vir eſſe debet, ex puluere creatam recte ſtatuerim? *Fœmina ex qua materia creata.*

SENEX. Remotè, inquam, ex puluere creata eſt fœmina. Eſt enim fœmina puluis interuentu Adæ ſubſtantiæ. Itaque æque reſoluitur in cinerem: Soluit enim corruptio & putrefactio vniuerſalis totum. Propinquè ſane aliam habuit materiam, nempe coſtam viro dormienti ſubtractam,vt eſt *Geneſ. 2.verſ.22.* coſtam autem non ſine carne & cute. Nam ideo dicit vir. *Hoc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea. Itaque vocabitur Iſſcha* ſeu *virago, quia de viro eſt ſumpta*, quam etiã vir ſequitur alterum ſui dimidium amplexurus.

IVVENIS. Annon ex rubra terra creatus fuit Adam? *Adam an ex rubra terra creatus?*

SENEX. Loquamur cum ſcriptura, quippe quæ ex puluere crea-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

tum Adamum aſſerit. Puluerem hunc ſiccum Deus liquefecit, indeque ſanguineum liquorem, & poſtea & hoc corpus fabricauit, quod ideo etiam ſanguine, vtpote vltimo nutrimento alitur. Inde nomen Adam a rubedine non pulueris, ſed liquoris ex puluere reſoluto.

IVVENIS. Ex quanam autẽ coſta facta eſt fœmina?

Ex qua coſta creata.

SENEX. Putant aliqui factam fuiſſe ex loco, qui κενεών iuxta ilia dicitur. Ait enim ſcriptura, eum carne fartum ſuppletumque, vt neceſſe ſit, nihil duri & oſſei ibi relictum eſſe. Sed nec integra coſta cum ſua vertebra eſſe potuit, quomodo enim ſpina iungeretur carne?

EQVES. Paracelſus negat, Adamum ante Euam habuiſſe Pontificalia. Forſitan arbitratus eſt, carnem iſtam eſſe, quam in locum coſtæ repoſuit Deus, quæ & poſtea Caro abſolute dicta eſt, *Geneſ. 17. verſic. 11.* vbi Caro præputij, ſeu in quo eſt præputium. Alij putant, deeſſe viro coſtam. Sed Columbus in Anatomicis, *Libr. 1. cap. 19.* oſtendit, æquales eſſe numero vtrique, aliquando abundare vnam. Debuit defectus in Adamo quæri, non in poſteris. Non enim ſemper filius mutilus eſt, ſi pater curtatus.

SENEX. Sufficiant iſthæc nobis de principio hominis materiali. De formali ego nunc dicam. De hoc ita loquitur ſcriptura: *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Pari nimirum ratione, ſicut Saluator noſter afflabat Apoſtolos *Iohan. 20.* tradens ſimul cum ſigno hoc viſibili Spiritum ſanctum; ſic idem conditor cum anhelitu ſeu ſpiritu aëreo immiſit principium formale, quam animam dicimus: Eo modo proponitur animare etiam reuocata ex mortuis corpora, *Ezechiel. 37. verſic. 9.* Tandem igitur ex illa inſpiratione primæua dicitur homo factus in animam viuentem.

Anima hominis.

IUUENIS. Cum anima ſit forma & ſubſtantia hominis, eſtne ea corpus, quod moueatur à termino à quo ad terminum ad quem.

SENEX. Anima hominis ſubſtantialis corpus non eſt, ne æthereum quidem, nedum elementare. Cumque corpus non ſit, localiter moueri non poteſt, niſi modo Angelico & theologico, quo angeli mutant loca. Deus tamen aliquid corporei immiſiſſe, literali ſenſu dicitur. Id in nares inflatum eſt. Per has tranſit aër ſeu ſpiritus tum aëreus tum æthereus per omnia diffuſus. Aër per nares tractus cerebrum pulmoneſque tangit & inde cordi

di communicatur, vbi cum halitu ſanguineo abit in ſpiritum vitalem, qui dicitur materia animalis. At in creatione locum non habebat tranſmutatio naturalis.

EQVES. Haud incongrue dici poſſe videtur, Deum cum duplici halitu, aëreo & ætheteo, immiſiſſe duplex animæ inſtrumentum, ſpiritum animalem & vitalem, cumque his principium formale hominis. Nam cum per ſe non moueatur localiter κτ̃ φύσιν, per accidens moueri poteſt cum ſuo organo, ſicut vita & calor cum ſanguine & ſpiritibus emittitur.

SENEX. Nihil abſurdi dicitur, ſi aſſeritur, conditam animam per duplex vinculum, quod ſimul organum vitæ adminiſtrum, immiſſam illigatamque humori principali, quem radicalem vocant, & porro corpori cætero eſſe; & ſic euaſiſſe hominem animal viuum.

IVVENIS. Verum itaque erit, quod Ariſtoteles ſcripſit, mentem foris accedere & ſeparabilem eſſe: potentiam vero vitalem, ſenſitiuam, & naturalem innatam corpori. Vnde conſequens eſt, cum Deus corpus ex puluere formaret, id potentias ſimul corporeas accepiſſe, ſed quæ actuari non potuerint, propter defectum principij totius. Hoc cum immiſſum eſt, omnes poteſtates vigere inceperunt. Id declaratur morte & reſtitutione.

EQVES. Defuit ergo ei non potentia nec principium primum, ſed actus tantum ſecundi inſtrumentum. In Syncopticis & apoplecticis & ſuffocatis adhuc eſſe animam, qua homo eſt id quod eſt, arguit refocillatio. Vidi ego lapſum ex alto pro mortuo ſublatum, is reuiuiſcebat, cum effracto ore inflaretur halitus, quo non facto, proculdubio nunquam reuixiſſet. Ita aquis & laqueo ſuffocati reſtitui poſſunt, ſi breui interuallo liberentur. Argumento hoc eſt, animam adhuc hæſiſſe in ſuo domicilio, ſed vitæ actiones non potuiſſe edere deficientibus inſtrumentis. Idem comprobat calor qui latitat, & ni euentetur, euaneſcit, euentatus autem viget.

IVVENIS. Sed unde Eua animam ſumpſit? *Eua vnde animam ſumpſerit.*

SENEX. Non ex ſemine Adami elicita eſt, filia enim Adami fuiſſet Eua. Ex coſta igitur Adami. Nimirum cum coſta & carne ſanguis, calor & ſpiritus vitalis translata ſunt, neque enim per translationem iſtam exhalauit ſpiritus nec calor. Itaque in arteriolis pulſauit, & refrigerium primum per tranſpirationem ac-

accepit, poſtea fabricatis inſtrumentis per reſpirationem. Id non erat primitus in Adamo; ideo hic indiguit inſpiratione in naſum: Eua non indiguit. Quis inſpirat embryoni? Annon ob eandem cauſam prius tranſpirando, poſtea inſpirando viuit? Cohæret arterijs matris, ſicut Eua arterijs coſtalibus viri, donec abſolueretur.

EQVES. Deus qui in puluere animam potuit producere, quamuis non ex puluere, cur non poſſit in coſta viuente. Qui ex Mariæ ſemine animam hominis Chriſti eduxit: potuit etiam ex coſta Adæ animam Euæ; imo potius inter formandum coſtam & figura humana donandum, animam procreare. Sed de hoc prolixe diſſerere rationibus, ſuperuacaneum eſt, cum omne argumentum naturæ & rationis ſuperet Dei omnipotentia, quæ abundantius poteſt efficere, quam nos queamus intelligere.

Cur duo creati homines. IVVENIS. Quorſum vero opus erat duos homines facere, & non ſolitarium Adamum relinquere. Annon quodam alio modo multiplicare is genus ſuum potuiſſet?

THEOL. Sacra ſcriptura recitat prius occaſionem quam non temere exiſtimandum eſt à Deo præbitam. Plantauerat Deus Paradiſum in plaga orientali. In hac erant non arbores & aliæ plantæ tantum; verum etiam beſtiæ & fluuij cum ſuis piſcibus, atque etiam volucres. In hunc introduxit Adamum, vt eo vteretur, eſſetque colonus & defenſor. In hoc debuit non terrena tantum curare, ſed maxime diuina, nec breui ſed diu viuere. Ideo primum locum & præceptum accepit de Deo colendo, abſtinendoque ab arbore conuentus, quæ ficus Indica (Arbor de radicibus) fuiſſe creditur, vt obedientiæ exercendæ & præſentiæ diuinæ veluti viſibile Sacramentum haberet, & arcam teſtimonij. Hinc finem ſuæ creationis intellexit potiſſimum, nempe propter Deum cultumque eius ſe conditum eſſe. Alter finis erat dominium & imperium in beluas & terras, quod eſt argumentum, politici ſtatus. Tertius eſt domeſticus in cura horti & cuſtodia: cui acceſſit poſtea propagatio generis per procreationem ſimilis & educationem. Vt autem beſtias, pecudes ſcilicet terrenas & aues eo commodius tractare poſſet, diuino inſtinctu comparent omnes, & accipiunt nomina ex natura ſua. Sed Deus etiam aliud egit. Nam *γνῶθι σεαυτὸν* elicere voluit. Itaque cum omnes beſtias perluſtraſſet, nulla inuenta eſt pro Adamo, cum qua ſocietatem vitæ inire poſſet. Et erat tamen minus bonum,

num, ſolitariam cœlibemque vitam agere. Vt ergo Deus defectum ſuppleret, & Adami appetitum ab omnibus alijs abſtraheret, coëgit ad illum animalia diſſimilia, naturæque deſiderium ad ſui ſimile infixit, oſtendendo paria vbiuis eſſe; ſolum autem ſe relictũ. Et fortaſſe coram Adamo etiam commiſſa ſunt pecora. Itaque decretum edidit de adiutorio faciendo, quæ futura erat ſocia vitæ humanæ, generiſque eiuſdem propagandi συναιτιόν.

EQVES. Τῷ Ἀδὰμ (inquit hiſtoria) οὐχ εὑρέθη βοηθὸς ὅμοιος αὐτῷ. Ad nullum animal ferebatur appetitus & amor Adæ. Nullum erat idoneum ad conuerſandum coniugaliter. Textus Hebræus adiuuamen ſiue operum communium in re familiari ſociam; Chaldæus fulcrum curarum viri vel ſuſtentaculum domus denotat. Huiuſmodi adiutorium ſiue ſociam in conſpectum viri producere atque exhibere noluit Deus, quæ præſentem operam deferat, aut etiam moueat. Nam obiecta mouent ſenſus, ſuntque amoris illecebræ.

IVVENIS. Nimirum non inuenta eſt quæ correlate opponi poſſet Adæ in iure matrimonij. Cum itaque Deus vellet conſtituere correlationem inter maritum & maritam, fœminam creauit, amoris virilis ſuſceptiuum, vt ſit tanquam terminus, in quo ſit defixus, omninoque communis lecti ſocia, in cuius amore vir acquieſcat, nec deſideret aliam: ſit & ad procreandum adiutrix, id quod ſequitur educatio & cura rei familiaris.

EQVES. Sunt qui textum de famulatu quodam & ſeruitio intelligant, quomodo coram Deo ſunt Leuitæ in miniſterio & Giezi coram Eliſæo.

SENEX. Hoc non fert ſcripturæ ſenſus. Socia Adamo quæſita eſt ad communionem vitæ, vt compar eſſet, ſicut in cæteris animalium ſpeciebus, mas & fœmina inueniuntur abſque iſta ſeruitute. Itaque & benedictio & dominium communicatur, & dicuntur duo in carnem vnam, *Matth. 19. Geneſ. 2.* nec ſubiecta eſt vxor viro niſi poſt peccatum, quod ab ipſa per ſerpentem exoriebatur, vti legitur *Geneſ. 3. v. 16. Epheſ. 5. v. 22.*

EQVES. Nos ab inſtituto nimiũ exorbitamus. De ſtructura hominis eiuſq; modo mirifico inſtitutus eſt ſermo noſter. Hunc itaque proſequere.

SENEX. Modus conditæ maritæ deſcribitur *Geneſ. 2. verſic. 21.* Adamo immittitur profundus ſopor, quo primum ſenſorium totum fuit occupatum ligatumque, vt plane non ſentiret, quanquam vitæ ſenſuſque facultatem haberet.

Noluit enim Deus cum ſenſu doloris exiſtere ex Adamo mulierem, qui abeſſe non poterat à continui ſolutione, ne odium pro amore ex memoria facti oriretur. Ex coſta itaque lateri ſubtracta non naturali vi creauit mulierem, neque enim hoc fieri poteſt, ſed diuina.

EQVES. Scriptura vtitur verbo *Banah*, *vayben*: quod ædificare ſignificat, conſonatque verbo *Bin*, quod eſt intelligentia effingere & formare artificioſe, & ſignificat principium artificis, formamque internam, ſicut Banah opus externum. Atque vt architectus ædem ad habitandum inſtruit varijs conclauibus, ita Deus Euam, potiſſimum autem in ea cameram generationis effecit, in qua tanquam in cubiculo naſceretur homo ſimilis gignenti Adamo ſecundum ſubſtantiam. Vterum vocant & naturam genitalem, matricem procreationis noſtræ. Hinc fœmina homo dicitur generans in ſeipſa, ſemine à mare accepto: ſed mas homo generans in alio, vtpote fœmina, collato ſemine.

IVVENIS. Nomen quoque fœminæ apud Hebræos eſt ab illo domicilio: vocatur enim *Nebeſah*, mas *Dſachar*. *Nakaf* eſt excauare, & perforare. Vnde *Keſeb* ventriculus. Vt ex cauerna & fodinis metallici pretioſos lapides & metalla excindunt, ita maritus ex ſua Eua, in qua peculiare metallum eſt proles ex ſpecu puteoq; excauato producenda.

Fœmina Etymologia.

EQVES. Hoc aruo genitali diſtinguitur ſexus fœmineus à maſculo. Cætera membra fere ſunt indiſtincta ſecundum ſubſtantiam. Nam licet mas ornetur barba, & fœmina vberibus lac fundentibus nutriendæ ſoboli, tamen & barbatas mulieres inuenire eſt, & viros glabros. Et ſunt adoleſcentes etiam naturæ immaturitate imberbes, nec dignoſci poſſunt facile in habitu fœmineo. Vbera quoque viris nonnunquam grandeſcunt, & lac fundunt. Coma etiam indifferens eſt.

IVVENIS. Tu nimium effers fœmineum genus, viroque ſi non præfers, tamen propemodum adæquas, id quod eſt contra Ariſtotelem, *2. de generat. animal. cap. 3.* qui ex defectu membri virilis ſeu cauea fœminea concludit, fœminam eſſe marem oblæſum. Et in *4. de gener. animal. cap. 3.* Sexum, inquit, fœmineum quaſi læſionem & detrimentum eſſe putandum eſt. Alibi etiam erratum naturæ vocatur, quod ad optimum tendat illa per ſe, ab eo aberrando vero faciat fœminam. Nam generatio eſt ad ſimilitudinem ſubſtantiæ. Mas eſt cauſa generans, quæ & animam conferre creditur, *2. de gener.*

ner. animal. cap. 4. Corpus ex fœmina eſt : anima ex mare, &c. quæ ſane hiſque ſimilia, fœminæ imperfectionem ſatis arguunt, de quo videri poteſt inter cæteros etiam Scaliger *Exerc.131.*

EQVES. Bene ego memini, tractari iſthæc à Scaligero, qui inſuper ex eodem Ariſtotele, tractans de plantis, fœminam παρέκβασιν & πάρεργον naturæ vocat. Sed hæ argutiæ facile refelluntur. Princeps quidem mas eſt, vt & D. Paulus indicat 1. *Corinth. 11.* Et Maris nomen apud Hebræos à memoria eſt, quod in genealogias veniat nomen eius, ſitque monumentum generis.

Sed non ideo fœmina monſtrum eſt, neque imperfectum quiddam, verum adiutorium, ſocia, compar vitæ, vt & in cæteris animalibus. Ariſtotelem quod attinet, decipit ipſum phanthaſia de naturæ æternitate, & ad optimum progreſſum, non cogitantem à Deo inſtitutum ſexum fœmineum etiam in procreatione naturali habere id, quod intentione optimum vocatur.

Intenditur enim vt optimus mas, ita & optima fœmina. Et vtrumque creauit Deus in optimo ſtatu, vt habetur *Geneſ. 1. verſic. vltim.* Vterum habere, concipere, in ſe gignere, alere genitum, non deteriorem in ſua natura facit fœminam : Sed ſunt partes definitionis, quibus perficitur hic ſexus, qui quo minus id facit, eo minus eſt fœmineus. Vnde etiam æqualis vtrique in Domino honor eſt, teſte D. Paulo, *Epheſ. 5.* Nam vterque rationalis & ſermonis capax eſt creatura : vterque Dei opus. Quod quod Eua in aliquibus etiam potiores nacta eſt. Nam in Paradiſo condita eſt, & non ex puluere, ſed ex viri coſta. Autoritas tamen viro maior; itaque & ad hunc adductæ beſtiæ : huic commendatus Paradiſus : huic religio & Eccleſiæ locus primum oſtenſus : hic primus ſui generis caput eſt. Mulier adiutorium demum & ſocia.

SENEX. Audiamus ipſum Adamum quid de Eua ſentiat, diſſerentem. Cum enim Deus tanquam pronubus fabricatam ei offerret mulierem, is exuſcitata natura ſtatim concepit ſtimulos amoris, agnouitque id quod deſiderauerat pridem. Itaque etiam in voces erumpit, & hoc eſſe id dicit, quod ſuæ naturæ reſpondeat, habens os & carnem cæteraque membra, præter ſexus ſigna, eadem ſpecie, vt dicere queas, altera ex alteris prognata eſſe. Atque hæc prima fuit coniugum amicitia, in qua vere amicus eſt alter idem,

Hinc prima communio, vt alter altero æque delectetur ac ſeipſo, habeantque communia omnia, vt animum, corpus, liberos, bona, curas, gaudia, idque indiuiſim, fitque adeo caro vna, non quidem confuſis indiuiduis, ſed amore mutuo, vt explicatur Epheſ. 5. *Qui ſuam vxorem diligit, ſeipſum diligit.*

Amor coniugalis.

EQVES. Conſequens hinc eſt, quia vir non poteſt odiſſe carnem & os ſuum, vt ibi velit eſſe, vbi ſuum indiuiduum. In quo eſt res quædam mira, amorem deſcendere à viro in mulierem, indeque originem eius eſſe, hic finem: à mare incipere deſiderium & appetitum coniugalem, in muliere terminari. Nimirum hinc eſt, vt mares quærant matrimonia, puellæ expectent procum. Cum autem vnio facta eſt, reciproce it reditque affectus, qui duplicatus iam in fœmina ſolet etiam eſſe ardentior.

IVVENIS. Quis ergo ille amor eſt, quo quis inſanit in maſculum, & fit ἄρσεν κοίτης? Nec diuinus nimirum, nec naturalis, ſed lupercalis & Sodomiticus. In coniugio legitimo cari parentes ſunt, ſed vxor carior. Ideo deſertio parentum tunc conceſſa eſt, coniugis nō item. Nam vir agglutinatus eſt vxori, quod gluten mors demum ſoluit aut adulterium, quodque horum vim habet.

SENEX. Subiecta interim eſt vxor dominio & poteſtati mariti, ſicut concupiſcentia & affectuoſa pars menti. Mas vt mens & conſiliarius & auriga ſe habet, fœmina vt belua multorum capitum Horatij, propter inconſtantiam variumque appetitum. *Varium enim & mutabile ſemper fœmina*, vt inquit Poëta: vel vt D. Paulus: *Vas infirmum quod facile periclitatur & conſilij eſt inops inter turbas.* Hinc *Geneſ. 3.* dicit Dominus: *ad virum deſiderium tuum, & ipſe dominabitur tibi.* Cum enim mulier nihil prope opis in ſe inueniat, cogitur ad virum confugere, atq; ideo eius præſentiam deſiderare ſolicite, atq; ad ipſum inclinare, vt inde accipiat regimen & frenum.

Proceritas primorum parentum.

IVVENIS. Quam grandes vero fuerunt primi noſtri parentes?

SENEX. Quam grandes fuerint primi noſtri parentes, ſtatura gigantæa ſcilicet, longeque maiores illis Enakim, ad quos collati Iſraëlitæ videbantur ſibi locuſtæ, *Num. 13. Deut. 2. 3.* Og regis Baſan, cuius lectus ferreus in Rabbath Ammonitarum monſtratus fuit nouem cubitus longus & quatuor latus, ad menſuram cubiti virilis; quæ eſt tripla ad nos longitudo, ſacræ literæ non memorant.

EQVES. Recitant hiſtoriæ, de corpore Oreſtis, q̄ ſeptem cubitos adæquanerit

quaueſit. Orionis vel Ori in Creta, rupta tellure corpus dicitur expleuiſſe quadraginta ſex cubitos, quæ eſt incredibilis proceritas, niſi forte palmares fuerunt cubiti. Tribuunt & Aiaci vaſtitatem memorabilem. Pauſanias in Arcadicis vndecim cubitorum fuiſſe annotauit.

Concretiones oſſiformes.

Senex. Videndum tamen, ne terrenis concretionibus oſſiformibus decipiamur. Conſtat enim ex ſuccis marmoreis vel marga calceq; reſoluta, & ſimilibus coaleſcere oſſa & cornua ſtupendæ quãtitatis, quæ gigantum fuiſſe credunt. Georgius Agricola mentionem facit oſſium ſaxeorum ingentium, balænarum oſſibus æqualia, quæ effoſſa ſint occaſione putei deprimendi, nullius vnquam animalis, ſed ſponteo confluxu humoris talis concreta. Moſkius ex Heroldo ſcribit de dẽte molari tam grandi, vt alios centum æquare potuerit, qualem etiam Auguſtinus *in lib. 15. de Ciuit. Dei, cap. 9.* notauit. Ex Bocatio gigantæum ſceleton in antro quodam Siculo inuẽtum cum fuſte, qui malum ingentis nauis excederet, producit.

Ivvenis. Eiuſmodi multa occurrunt in variis lectionibus, & inter alia etiã cyclopica iſta apud Virgilium; vbi Polyphemus oculum habet Argolici clypei aut Phœbææ lampadis inſtar, graditurque per æquor iam medium, necdum fluctus latera ardua tinxit: *Trunca manum pinus regit, &c.*

Eqves. Narrat Wierus, Virginem quandam à quartana in gigantæam molem excreuiſſe. Conſentaneum eſt, oſſa huic humore adeo mollefacta fuiſſe, vt potuerint nutrimento adiecto prouehi. Hinc illi, qui pro oſſibus cartilagines habẽt, regulariter magni euadunt. Sed hęc infra à nobis tractabuntur.

Mulier an ad imaginem Dei creata.

Ivvenis. Anne etiam mulier ad imaginem Dei creata eſt; ſunt enim qui id negant, inter quos etiam eſt Auguſtinus, *Quæſt. vet. & noui Teſtam.* ex Paulo, *1. Cor. 11.* vbi vir εἰκὼν τοῦ θεοῦ dicitur.

Senex. Inanis hæc eſt ſpeculatio, ſcripturæque contraria, quippe qua Deum feciſſe hominem ad imaginem Dei, maremque & fœminam creaſſe eos atteſtatur, ita vt homo ſeu Adam ille creatur ſecundum Dei ſimilitudinem, ſexu ſit diuerſus. D. Pauli locum allegatum quod attinet, is relationem habet, tantumque Dominium reſpicit. Sicut enim Deus eſt Dominus viri, imò omnium, ita maritus vxoris, vt ratione dominationis huius vir Deum referat, ſitque eius imago & gloria, interim femina non excluſa ab imaginis affectione, vt quæ item dominetur in familiam & poſſeſſiones, ſpiritualiſque imaginis æquè ſit capax.

Reſtauratio imaginis Dei.

Ivvenis. Sed quænam eſt reſtaurationis imaginis Dei in homine conditio?

Senex. De hac audiamus Athanaſium

naſium differentem. Is namque dè reſtauratione imaginis, ad quam homo conditus fuit ab initio, ſed per peccatum ſordidatæ ac perditæ, eleganter *libr. 2. de incarnation. verbi*, ſic ſcribit: *Minime oportuit perire, qua ad Dei imaginem fuerant condita. Quid igitur aliud fieri debuit, niſi vt imago iterum innouaretur, ne per eam poſſent illum rurſus homines agnoſcere? Hoc autem quo pacto fieri poterat, niſi imago ipſa Dei, ſaluator noſter Ieſus Chriſtus aduenisſet? Nam per homines quidem poßibile non erat, cum & ipſi eſſent ad imaginem conditi: Ne per angelos quidem; neque enim vel ipſi imagines ſunt. Vnde per ſeipſum aduenit Dei verbum, vt velut imago Patris ad imaginem ſuam conditum recuperare hominem poſſet. Id autem fieri nequibat, niſi mors atque corruptio ſublata eſſet. Vnde neceſſario mortale corpus aſſumpſit, vt & mors in ipſo iam deſtrui poſſet, rurſuſque renouarentur homines ad imaginem Dei conditi. Non igitur ad perficiendum alio, quam imagine paterna opus fuit. Sicut enim cum picta vſpiam imago exterioribus ſordibus ferme fuit obliterata, rurſus illum aduenire neceſſe eſt, cuius eſt forma, vt in eadem tabula poßit imago reformari. Nam pro honore picturæ, ipſa quoque materia minime abiicitur, ſed in ipſa denuo pingitur: Ita & ſanctißimus filius, imago ſcilicet Patris, ad noſtra deſcendit, vt factum ad imaginem ſuam hominẽm renouaret, ac per remiſſionem peccatorum antea perditum inueniret.* Hactenus Athanaſius. Ex his Athanaſij verbis elucet, non ad creaturæ, ſed ad creatoris imaginem, conditum eſſe hominem. De cuius inſtauratione extat apud D. Paulum, *Coloſ. 3.* vbi vetus homo, ſeu illa ſordidata imago depingitur. Et *2. Corinth. 3.* notitia Dei tanquam pars illius imaginis deſcribitur. Eaque imago (integra ſcilicet) inſcripta erat initio cordibus. *Rom. 2.*

IVVENIS. Quæ fuit autem nuditatis primorum parentum conditio, anne primi noſtri parentes ante peccatum nuditatẽ ſuam verè intellexerunt? *Nuditas primorum parentum.*

SENEX. Quidni? Nouerant equidem, ſe cutem nec piloſam nec veſtibus tectam habere. Sed iudicium honeſti & inhoneſti eſt mutatum. In ipſo facto præſtrinxerat vtrique oculos ſatan, poſt paſſus eſt aperiri, vt quid feciſſent viderent. Lex & conſcientia mille teſtes reuixit & arguit vtrumque criminis admiſſi. Hinc turpitudinis cenſura & fuga ſancti iudicis. Ambroſius *cap. 3. de Paradiſo.* ſpoliatos fuiſſe, ait, ſinceritate, ſimplicitate & virtutum tegumento, atque adeo nudatos, quomodo Aaron & Manaſſes nudauerunt populum per idolomaniam.

EQVES. Nimirum ſophiſticus Doctor ſatan ſophiſticum in eis peperit iudicium, vt cum prius ſapienter

ter vere iudicarent, iam apparenter & ſophiſticè. Equidem nudi erant, iſtius nuditatis ſibi bene conſcij, ſed tamen ſine pudore, cui nimirum coniuncta eſt ignominia. Honeſtum namque pudorem & verecundiam, quæ virtus aut ſaltem affectio cum virtute eſt, habuiſſe primos noſtros parentes ante lapſum, nemo opinor negauerit. At cum conſternatione & concuſſione animi, tanquam ex dedecore, paſſionem ignorabant. Natura enim hæc illis erat, qua creati fuerant, nec iudicium cuiuſquam de ſe ſiniſtrum vereri, vllaue culpa palleſcere cogebantur.

IVVENIS. Nimirum hinc elicitur, naturalia per ſe nec honeſta eſſe nec turpia, ſed actione vel opinione demum talia fieri: Non tamē ſenſu Aetij hæretici, qui vitam naturalem negauit eſſe peccatum, & voluit, perinde eſſe ſcortari, ac neceſſaria opera naturæ agere, aurem ſcalpere, nares emungere, &c. Sed neque Mitionis illius Terentiani, negantis flagitium eſſe, hominem adoleſcentem ſcortari, potare, &c. Proinde primæua & concreata iſta nuditas non fuit peccatum, ſed nuditas iuſtitiæ originalis, ipſa peccatum grande fuit. Verenda ante lapſum detecta eſſe, naturale erat; nec quiſquam hoc vitio aut dedecori dat beſtiis etiam nunc. Sed peccatum maxime hic poſtea ſe in oculos ingeſſit. Itaque ne in ſpeluncam & cauernam eius tenebroſam admitteretur clarum Solis lumen, quæſita ſunt à lapſu Perizomata; ſicque hodie apud gentes ciuiliores veſtimenta ſunt labis primæuæ & turpitudinis velamenta.

SENEX. Hæc nimirum erat illa per morſum pomi quæſita intelligentia. In paradiſo, vbi aer commodus ad viuendum, aut ſi exceſſu qualitatum fuiſſet moleſtus, confugium ad arbuſta præſto erat, veſtitu non indigebant homines. Ideo & nudi degebant. Cum vero tranſgreſſi eſſent mandatum, aliquid ſibi adeſſe animaduertebant, non quidem quo natura iuuaretur, ſed opinio deformitatis tolleretur. Iam incipiebant de operibus Dei ad inſtar momorum, malè iudicare, quaſi qui omnia optima facere voluiſſet, videretur alicubi defeciſſe. Non placebat verendorum nuditas, id turpitudinis erat argumentum. Cætera non audebant reprehendere. Atque hanc verendorum nuditatem, textura foliorum ficus conabantur velare. Tam inopes erant conſilij Protoplaſtæ, vt vnde veſtitum peterent, non inuenirent. Iungunt ipſi quidem folia ficus, quæ amplitudine ſua fortaſſe non paruæ, ſtaturæ Adamum & Euam non-

nonnihil potuerunt tegere. Indica enim ficus, quam Muſam vocant, folia habet longa tres cubitos, ſeſquicubitum latos. Sed inepta ſunt ad togas & amicula eiuſmodi, quæ arcere poſſint frigora, & in opere ruſtico durare. Hiſcunt rimis ſemper, atque etiam à ventis lacerantur. Quod ſi fuerunt ficus vulgaris folia, adhuc ineptius ſe veſtierunt. Sed enim Deus beneficus etiam poſt offenſionem grauiſſimam, vt ſaluti per mediatorem promiſſum proſpexerat, ita & temporaneæ incommoditati, quæ iam extra Paradiſum in locis deſertis & ſylueſtribus (coli enim debebat terra, quippe quæ extra horti ſepimentum inculta erat) ſuſtinenda fuerat. Pelliceas eis facit tunicas, ſeu togas vel pallia, forte in eam formam, quam Elias Theſbites geſſit, quamque affingunt Herculi & D. Iohanni Baptiſtæ: ἐποίησε χιτῶνας δερματίνους, καὶ ἐνέδυσεν αὐτούς. Deum oportuit eis præire arte, & ſartoriam monſtrare, imo etiam tãquam pueros induere.

EQVES. Varia varij de his tunicis pelliceis comminiſcuntur. Analógia cum agninis præclara eſt, nec caret myſterio. Cæterum non neceſſe fuit, Deum occidiſſe oues, ex quibus ſumpſit pelles, vtpote qui excitare ex materia nouas potuit, ſicut ſerpentes ſenectam mutant noua cute, & ſicut coſtam Adami ſarſit.

SENEX. Credibile eſt ouillas pelles fuiſſe à Deo confectas, qui forte monſtrauit prius victimas ex agnorum genere. Cuius pecudis figuram ſuſtinere ſemen promiſſum voluit, ſeque etiam agno paſchali adumbrare. Hinc dulce ſimul leuamen exortum eſt primis parentibus etiam intuitu veſtis. Et certè niſi Deus fuiſſet autor ſacrificandorũ omnium, ſacrificiũ Abelis non approbaſſet, quippe qui electitiũ cultum Natan & Abihutam ſeuerè puniuit. Autore Deo Adam agnos Deo obtulit, & in eſſentiali agno eũ placauit; quod imitatus eſt & Noah poſt diluuium, Deo ſuſcipiente benigne ſacrificium. Atque è pellibus relictis forte in ſomno quomodo veſtimenta fieri debeant, docuit oraculum. Neque enim veriſimile eſt, Deum ipſum aut lanium egiſſe aut ſartorem.

IVVENIS. Hem prauam mulieris Euæ vafritiem, quæ tantam orbi terrarum per inconſultam illam eſus pomi concupiſcentiam inuexit calamitatem. Quiduis aliud quam arboris vetitæ fructum comedere ſatius fuiſſet, ſic enim nos magno curarum victus & amictus, quibus comprimis per totam noſtram vitam angimur, onere ſubleuaſſet. Sed eheu

Perdidit in puncto quod non reparatur in æuum.

Etſi namque etiam poſt lapſum homines ex veſtitu quadantenus capiunt

Hominũ veſtitus. piunt voluptatem, maior tamen voluptas ex ipſa corporum nuditate fuiſſet hauſta. Nam vel ipſa reminiſcentia cauſæ cur veſtiri cogamur, non minus ac gilui pauonis pedes, voluptatem noſtram ac cõplacentiam deſtruunt. Quibus addo, quod nil quicquam homo à ſe & in ſe habet, quo poſſit veſtiri, ſed omnia ac ſingula à brutis animantibus, imò verò etiam ab inanimantibus mutuare cogitur. Vſque adeo, vt ſi hominem veſtiendum vnà cum iis quibus veſtiri debeat, depingere velis, lupis, ouibus, ceruis, bobus, vitulis & quibus non? vndique circumfuſum rectè depinxeris. Proindeque bruta melioris propemodum conditionis quã homines eſſe videri poſſunt, cum etiã beſtiolæ abiectiſſimæ, quales ſunt araneæ, bombyces, &c. intra ſua quaſi viſcera, veſtes quibus ſe inuoluunt, ac eædem ipſæ texunt, ſecum deportent.

SENEX. Homo per lapſum ſeipſo minor factus eſt, qui dum ſibi ſufficere delegit, ab illo qui ei verè ſufficit, defecit. Hinc grauiter admodum Auguſtinus *lib. 14. de ciuit. Dei cap. 13.* Ab initio, inquit, ſancti & iuſti eramus. Quoties dico, eramus, toties ingemiſcamus, quod theſauros incomparabiles amiſimus. Homo naturæ ſuæ nobilitate, quã in creatione ſua acceperat, primus fuit inter creaturas corporeas: poſt nobilitate ſua cadens peccato, factus eſt vltimus inter omnes creaturas: nec mirum; quia cum omnes aliæ creaturæ firmam ſtationem ſeruent, nec ab ordine ipſis à creatore præſtituto declinent, ſolus homo peccando, à Deo receſſit, & ſeipſum corrupit. Hæc Auguſtinus. Sed quia aliud te intẽdere, ex ore quadantenus acuminato auguror, iſtud, ſi lubet proſequere.

EQVES. Aranearum & bombycum obliquam fecit mentionem iuuenis, quorum tamen textu an non adeo ſicco pede prętereundam eſſe autumo. Aranea namque telam miro texit artificio, ad vicina omnia adminicula ſurſum deorſumque & vndique filo ducto & decurſu facto eam ſuſtentans & fulciens. Ac quamuis inceptum pendenſque opus ancillarum diligentia excutiat, percutiatque, nihilominus ſedes & incunabula ſua non deſerit, nec ab incepto deſiſtit aut deterretur opere, plura longe pauco tempore interrupto operi attexens, quam multo labore retextum fuerit. Et veriſimile eſt, non aliunde textores, linteones, limbolarios & acupictores artes ſuas didiciſſe, ſeu contextus perfectionem & fili ſubtilitatem ſpectes ſeu telæ continuæ nodos nexuſque indiſſolubiles attendas. Hæc enim nullis abrupta aut interſecta filamentis, membranæ tenuiſſimæ inſtar habet *Aranearum textura.* quodam velut perũcta glutine, quo aranei irretita animalcula capi-

do incurſu contractiſque tanquam caſſibus & retibus implicant & captant, Venetorum ritu. Fabuloſa hæc viderentur, niſi eiusmodi eſſent, vt quotidie oculis cernerentur. *Bombycum induſtria.* Sed nec minor eſt bombycum induſtria, de qua, in nidis conſtruendis, in lanis telisque texendis, quibus magnificè veſtiuntur reges, mira ſcripſere Philoſophi. Et quis in tam puſillo animalculorum tantas ingenij dotes, & tantam totque diuitiarum parentem ſolertiam nõ mirabitur? Ex quo quidem diuina etiam prouidentia inſigniter innoteſcit, non ex eo tantum, quod animantia propriis & ſingula ſuis dotibus exornauit; ſed multò magis, quod horum minimis plus prudentiæ, ſolertiæ & induſtriæ largita eſt ad virium corporearum ſarciendum defectum.

Prouidentia diuina. SENEX. Quia prouidentiæ diuinæ mentionem aliquam facitis, ego paucis de ea dicam, non quidem ex profeſſo, ſed incidenter duntaxat. De prouidentia itaque diuina quo ad creaturas a Deo conditas ſic habetote. Deus poſt conditam naturam rerum non deſiit agere, nec diſceſſit ab opere ſuo, vti faber diſcedit ab extructa naui, & relinquit eam nautis perpetuo adeſt [illegible] creaturæ, & eam [illegible] & conſeruat: Deum enim non tantum creatorem cœli & terræ, ſed & perpetuum rectorem & conſeruatorem confitemur. Hanc [illegible] immenſam Dei prouidentiam Philoſophi quoque veteres agnouêre. Plato namque plerisque locis diuinã prouidentiam glorioſe prædicauit. Claudianus verò *lib. [illegible] in Ruffinũ.* hanc de diuina gubernatione quæſtionẽ ſubtilius diſputat dũ ita canit.

Sæpe mihi dubiam traxit ſententia mentem,
Curarent ſuperi terras, an nullus ineſſet.
Rector, & incerto fluerent mortalia caſu.
Nam cum diſpoſiti quæſiſſem fœdera mundi,
Præſcriptoſque maris fines annique meatus,
Et lucis noctiſque vices: tunc omnia rebar
Conſilio firmata Dei: qui lege moueri
Sidera, qui fruges diuerſo tempore naſci
Qui variam phœben alieno iuſſerit igne
Compleri Solemque ſuo: porrexerit vndis
Littora: tellurem medio librauerit axe.
Sed cum res hominum tanta caligine volui
Aſpicerem lætoſque diu florere nocentes,
Vexarique pios: rurſus labefacta cadebat
Religio, cauſæque viam non ſponte ſequebar
Alterius, vacuo qui currere ſemina motu

Affir-

Affirmat, magnumque nouas per inane figuras
Fortuna non arte, regi. quæ numina ſenſu
Ambiguo vel nulla putat, vel neſcia noſtri.
Abſtulit hunc tandem Ruffini pœna tumultum
Abſoluitque Deos. Iam non ad culmina rerum
Iniuſtos creuiſſe queror: tolluntur in altum,
Vt lapſu grauiore ruant.

Nunc cœptum veſtrum ſermonem, ſi lubet proſequimini.

EQVES. Fabricam humani corporis conſiderare, noſtrum quidem eſt ἔργον atque inſtitutũ; non iniucundum tamen interim fore opinor, ſi quædam πάρεργα, atque ea quidem, quæ inſtituto noſtro conueniũt, vbiuis inſeramus, quippe lucem noſtris diſcurſibus daturá haud inamœnam. Perſtringemus nimirum naturam & tantum non fabricam, quippe cuius tractatio longioris eſſet moræ, quorundam animantium. Atque equidem ſi ipſarum naturam diligentius intueamur, ſemina quædam omnimodæ notitiæ ipſis inſita eſſe, certis euidentibus argumentis conijcimus.

Formicarum induſtria. Dicendi initium a formica, animátium propemodum minutiſſima, faciam; quod eo minus facere verecundor, cum etiam ipſe Salomon rex ſapientiſſimus diligentiæ exempla a formicis ſegnes exquirere iubeat. Plinius certe *lib. 11. & 20.* elucere inter ipſas Reipublicæ benè conſtitutæ beneq; moratæ formam inſtruit: quam enim iucundum eſt ſpectaculum, eas intueri, mordicus comprehendere fructus quos volunt congerere, atque aduerſus eorum pondera toto corpore atque humeris obniti; ne verò quæ in horrea ſua reponunt ſemina germinare atque radices agere poſſint, eá parte arrodere? Si craſſiora illa ſint, quam vt queant in ſuas cauernulas ſubire, media ipſa diuidunt. Si humore madeant, in ſolem & apricũ proferunt, quo exſiccentur. Luna plena de nocte operas faciunt, ipſa ſilente quieſcunt, in quo ſe rerum cæleſtium ſignificationem aliquam habere demonſtrant. Teſtatur Plinius ſtatiuas nundinas & emporia ipſas habere, vbi frequentes conueniát mutuoque amicitiæ & charitatis iure ſe deuinciant, atque ſi intentius eas intueare, colloqui ipſas inter ſe atque vltro citroque de rebus ſuis ſermones ſerere putes. Quinetiam in duris ſilicibus impreſſa crebro attritu pedum ipſarũ cernimus veſtigia. Sed & inhumationis officia ſibi mutuò hominum ritu præſtare ſcripitant. Mutuæ etiam charitatis ſuæ argumenta in eo oſtentant, quod ſi occurrant in calle anguſto, exoneratæ oneratis de via excedunt, quo liberius inſtitutum iter perſequi queant. Atqui primum ipſarum in ſpeluncam

ingreſſum haud rectum eſſe, ſed multis gyris & circuitibus intortum, qui tandem in tres cauernulas deſinant ducantque in quarum vna conuentus ſuos habent, in altera annonam reponunt, in tertia mortuorum cadauera inhumant.

Vrſus formicas quomodo decipiat. IVVENIS. At hoc ipſum à te tantopere deprædicatum animalculum ab vrſo, improuido alioquin multis nominibus animãte, (quippe cuius ferocem impetum venatores vel nudo ad baculum appenſo pileo facile eludere ac proſternere norunt,) ſæpenumerò decipitur. Eſtque mira vrſorum in alliciendis & irreciendis formicis aſtutia. Formicarum cauernas ſeu foramina vrſi taciti adeunt, illicq; humi toto corpore velut exanimes fuſi; linguam ſaliua madidã exerunt, nec ipſam antè in palatum reuocant, quam eam formicis humoris dulcedine illectis differtam ſenſerint, hocque deuorato, tanquam cathartico, noxios quibus grauantur humores per inteſtina depellunt.

EQVES. Huiuſmodi ineſcationibus haud mirum eſt decipi animalcula iſta, quã etiã ipſi homines haud rarò identidẽ decipiantur ineſcationibus, vſq; adeò vt etiam ab ipſis perdicibus, imò ab ipſis leporibus ineſcari ſeſe ſæpenumero patiãtur. *Perdicum calliditas.* Perdices nãq; quãdiu fœtus volãdi per tenellam ætatẽ ſunt impotentes, docent eos ſupino deſubtus iacentes inter terræ glebas ſe abdere, vt ſic venatorũ oculos fallant coloris ſimilitudine: quod ſi nihilominus videant, venatores illis inſtare atque imminere, variis ludificationibus & corporis iam quaſi volando defeſſi, declinationibus ita agunt, vt à fœtibus illis ſuis, longè venatores ad ſe captandum abducant, quod vbi conſecutas putant, iam pleno volatu quaſi recuperatis nouis viribus ſe ſubducunt. Nec minus miranda ſunt, quæ de leporibus produnt. *Leporum calliditas.* Cum enim ſe in ſua latibula recipere volunt, variorum locorum, ſæpe etiam duorum iugerum ſpatio à ſe inuicem diſtractorum quaſi fidei fœtus ſuos committunt: ne ſi forte venatorẽ ſeu canem ſeu hominem per ea loca deerrare contigerit, omnes vno capturæ periculo inuoluantur. Inde vbi plurima pedum ſuorum veſtigia hac illac omni ex parte expreſſerint, quo venatorum aſpectum & canũ ſagacitatẽ fallant, vno aut altero ſaltu in ſua ſe latibula ſubducũt.

Herinacei prudentia. IVVENIS. Non his inferior eſt herinacei prudentia, perſequente enim ac iam imminente vulpe ſeſe intra ſpinatos aculeos ſuos agglomerat, caſtaneæ echino ſuo inuolutæ inſtar: ſic vt vndiq; acutis in orbẽ horridis ſtimulis circumtectus lædi nequeat, hacque arte ſibi cauet. Fœtibus autem ſic vindemiarum tempore in vineas properat, illic pedibus acinos & racemos decutit, corporisque rotatione aculeis ſuis trãſfixos

fixos, tanquam onus ſibi imponit, inq; ſpeluncam inde ſe recipit. Vuá diceres, propriis ſe motibus agitá té; prædá ſibi & proli partitur. Idé circa pyra pomaq; cum eſt tempus ad eam rem idoneum, molitur.

Ædificiorum ſtructura ab auibus.

EQVES. Non cludũtur tátum ſed etiá docentur ab animantibus homines. Eſtq; inter cætera, Auiũ in extruendis nidis tãta induſtria, vt latomorũ architectorumq; omniũ artem & induſtriam facile ſuperet. Hinc in prouerbium abiit. ſcire omnia & aſſequi homines prǽterquã auibus nidos cõſtruere: hos enim intus lana pluma & eiuſmodi rebus mollibus faciunt, vt fœtibus ſint inſtar culcitræ. Hirundines nidos figura ſphęrica extruunt, quod ea fit minor ſit & occurſantiũ iniuriæ minus patens ac prǽterea capacior. Ex luto paleiſque & intericcto ſtramine [illegible] materiá ſibi deligunt tanquã ex ſigmino & calce. Quæ in arboribus nidificãt aues, ramalia ſibi ſolidiora deligũt, tanquá in firmius futuri ædificij fundamẽtum. Nihil iam dicam de brutorum præſagiis, medicamentis omnigenaque rerum quarumuis ſolertia.

SENEX. Sed illa ſolertia vt plurimũ ab inedia & plagis naſcitur. Sic accipitrarios inediante inedia intuemur condocefacere aues rapaces ſolertiam, qua præpetibus pennis in aëra ſublimes elatæ, certamé cũ aliis auibus meãt, victas & exanimes in terram decutiant: qua in re perficiéda ſæpius in nubes ſe licentius attollunt, ſic vt è conſpectu accipitrariorum ſe ſubducant.

Brutorum ſolertia per artem.

Canis.

EQVES. Canes, ſimiæ & equi corpora per circulatorum circulos tranſmittere diſcunt. Narrat Plutarchus, circulatori canẽ fuiſſe, qui in ſcęna, multa pro renata & fabulæ arguméto repræſentaret. Inter cætera omnẽ admirationem in eo ſuperauit, quod ingeſto pharmaco ſoporante mortuũ egregie finxit. Primum enim vertigine velut oborta cœpit contremiſcere, mox cadere, fuſuſque humi moribunda membra contrahere. Denique tanquam verè mortuus rigere, quin & permiſit ſe per varia theatri loca varie aptari, ita poſcente fabula. At vbi ex tuis quæ agebantur, dicebãturq; agnouit exurgẽdi tempus eſſe: primò cœpit membra ſẽſim commouere, quaſi ex profundo ſomno excitaretur. Mox capite paulum erecto, hac illac circumſpicere, magna omnium adſtantium admiratione, exurgere deniq; atq; alacris ad eum quem decebat, perquam familiariter ſe conferre; quo ſpectaculo Veſpaſianus, qui tum præſens in Marcelli theatro aderat nullum antea viderat lætius.

Elephantes.

IVVENIS. Mira ſunt quæ de Elephantum narrantur ſolertia ſcribit Plinius *libr. 8. capit. 1.* Elephantes ad humanum ingenium proxime accedere, rudemq; nonnullorum idiomatis habere; miram alio-

rum eſſe in obſequiis facilitatem, miram memoriam in ſoliris muneribus obeundis. Quod ad religionem attinet, prodit Plutarchus eos duſpreces fundere, ſe aqua marina luſtrare, ſolem orientem proboſcide manuum loco in cælum elata, pio ritu & magna obſeruantia colere. Addit Plinius cultu lunam ſtellaſque illos proſequi: nam & Arabum memorant hiſtoriæ, noua luna magnis agminibus Elephantes in flumina deſcendere, illic ſe aqua abluere, luſtratos lunam flexis genibus venerari, inde in ſyluas ſe recipere ſeniore præeunte, & inde pro ætatis ratione ſequentibus cæteris. Contigiſſe aliquando narrat Plutarchus, vt ex Elephantis, qui ad ſpectacula panegyrica Romæ inſtruebantur, vnus tardiore eſſet ingenio & minus docili, quo nomine ſociis erat contemptui, & plagas ſæpe à magiſtro ferebat; Hunc vero, quo diligentia illam ſuppleret ingenij tarditatem, ſæpe obſeruatum de nocte, ad lunæ lucentis radios ea meditantem & recolentem, quæ interdiu a magiſtro acceperat. Nam literas ducere ac pingere, coronas adſtantibus afferre & alia ſimilia ludicra edocentur. Cæterum in regiones peregrinas traiecto mari tranſportandi nunquam adduci poſſunt, vt nauim conſcendant, quin a magiſtro fide data de reditu in natale ſolū certiores facti fuerint. Nunquā quenquam lædūt, niſi prouocati: nunquam mas fœminam init, niſi in abdito; verecūdi animi argumentū. Hæc Plin. *li.8.c.5.*

SENEX. Quod de Elephantum religione proditum eſt, ſi ad rei veritatem loquendum erit, Deos colere vel diuinæ maieſtatis ſenſum aliquem habere dici non poſſunt. Quî enim rerum ſublimium & Dei notitiam aliquam habere poſſent, cum ad paſtū abiecti, cæleſtia meditari neſciant?

EQVES. Facta eſt paulò ante mētio ſimiæ, ridiculi illius animalis, quodq; multos ludos hominib. parat dum humanas actiones imitatur. Memini vidiſſe me (inquit Ambroſius Pareus *in opere ſuo chirurgico, lib.1. de animantibus fol. mihi 52.*) in ædib. Ducis Somei, prægrādem ſimiam & moroſam, cui quod multis moleſtus eſſet, manus abſciſſæ fuerant; ſibi curationem admoueri paſſus, cum vulnera cicatrice obducta fuiſſent, mitior euaſit ac docilior. Ergo veſte viridi amictus, ex cingulo quo præcinctos lumbos habebat, conſpiciliorum thecam, par cultellorum, & puerile ſudariolum appenſa gerebat. Culinæ præfecto in diſciplinam traditus, quod in foci angulo domicilium ſibi delegiſſet, multa ludicra & feſtiua edoctus eſt. Si quādo a doctrina præceptiſq; aberraret, dicto citius in eius dorſum lūboſq; cōuolabant verbera, de quotidiano victu multa detrahebantur; quod vt ait Perſius:

De ſimia, ridiculum.

Perſius: *Magiſter artis ingeniiq; largitor ſit venter.*

His artib. breui tantum profecit, vt omnib. ſuæ ætatis ſimiis, ingenij gloria facili antecelleret: nulluſque peritior haberetur ſaltando ad fiſtulam, ad palum excurrendo, corpus per magiſtri cinra incredibili agilitate tranſmittendo. Omnia denique ſtrenui ſimij opera faciundo, fercula reuerenter admodum cum corbulonibus & ſportularis deferebat. lances & catinos linctu emundabat: alia infinita obſequia præſtabat, ſic vt vulgò *Magiſter Iohannes fac totum*, diceretur.

IVVENIS. Ridiculi omnino ſunt ſimiarum geſtus, hominumque mores neq; adeo ſæpenumero repræſentant, vt exinde quidam ſimiam de natura hominis aliquid participare, imò ſimiam neque hominem neque brutum, ſed medium inter vtrumq; eſſe crediderint. Eſt alioqui ſimia ferox beſtia, quæ tamen eo quo dixiſti modo cicurari poteſt.

Bruta ferociſſima cicurari poſſunt. EQVES. Non ſimia duntaxat, ſed & quæuis alia etiam ferociſſima bruta cicurati poſſũt. Narrat Theuetus *Coſmogr. tom. 2. lib. 16. cap. 7.* Cairi Memphis olim fuit Conſtãtinopoli habere in delitiis altiles, feras crudeles plurimas, vt Leones, Tigres, Leopardos, Lupos ceruarios, Camelos, Echinos & alias multas huius generis prodit: has catenis ferreis vinctas per vrbẽ ad ſpectaculum ducunt. Magiſtri campanulis cinguntur, quarũ ſtrepitu plebs ſibi cauere ab improuiſo harum ferarum impetu iubetur: ſed ſpe præmij & muneris illecti ipſarum ſpectaculum peregrinarum nationum legatis & magnatibus viris exhibere geſtiunt, coram quibus belluas mille ludibria oblectamenti plena edere cogunt: interim modis & numeris patriis tibias inflant, & alia organa muſica pulſant, comœdias agunt, colluctantur, ſtipi inhiantes.

Bruta aquatilia. IVVENIS. Longe vero admirabilius eſt, manſueſcere & condocefieri humanis artibus aquatilia bruta, in quo cenſu inprimis habentur anguillæ. Multi idem de Murena prodiderunt. Nam & ſcriptum legimus, M. Craſſo Murenam in piſcina fuiſſe adeò cicurem, & condocefactam, vt illi ad arbitrium eſſet obſequens. Itaque velut domeſticę & mãſuefactę belue nomẽ impoſuerũt, quo aduocata accurrebat. *Murena.*

Crocodilus. EQVES. De Crocodilo teſtatur Plutarchus, quod cicuratus condocefactuſq;, ab homine, non modò humanã vocẽ audit, vocatuſque reſpõdet, ſed & manu tractari ſe patitur diductaq; gula dentes ſibi ſcalpi & mantili abſtergi.

Brutorũ mutua colloquia IVVEN. Magis verò admiratione dignũ eſt, ꝙ bruta mutuò ſe ex voce agnoſcunt, ſic vt colloqui inuicẽ & ſibi reſpondere videãtur, dum auribus abblandientes nares cõtrahunt

cum

Brutorū mutua colloquia.

cum gratioſo oculorum obtutu: ac quamuis ſermo hominibus ſit datus, vox tamen illa brutis naturalis, cum ipſis vſum præſtat quem nobis ſermo. Omnes enim eiuſdem ſpeciei aues, tanquā eiuſdē ſoli homines, ſibi occinūt & intercinunt, cū homines niſi eiuſdē nationis hominum vocem non agnoſcūt. Quare nō magis Scythæ apud Ægyptios ſuus ſermo prodeſt, quā ſi mutus eſſet: nec qui Ægyptij Scythicā vocē audiunt, magis intelligūt, quam ſi ſurdi eſſent: itaque Ægyptius Scythæ mutus ſurduſque eſt. Idipſum qui peregrinantur, facilè intelligunt. Quot enim pericula, quot moleſtias ſubire coguntur, quot mentis ſuæ ſenſa exprimere & vitæ neceſſaria poſcere nequeant. Itaque in linguæ inutilis ſubſidium cogimur reliqua membra aduocare ac capitis, oculorum, manuum & pedum geſticulationibus abuti. Profectò non eſt tam miſera brutorum conditio, cum omnia eiuſdem ſpeciei vbicunque locorum ſint, ſibi nota voce reſpondeant

Auium ſermocinatio.

EQVES. Imò verò aues etiam humanas voces effingunt, in quarum numero ſunt Linariæ, G[illegible] Picæ, Cornices, M[illegible]. Corui, ſturni, pſittaci, [illegible] id genus aues quæ loquuntur, cantillantur, ſibilant, hum[illegible] aliorum animantium voces effingunt. In hoc genere pſittaci antecellunt, miri nempe ar[illegible] humanæ vocis ſequendæ, mirè alacres præſertim à vini potu. Narrat Plutarchus, tonſorem Romæ extitiſſe, qui in tōſtrina picā pulchrè loquacē habuit, quę ſua ſpōte, cogēte nemine, loquebatur, cū primū colloquētes homines audiebat. Omniū brutorum, quorū ſonus ad ipſius aures peruenire poterat, effingebat: imò etiā tympanorū, tibiarum & tubarū clāgorē, deniq; nihil erat quod non æmulari conaretur. Viſi ſunt corui loquentes, cantilenas pſalmoſque longioris etiam excurſus articulatè occinentes.

IVVENIS. Eccleſiaſtes Salom. *cap. 10.* vetat de potentibus & diuitibus in cubiculo loqui, quia aues cæli portent vocem, & qui habent pennas, annūcient verbum. En tribuit ſententia hæc & intellectum eorū quæ dicuntur, & ſermonis potentiam, quaſi hominum more, rationis & orationis facultatē habeant. Ac ſanè de pſittaco & coruis, piciſq, nihil [illegible] quod humanas voces qualibet lingua diſcant reſonare, quod aliqui, Elephantis etiam aſcribunt, quorum admirabile ingenium à multis prædicatur. Neander recitat hiſtoriam ſturni, qui cum à chirurgo quodam [illegible] didiciſſet Germanicū iſtud: Hüte dich für böſer geſellſchafft, *caue tibi a prauo ſodalitio*, [illegible]do elapſus ad ſturnorum [illegible]gantium gregē cum quo [illegible] aucupe iniectoreti iā erat iugulandus, ſæpe repetendo præconcepta verba mortē euaſit.

EQVES.

EQVES. Plinius *lib.10.c.42.* narrat idē de carduelibus, pſittacis, turdo, ſturno & luſciniis, Græco Latinoq; ſermone docilibus: Et de his præcipuè ſic ait: *Agrippina cõiux Claudij Cæſaris turdum habuit, quod nunquam ante, imitantem ſermones hominum, cum hæc proderem. Habebant & Cæſares iuuenes, item ſturnum & luſcinias, Græco atque Latino ſermone dociles: præterea meditantes diem, & aſsidue noua loquentes, longiore etiam contextu. Docentur ſecreto: & vbi nulla alia vox miſceatur, aſſidente qui crebro dicat ea, quæ condita velit addiſci aliquo blandiente.* Hæc Plinius.

IVVENIS. Neander ex Geſnero reponit de luſciniis noctu referētibus, quæ interdiu audierāt ad miraculum vſque, de quibus dicas etiam litera verum eſſe, quod Salomō de proditoriis auium pronunciauit. Iſtæ enim retulerunt ſingulis noctibus altercationes mariti & vxoris, conſiliaque de bellis & alia.

EQVES. Salomonis ſentētia de auium vocibꝰ proditoriis plana eſt. Videtur hæc ſententia reſpicere ad magnatum conſuetudinē, qui in aulis ſuis & cubiculis eiuſmodi aues nutriuerunt, vt aulicorum conſilia, & conſpirationes ex illis agnoſcerent. Quocirca præmonet, ne cum ſumus in eiuſmodi locis, quicquam ſuſpectum proferamus, ne iudicio auium pereamus. Ideo & de potentibus & diuitibus loquitur, qui non tantum magnam vim ad nocēdum habent, verum etiā per aues noſtra ſecreta captare conſueuerunt.

SENEX. Poteſt tamen etiā hæc Salomonis ſententia myſticè ſeu parabolicè exponi, nempe vt caueamus, ne quis inuidus & garrulus aut improuidus interſit noſtris colloquiis, multo minus autē fœmina, cum ne vxoribus quidem & ſororibus, quibꝰ ſolenne eſt pertuſos animos gerere, & dicta foras eliminare, conſtās ſit fides. Varium enim & mutabile ſēper animal fœmina, inquit Virgilius. Cæterum ſtupenda equidem propemodum eſt iſthæc auium docilitas. At horum omniū in homine cernimus quoddā quaſi complementum. Tanta eſt enim *Ingenij humani*
humani ingenij docilitas, tanta cor- *debilitas.*
poris obſequentis diuino illi ingenij muneri facilitas, vt non modo diuerſarum nationū tot idiomatis diſtinctarum linguas ediſcere & loqui poſſit: omnium brutorū licet toto genere ab humana ſpecie diſcretorum voces, non æmulari modo & effingere, ꝙ permulti hodie ſcurræ, alienarum menſarū aſſeclæ factitāt, ſed & intelligere, & quid portēdant aut ſignificent, noſſe valeat. In cuius rei confirmationem Apolloniū citāt Philoſophum, huiuſce rei ſtudio & notitia clariſſimū. Is cum aliquādo medio in amicorum, per patentē *Auium inter*
camporū planitiem deambulantiū *ſe colloquia à*
cœtu, ad paſſeres ſup arbore ſedētes *quibuſdam*
vnam aduolantē & multa garrientē *intellecta.*
intui-

intuitus eſſet, dixiſſe aſtantibus fertur: Illā quæ aduolauerat auem, reliquis ſua voce nunciaſſe, Aſinum frumento onuſtum ad vrbis portas procidiſſe, effuſo in terram tritico. Itaque experiendi gratia, vna cum Apollonio amici adſtantes omnes venerunt, remque vt narrauerat, ſe habere compererunt, paſſereſque aduenæ nuncio concitatas effuſa frumenti grana deglutientes animaduerterunt. Quod vero ad coruos picaſque attinet, humanas voces ſequi artificioſe edoctas, minus id eſt, quam vt eo nomine in contentionem cum hominibus venire debeant. Breui enim, quicquid multorum annorum opera & multarum noctium oleo didicerunt, deblaterarunt, eandem ſemper cantilenam tædioſe recinētes: quicquid garriāt, ſine ſēſu, ſine intellectu, ſine ratione eorū quæ loquūtur, garriūt. At homo ſemper altius aliquid ſpectās, maiora ſemper præſentib. meditatur, nunquam quieſcit, ſed infinito & inexhauſto cognitionis deſiderio flagrans, non ea modo quæ ad vitæ cultum ornatumque ſpectant, ſcire appetit, ſed & ſublatis in cœlum oculis atque mentis luminibus, diuina diſcit & intelligit. Quod cœleſtis noſtræ animæ originis tam certum eſt argumentum, vt hæc qui intuetur, dubitare nullo modo poſſit, quin ex vniuerſa mente diuina delibatos animos habeamus.

IVVENIS. Magna equidem humani ingenij eſt docilitas. At tanta interim in homine quanta in brutis non eſt certitudo præſagiendi. Prima namq; obſeruandarum in aëre & præſagiendarum tempeſtatū vis & notitia à brutis terreſtrib⁹, aquatilibus volatilibuſq; manauit. Quotidiana enim docet obſeruatio, aëris mutationem denunciari, cum agni & arietes petulco cornu in ſe inuicē incurrunt, & pedibus in aërem ſublatis crebro ſubſultu laſciuiunt. Idē portendi putant, cum bos oppoſito linguę linctu pilos inuertit, cum repetito ſubinde mugitu aërem implet, cum terræ odorem naribus explorat, cum ſolito auidius herbam depaſcitur. Sed & ſi formicæ denſioribus agminibus prædam trepide adeo connectent, vt per ſemitæ anguſtias in ſe inuicem incurrant, & alligantur, pluuias imminere putāt, vt & ſi talpę ardentius terram ſuffodiant, & ſi felis crebro affrictu caput collumque elatis ſuper aures pedū palmis demulceat. Piſces ſi ludibūdis ſubſultibus emergere, & corpus paulatim aquis exerere cernātur, in pluuiæ ſignum trahitur. Imminētis vero tēpeſtatis & ꝓcellæ in mari argumentū eſſe putāt, ſi idē Delphini magno agmine moliātur Itaq; inde nautæ admoniti ſibi rebuſq; ſuis omni arte cōſulunt, ac ſi fieri poteſt, anchoræ dente tenaci naues fundūt. Notum vero ſatis eſt, quid portendat ranarū ſolita importentior coaxati

Præſagiendi certitudo in brutis.

EQVI

Eqves. Auium quoque in hoc præſagiendi genere mira eſt ſuper reliqua bruta ſagacitas. Si tacite grues per aëra volant, ſerenitatis eſt indicium: contrariæ vero aëris cõſtitutionis, ſi clangoſa voce obſtrepant, & diſſipatæ volitent, vt & ſi aquaticæ aues lõgius à mari abſcedãt & in terram progrediantur. Noctua ſuo vlulatu præſentis cæli ſtatus in vtrumque mutationem imminentem portendit. Narrat Plutarchus, nimbos ventoſque portendere coruum, cum rauca voce altius crocitat, aut alis latera vehementius verberat. Quando anſeres aut anates aquis ſe mergunt auidius, & pennas roſtro diſponunt, explicant excutiuntque, atque adinuicem garriunt, pluuias denotant: Idem ſi hirundines ſic humiles circa aquas conuolant, vt ſe pennaſque ſuas humore aſpergãt. Aut ſi regulus amœnius ſolito cantillare & tripudiare cernatur: vel ſi gallus gallinaceus ſtatim ab occaſu ſolis occinat, vel occiſet potius, vel ſi veſpæ pulicesue acrius paulò momorderint. Si arcte præpetibus pennis cęlo ſe committat, ſerenitatem. Si contra iuxta aquas deuolet, pluuias denunciat. Si columbæ ad columbaria ſua ſerius ſe recipiant, pluuias ventoſque. Si veſpertiliones appetẽte nocte denſiore agmine conuolent, humidum tempus portendunt. Crocodilus eo demum loco oua ponit, quo exundationis Nili terminus eſſe debet. Itaque cui ea primum obuiam facta fuerint, is reliquis agricolis prædicit denunciatque quouſque Nilus debeat aſſurgere, & quos ſibi excurſus in terrã oras conſtituere debeat: res admiratione digniſſima tantã in hoc monſtro præſagiendi vim eſſe.

Senex. Cur homines naturæ inſtinctu futuras cœli & aëris tempeſtates non præſentiant, hæc ratio videtur eſſe: quod cum prudentiæ quoſdam igniculos à Deo acceperit, quorum cultu & ductu ad rerum cognitionem non fallaci, ſed certò ducuntur iudicio, aëris & tẽporum conditionibus minime obnoxij, vt beſtiæ ſunt. Itaque aërea illa omnia infra ſe, id eſt, animum ſuum poſita eſſe ſcientes pro re nata, & animi arbitrio etiam vdo procelloſo & caliginoſo in aëre dant ſe iucunditati, ſudo contrà & ſereno ſeueræ & triſti ſublimium aut anxietatis plenarum rerum meditationi. At beſtiæ tantum ad eam quæ adeſt quæque præſens eſt aëris faciẽ ſe accommodantes exultant aut cõtrahuntur, non iudicio aliquo vt homines, ſed pro corporum aëreas inclinationes ſequentiũ, humorũq; nunc diffuſorum, nunc coactorum temperie & cõplexione. Nec vero homini vitio tribui debet, quòd belluarũ voces æmuletur, imo magnæ ducendũ laudi, quòd rem vnam, id eſt, vocẽ infinitis modis torquere & variare poſſit. Ganniunt enim homines vulpiũ inſtar, canibus allatrant, por-

Præſagiendi vis cur non in homine, vt in brutis.

corum more grunniunt, ringũt frẽdentq; dentibus vt apri: rugiunt vt leones: mugiũt vt tauri: hinniunt vt equi: dentibus obmurmurant vt ſimij: vlulant vt lupi: rudunt vt aſini: caprarum & ouium ritu balant: gemunt vt vrſi, columbæ & turtures: ſtrepunt, gingriunt, glacitantque vt anſeres: ſibilant vt ſerpentes: garriunt vt ciconiæ: vocitant vt corui: coccilant vt galli: glociunt vt gallinæ: cornicantur vt hirundines & picæ: cantillant vt luſciniæ: coaxant vt ranæ: veſparum fremitum & apum bombum æmulantur: vt feles catuliunt. Auium vero concentus ad hominum ſymphoniã multiplici vocum varietate concinnam, vix voculæ rationem videtur obtinere. Hac enim regum & principum aures detinent, iras concitant & temperant, rapiunt extra ſe animos, & in quem volunt habitum transformant. Si quid vero habeant humanitatis immanes illæ beſtiæ, id totum homini debent. Cicurat enim leones, elephantes, vrſos, tigres, leopardos, pantheras & id genus alias.

Remediorũ notitia in brutis.

IVVENIS. Vnde vero tot remediorum notitia, qua nunc diues medicinæ ſcientia ſplendet, quam à brutis animantibus, vt eſt à Plinio proditum? Dictamni enim certas ad euellenda ſpicula vires cerui nos edocuerunt, quando venatorum telis impetiti, relicta in corpore ſuo tela eo remedio extrahunt. Idem Cretenſes capras factitare ſcripſit Ariſtoteles. Chelidoniæ herbæ ad viſum mera vis hirundinum documento innotuit, quod ea pullorum oculos illinere & roborare cernuntur. Serpentes palpebris fœniculo illitis ſeneſcentem oculorum aciem ſibi acuere & reſtituere creduntur: Teſtudo aduerſus viperarum morſus ſatureia deuorata ſe munit & tuetur. Vrſi contractum ex mandragoræ eſu venenum, formicarum eſu depellunt. Idem ventris ſegnitiem, quem ſibi ex veternoſo in ſpeluncis ſopore contraxerunt, Ari herbæ eſu caſtigant. Canes vulgo cernimus, gramine deglutito, quod inde & dens canis dicitur, ſtomachum ſibi vomitu mouere. Porci fluuiatiles aſtacos venantur, cum ſe ægrotare ſentiunt. Palumbes, merulæ & perdices, lauri folijs ſe purgant. Columbi, turtures, gallinaceumque omne genus, parietaria humorum ſibi ſarcinam leuant. Ibes ciconiæ haud diſſimilis clyſterum vſum nobis monſtrauit: dum enim humorum noxiorum copia ſe degrauari ſentit, roſtro aqua marina impleto ea ſe parte proluit, qua ventris onera reddi maximè ſalubre eſt. Decutiendarum oculi cataractarum inuentio capræ accepta ferenda eſt, quæ fortuito ad ſpinoſas frutices alliſa obſtruentem lumini ſuo & pupillæ cataractam deiecit, ſicque viſum

receipt. Inuentæ phlebotomiæ beneficium debemus Hypotamo, fluminis Nili equo incola, guloſus enim natura, cum ſe ſanguinis copia opprimi ſentit, ad acutiores ripæ cannas affricto femore ſibi venam pertundit, quæ ſuperflui ſanguinis onus à ſe exigit, ſiſtitq; cum par eſt, volutato per craſſum & obſtruentem limum corpore. Teſtudo comeſtis forte ſerpentis carnibus ac origano & maiorana antidotum petit. Quin & aduerſus ſæuam & nemini parcentem fulminũ vim, veteres à brutis auxilia ſenſere. Nã aquilæ pennas fulmine nunquam tangi crediderunt. Itaque ex his faſciculos plumeos capiti circumponebant: idem de vitulo marino perſuaſum habuerunt. Itaque ex eius pellibus corpora ſua cingere pro certiſſimo contra fulmina præſidio ſolebant. Cætera perſequi quæ à brutis animantibus didicimus, tuendæ vitæ & ſanitatis præſidia, ab Ariſtotele & Plinio fuſe notata, nimis longum eſſet & operoſum.

SENEX. Quantulum vero eſt id rei medicæ, quod à natura belluę edoctæ ſunt? nihil certe ad hominem, qui paucorum annorum ſtudio & vſu omnes medicinæ partes, tanquam vngues ediſcere, ac non ſibi tantum, ſed & in communem omnium vſum proferre poteſt. Et miror propemodum, quod adeo prolixi ac ſeduli eſtis in commendandis tantopere ijs, quæ ſiue per naturam ſiue per ſedulam atque indefeſſam informationem in brutis quandoq; animaduertuntur.

IVVENIS. Non fuit hactenus mea mens, in commemorandis brutorum dotibus, quod velim hominibus præferre bruta, aut quod brutis hominibuſque nihil intereſſe putem. Non fuit hoc meum conſilium, ſed tantum, ne nimium ſuperbiret homo neue male grat°, Deum tot beneficiorum, quibus circumfluit, autorem minus agnoſceret. Quicquid enim de beluis iactauerim, nulla eſt beluarum ad hominem comparatio. Hominis enim animus religione, iuſtitia, prudentia, magnanimitate, fide, pietate, modeſtia, clementia, fortitudine alijſque virtutibus tanquam luminibus cinctus eſt, quæ multo clariore luce emicant quam in beluis. In vno enim homine ſimul omnia inſunt, quæ ſingula in brutis putantur eſſe maxima. Cum enim ad Dei imaginem creatus ſit homo, fieri nequit, quantumuis vitiorum ſordibus ſe proluat, vt congenitum illud lumen ſic obſcuret, quia ſapientiæ illius diuinæ radius ſemper aliquis ipſi hæreat & affulgeat. Quamuis vero collatione ad bruta quædam, mancum quoddam & debile animal videatur: nulla tamen beluarum poteſt eſſe tanta fortitudo, nullum tantum robur, quod ho minis fortitudinem adæquare poſſit. Inſculpſit enim in homine Deus

Brutorum ad hominẽ nulla comparatio.

corum more grunniunt, ringũt frẽdentq; dentibus vt apri: rugiunt vt leones: mugiũt vt tauri: hinniunt vt equi: dentibus obmurmurant vt ſimij: vlulant vt lupi: rudunt vt aſini: caprarum & ouium ritu balant: gemunt vt vrſi, columbæ & turtures: ſtrepunt, gingriunt, glacitantque vt anſeres: ſibilant vt ſerpentes: garriunt vt ciconiæ: vocitant vt corui: coccifant vt galli: glociunt vt gallinæ: cornicantur vt hirundines & picæ: cantillant vt luſciniæ: coaxant vt ranæ: veſparum fremitum & apum bombum æmulantur: vt feles catuliunt. Auium vero concentus ad hominum ſymphoniã multiplici vocum varietate concinnam, vix voculæ rationem videtur obtinere. Hac enim regum & principum aures detinent, iras concitant & temperant, rapiunt extra ſe animos, & in quem volunt habitum transformant. Si quid vero habeant humanitatis immanes illæ beſtiæ, id totum homini debent. Cicurat enim leones, elephantes, vrſos, tigres, leopardos, pantheras & id genus alias.

Remediorũ notitia in brutis.

IVVENIS. Vnde vero tot remediorum notitia, qua nunc diues medicinæ ſcientia ſplendet, quam à brutis animantibus, vt eſt à Plinio proditum? Dictamni enim certas ad euellenda ſpicula vires cerui nos edocuerunt, quando venatorum telis impetiti, relicta in corpore ſuo tela eo remedio extrahunt. Idem Cretenſes capras factitare ſcripſit Ariſtoteles. Chelidoniæ herbæ ad viſum mera vis hirundinum documento innotuit, quod ea pullorum oculos illinere & roborare cernuntur. Serpentes palpebris fœniculo illitis ſeneſcentem oculorum aciem ſibi acuere & reſtituere creduntur: Teſtudo aduerſus viperarum morſus ſatureia deuorata ſe munit & tuetur. Vrſi contractum ex mandragoræ eſu venenum, formicarum eſu depellunt. Idem ventris ſegnitiem, quem ſibi ex veternoſo in ſpeluncis ſopore contraxerunt, Ari herbæ eſu caſtigant. Canes vulgo cernimus, gramine deglutito, quod inde & dens canis dicitur, ſtomachum ſibi vomitu mouere. Porci fluuiatiles aſtacos venantur, cum ſe ægrotare ſentiunt. Palumbes, merulæ & perdices, lauri folijs ſe purgant. Columbi, turtures, gallinaceumque omne genus, parietaria humorum ſibi ſarcinam leuant. Ibes ciconiæ haud diſſimilis clyſterum vſum nobis monſtrauit: dum enim humorum noxiorum copia ſe degrauari ſentit, roſtro aqua marina impleto ea ſe parte proluit, qua ventris onera reddi maximè ſalubre eſt. Decutiendarum oculi cataractarum inuentio capræ accepta ferenda eſt, quæ fortuito ad ſpinoſas frutices alliſa obſtruentem lumini ſuo & pupillæ cataractam deiecit, ſicque viſum

redi-

recepit. Inuentæ phlebotomiæ beneficium debemus Hypotamo, fluminis Nili equo incola, guloſus enim natura, cum ſe ſanguinis copia opprimi ſentit, ad acutiores ripæ cannas affricto femore ſibi venam pertundit, quæ ſuperflui ſanguinis onus à ſe exigit, ſiſtitq́, cum par eſt, volutato per craſſum & obſtruentem limum corpore. Teſtudo comeſus forte ſerpentis carnibus ac origano & maiorana antidotum petit. Quin & aduerſus ſæuam & nemini parcentem fulminũ vim, veteres à brutis auxilia ſenſere. Nã aquilæ pennas fulmine nunquam tangi crediderunt. Itaque ex his faſciculos plumeos capiti circumponebant: idem de vitulo marino perſuaſum habuerunt. Itaque ex eius pellibus corpora ſua cingere pro certiſſimo contra fulmina præſidio ſolebant. Cætera perſequi quæ à brutis animantibus didicimus, tuendæ vitæ & ſanitatis præſidia, ab Ariſtotele & Plinio fuſe notata, nimis longum eſſet & operoſum.

SENEX. Quantulum vero eſt id rei medicæ, quod à natura belluę edoctæ ſunt? nihil certe ad hominem, qui paucorum annorum ſtudio & vſu omnes medicinæ partes, tanquam vngues ediſcere, ac non ſibi tantum, ſed & in communem omnium vſum proferre poteſt. Et miror propemodum, quod adeo prolixi ac ſeduli eſtis in commendandis tantopere ijs, quæ ſiue per naturam ſiue per ſedulam atque indefeſſam informationem in brutis quandoq; animaduertuntur.

IVVENIS. Non fuit hactenus mea mens, in commemorandis brutorum dotibus, quod velim hominibus præferre bruta, aut quod brutis hominibuſque nihil intereſſe putem. Non fuit hoc meum conſilium, ſed tantum, ne nimium ſuperbiret homo neue male grat⁹, Deum tot beneficiorum, quibus circumfluit, autorem minus agnoſceret. Quicquid enim de beluis iactauerim, nulla eſt beluarum ad hominem comparatio. Hominis enim animus religione, iuſtitia, prudentia, magnanimitate, fide, pietate, modeſtia, clementia, fortitudine alijſque virtutibus tanquam luminibus cinctus eſt, quæ multo clariore luce emicant quam in beluis. In vno enim homine ſimul omnia inſunt, quæ ſingula in brutis putantur eſſe maxima. Cum enim ad Dei imaginem creatus ſit homo, fieri nequit, quantumuis vitiorum ſordibus ſe proluat, vt congenitum illud lumen ſic obſcuret, quia ſapientiæ illius diuinæ radius ſemper aliquis ipſi hæreat & affulgeat. Quamuis vero collatione ad bruta quædam, mancum quoddam & debile animal videatur: nulla tamen beluarum poteſt eſſe tanta fortitudo, nullum tantum robur, quod hominis fortitudinem adæquare poſſit. Inſculpſit enim in homine Deus

Brutorum ad hominẽ nulla comparatio.

diuinæ virtutis ſuæ characterem, cuius nomine fultus, omnia ſibi bruta haberet obnoxia & obſequentia. Ac licet ex his quæ antea dixi, rationis quædam vmbra brutis ineſſe videatur, non eſt tamen tenue id eius lumen in multos varioſq; vſus promptum & comparatum, ſed tantum eſt illis modo conceſſum prouidentiæ, quantum ſibi corporique conſeruando ſatis eſſet. At homini conceſſa ratio eſt ad æternæ fructus decerpendos, vt ait Lactantius, quo fit vt ſolus homo inter tot animantia, diuinorum ſenſum habeat. Quod ex eo intelligi putabat Cicero, quod vnus homo perceptam animo de Deo haberet notitiam. Itaque rerum omnium gerendarum adiumentis, ratione, oratione & manibus à Deo donatus: inſuper ingenio ſingulari ac prope diuino, facile brutis ſupereminet omnibus. Primum enim ratione duce res ad vitam neceſſarias adinuenit, rebus inuentis nomina ad earum naturam accommodate impoſuit, literas & characteres effinxit, artes omnes ingenuas & illiberales etiam excogitauit: metiendæ terræ & maris rationem commentus eſt.

Globi cæleſtis ſpatia, aſtrorum diſtinctiones, dierum & noctium, temporumque & tempeſtatum renaſcentium viciſſitudines, ſtellarum ortus & occaſus in hæc inferiora vires & effectus annotauit, & in artem coegit. Deniq, vel ſua vel aliorum de natura, de vita & moribus præcepta & placita, literis ad ſempiternam memoriam prodit. At vt homini corpus eſt à natura nudum & inerme, ſic & mens tanquam tabula raſa, in qua nihil depictum, nihil exſculptum eſt: verum in nuditatis ſubſidium manus habet, in ignorantiæ ſupplementum, rationem & orationem. Hiſque tribus rerum infinitarum tanquam miniſtris, corpus rebus omnibus neceſſarijs veſtit & munit: animam autem artium & ſcientiarum cognitione locupletat. Iam ſi congenita quædem haberet arma, illis ſolis vteretur: ſi artem aliquam ſciens naſceretur, reliquas ne attingeret quidem. Quia ergo vtilius erat, armorum omnium vſum ad manum habere, arteſque omnes callere, ideo ipſum naſcentem omnium expertem, omnium ignarum eſſe voluit.

EQVES. Sic nimirum homo omnium armorum loco manus habet, quibus tanquam omnium artium inſtrumentis bello & pace vteretur. Nihil taurorum cornibus eguit, nihil aprorum dentibus, nihil equi vnguibus, nihil denique vllis aliarum ferarum armis. Manuum enim beneficio alia arma longe vtiliora & tutiora tractare poteſt, vt lanceam, en-

ſem, haſtile, tragulam. Sed & arcu, funda & bombardario ſclopo homo vti poteſt eminus, cum cornu & vngula liceat tantum vti cominus.

IVVENIS. At enim Leo corporis celeritate hominem vincit.

EQVVS. Quid tum? num propterea inferior? Minime: manus enim opera & rationis ductu ſubiugato equo, leonem curſu prærerit, arbitrarioque acceſſu & receſſu victor perſequitur, aut impar fugit, ex equi dorſo, cui inſidet tanquam arce ab alta leonem, quibus viſum eſt armis, delecto deſignatoque oculis ictu confodit. Denique homini abunde præſidia omnia ſuppetunt, quibus ſe à reliquorum animantium impetu defendere queat. Ad hanc enim rem non ſe modo lorica cingit, ſed & æneis mœnibus, foſſa & vallo: armorum genera omnia manuum miniſterio molitur, veſtimenta ſibi texit, retia captandis piſcibus iactat, retrahitque: omnia denique quam feliciſſime vt viſum eſt, perficit, atque irrogato à Deo priuilegio, vniuerſæ terræ dominatur: omnia quæ terræ viſceribus latent, quæ ſupra terram progrediuntur atque repunt, quæ in mari natant & per aëra volant, vel vbique cœli concludantur ambitu, humani ſunt iuris.

SENEX. Zoroaſter in Magia, Hominis fabricam & perfectionem diu contemplatus tandem exclamat: ὦ τολμηροτάτης τῆς φύσεως, ἄνθρωπε, τέχνασμα; ac ſi diceret: tum naturam audax eſſe facinus molitam, cum primum de hominis Architecturâ cogitauit. Cum enim à Deo Optim. Max. rerum omnium opifice ſapientiſſimo, cum μεγάκοσμος, magnus & materialis hic atque inuiſibilis mundus; tum etiam μικρόκοσμος paruus mundus, & homo ſit conditus: Et vero quidquid magnus ille & ampliſſimus mundus habet, in ſe quoque veluti compendio quodam contineat homo: non puto DEVM minus operæ & induſtriæ adhibuiſſe, cum hominem, quam cum vniuerſum mundum procreauit: vnde nec μεγάκοσμος opificis ſui ſapientiam certius teſtari, quam μικρόκοσμος poteſt. *Hominis fabrica ex Zoroaſtre.*

Magnum ergo miraculum eſt Homo, in quo, vt olim dixit Triſmegiſtus, veluti in numiſmate Imperatoris χάραγμα, Dei archetypi imago cernitur: meritoque diuinum animal à nonnullis appellatur, & omnium viſibilium Dei operum præſtantiſſimum cenſetur.

Innuit hoc elegans concinnaque totius corporis diſpoſitio, ipſaque figura celſa & erecta, quæ

quæ in cœlum ſeſe ſuumque ad conditorem attollens, cæleſtes igniculos ac ſemina diuinitatis ſuæ teſtatur.

Cum enim vt Cicero *Lib.1.de legib.* ait, cæteras animantium naturas abiecisſet ac pactum ſolum hominem erexit, & ad cœli quaſi agnationis domicilijq; priſtini conſpectum excitauit, tum ſpeciem ita formauit oris, vt in eo penitus reconditos mores effingeret. Vnde egregie etiam Ouidius:

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram
Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
Iuſsit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Et Manilius lib.3. Aſtron.

—— —— —— ad ſidera mittit
Sidereos oculos propriumque aſpectat Olympum.

Teſtatur idem hoc omnium membrorum & organorum abſolutiſſima perfectio, quam cæteris animantibus rerum natura negauit. Sicut enim mens, vt ait Ariſtoteles, formarum eſt præſtantiſſima; ita illius organum inſtructiſſimam, & conformatione pulcher[illegible], perfectionemque ſumm[illegible] con ſec[illegible]tam. Inepta ergo, [illegible] impia & iniuſta illa Plinij & [illegible] querela, qua natu[illegible] fuiſſe nouercam cla[illegible]t. Quamuis enim natura [illegible]i non conceſſerit co[illegible] t [illegible]uo; viſum vt aquilis, [illegible], [illegible]t Leoni: Attamen quibuſdam præſidijs eum armauit, quæ cæteris animantibus denegauit. Dedit enim manus beluis denegatas, quibus ſe ſuumque corpus ab omnibus iniurijs externis cuſtodire & vindicare poſſit, vt quibus facile perſequatur, & efficiat, quæ animus iuſſerit. Intellectu denique & ratione eundem inſtruxit, cuius vi pelagus pertranſit, cœlum contemplatione intrat, aſtrorum motus & interualla dignoſcit, terram ac mare, ad ſuam vtilitatem accommodat, feras contemnit, ijſque dominatur, omnium artium cognitionem haurit, & ad methodum dirigit, cuncta poſſidet, ex omnibus voluptatem capit, angelis, & Deo loquitũ, ſicuti præclare & recte Georgius Niſſenus, *Philoſ. ſeu de homine lib.1.cap.5.* diſſerit. Nihil nunc dicam de partium omnium Symmetria & proportione mirabili, ad quam omnia referunt Architecti, & templa, ædes, nauigia, machinas conſtruunt. Quin arcam quoque Noe ad humani corporis menſuram atque proportionem exſtructam fabricaramque ferunt.

EQVES. Ne longius de hominis præſtantia diſſeremus, concludam hunc noſtrum ſermonem duabus luculentiſſimis ſententijs, altera Lactantij, altera Senecæ. Seneca igitur eos reprehendens, qui de natura & Deo queruntur, quod ab his maligne tractatus ſit homo, ait

aut certe minus liberaliter & benigne quam animalia, *in 29. cap. lib. 2. de beneficijs*, hoc modo ſcribit: Vide quam iniqui ſunt diuinorum munerum æſtimatores. Et quidem profeſſi ſapientiam, queruntur quod non magnitudine corporis æquemus elephantes; velocitate ceruos; Leuitate aues; impetu tauros: quod ſolidior ſit cutis belluis; decentior damis, denſior vrſis; mollior fibris: quod ſagacitate nos narium canes vincant: quod acie luminum aquilæ; ſpacio ætatis corui, multa animalia nandi facilitate, & cum quædam ne coire quidem in idem natura patiatur, vt velocitatem corporum & vires pares animalibus habeamus; ex diuerſis ac diſſidentibus bonis hominem non eſſe compoſitum, iniuriam vocant: & in negligentes noſtri Deos querimoniam faciunt, quod non bona valetudo & virtus inexpugnabilis data ſit; quod non futuri ſcientia.

Seneca ſententia de præſtantia hominis.

Vix ſibi temperant, quin eo vſque impudentiæ prouehantur, vt naturam oderint; quod infra Deos ſumus, quod non in æquo illis ſtetimus. Quanto ſatius eſt ad contemplationem tot tantorumque beneficiorum reuerti, & agere gratias, quod nos in hoc pulcherrimo domicilio voluerunt ſecundas ſortiri, quod terrenis præfecerunt: Aliquis ea animalia comparat nobis, quorum poteſtas penes nos eſt? Quicquid nobis negatum eſt, dari non potuit. Proinde quiſquis es iniquus æſtimator ſortis humanæ; cogita quanta nobis tribuerit parens noſter, quanto valentiora animalia ſub iugum miſerimus; quanto velociora conſequamur, quam nihil ſit mortale non ſub iugo noſtro poſitum. Tot virtutes accepimus, tot artes, animum denique, cui nihil non eodem quo intendit momento, peruium eſt, ſyderibus velociore, quorum poſt multa futuros curſus antecedit: tantum denique frugum, tantum opum, tantum rerum aliarum ſuper alias æternatarum. Circumeas licet cuncta; & quia nihil totum inuenies, quod eſſe te malles: ex omnibus ſingula excerpas, quæ tibi dari velles. Ita bene æſtimata naturæ indulgentia, confitearis neceſſe eſt, in delicijs te illi fuiſſe. Hæc Seneca.

IVVENIS. Sunt hæc quæ ex Seneca allegaſti, non minus profecto vere ac ſapienter, quam eleganter ac diſerte dicta. At quæſo etiam illam alteram quam innuiſti ex Lactantio ſententiam, recenſere ne graueris.

EQVES. Promiſſum omnino cadit in debitum; itaque quin vobis gratificer, declinare non poſſum. Ac lubens ac ſponte tamen id facio. Is igitur (Lactantius) nec verborum elegantia, nec grauitate

Lactantii ſententia de præſtantia hominis.

G ſen-

ſententiarum inferiora, idem argumentum tractans in libro *De opificio Dei*, ſcripſit. Cum vero is ſit aliquantum prolixior, ego de multis pauca velut delibanda vobis propinabo. Sic igitur ille *cap. 2.* ſcribit: Dedit, inquit, homini artifex ille noſter ac parens Deus ſenſum atque rationem; vt ex eo appareret, nos ab eo eſſe generatos, quia ipſe intelligentia, ipſe ſenſus ac ratio eſt. Cæteris animantibus quoniam rationalem iſtam vitam non attribuit; quemadmodum tamen vita eorum tutior eſſet, ante prouidit. omnes enim ſuis ex ſe pellibus texit, quo facilius poſſent vim pruinarum ac frigora ſuſtinere. Singulis autem generibus, ad propulſandos impetus externos, ſua propria munimenta conſtituit; vt aut naturalibus telis repugnent fortioribus; aut quæ ſunt imbecilliora, ſubtrahant ſe periculis pernicitate fugiendi; aut quæ ſimul & viribus & celeritate indigent, aſtu ſe protegant ac latibulis ſepiant. Itaque alia eorum, vel plumis leuibus in ſublime ſuſpenſa ſunt, vel ſuffulta vngulis, vel inſtructa cornibus. Quibuſdam in ore arma ſunt dentes, aut in pedibus adunci vngues, nullique munimentum ad tutelam ſui deeſt. Si qua vero in prædam maioribus cedunt, ne tamen ſtirpes eorum funditus interiret aut in eam ſunt relegata regionem vbi maiora eſſe non poſſunt: Aut acceperunt vberem generandi fœcunditatem, ut & beſtijs quæ ſanguine aluntur, victus ſuppeteret ex illis, & illatam tamen cladem ad conſeruationem generis multitudo ipſa ſuperaret. Hominem autem ratione conceſſa, & virtute ſentiendi atque eloquendi data, eorum quæ cæteris animantibus attributa ſunt, fecit expertem, & quia ſapientia reddere poterat, quæ illi naturæ conditio denegaſſet, ſtatuit nudum & inermem, quia & ingenio poterat armari & ratione veſtiri.

Ea verò ipſa quæ mutis data, homini denegata ſunt, quam mirabiliter homini ad pulcritudinem faciant, exprimi non poteſt, nam ſi hominis ferinos dentes, aut cornua, aut vngulas, aut caudam, aut varij coloris pilos addidiſſet, quis non ſentit, quam turpe animal eſſet futurum, ſicut muta ſi nuda & inermia fingerentur? Quibus ſi detrahat, vel naturalem ſui corporis veſtem, vel ea quibus ex ſe armantur, nec ſpecioſa poterunt eſſe nec tuta, vt mirabiliter ſi vtilitatem cogites, inſtructa; ſi ſpeciem, ornata videantur. Adeo miro modo conſentit vtilitas cum decore.

Ho-

Hominem vero quem æternum animal ac immortale fingebat, non forinſecus vt cætera, ſed interius armauit, nec munimentum eius in corpore, ſed animo poſuit; quoniam ſuperuacuum fuit, cum illi quod erat maximum, tribuiſſet, corporalibus eum tegere munimentis, cum præſertim pulchritudinem humani corporis impedirent: *Et cap. ſequenti:* Denique tum & corporis non magni homo & exiguarum virium & valetudinis ſit infirmæ, tamen id quod eſt maius accepit, & inſtructior eſt cæteris animalibus, & ornatior. Nam cum fragilis imbecilliſque naſcitur, tamen & à mutis animalibus tutus eſt, & ea omnia quæ firmiora naſcuntur etiamſi cœli vim fortiter patiuntur, ab homine tamen tuta eſſe non poſſunt. Ita fit vt plus homini conferat ratio, quam natura multis, quoniam in illis nec magnitudo virium, neque firmitas corporis efficere poteſt, quominus aut opprimantur à nobis, aut noſtræ ſubiiecta ſint poteſtati. Poteſt ne igitur aliquis, cum videat etiam boues aut vaccas aut equos cum immaniſſimis corporibus ſeruire homini, queri de opifice rerum DEO quod modicas vires, quòd paruum corpus accepit? Nec beneficia in ſe diuina pro merito æſtimat, quod eſt ingrati, aut, vt verius loquamur inſani. Melius igitur Plato vt hos (credo) ingratos refelleret, naturæ gratias egit, quod homo natus eſſet, quod & ipſum quale ſit, non eſt huius materiæ, ponderare. quanto melius & ſanius qui ſentit conditionem hominis eſſe meliorem, quam iſti, qui ſe pecudes natos eſſe maluerint.

Quos ſi Deus in ea forte conuerterit animalia quorum ſortem præferunt ſuæ; iam profecto cupiant remigrare, magniſque clamoribus conditionem priſtinam flagitent, quia non eſt tanti robur ac firmitas corporibus, vt officio linguæ careas; aut auium per aërem libera diſcurſatio, vt manibus indigeas, plus enim manus præſtant quam leuitas vſuſque pennarum, plus lingua quam totius corporis fortitudo. Quæ igitur amentia eſt ea preferre, quæ ſi data ſint, accipere detrectes? Hæc Lactantius.

IVVENIS. His egregie conueniunt ea, quæ ſcitiſſime Plutarchus *in Moralibus* ſcribit: Equi celeritas, ait, in noſtrum cedit emolumentum: canum pugnacitas hominem tuetur: piſcium, ſuum & id genus aliorum alimur corpulentia. Elephas terri- *Plutarchi ſententia de præſtantia hominis.*

bilis eſt ille quidem & vaſto corpore, ſed adeo nobis obnoxius, vt tantam molem in ludicra verterimus. Itaque ſi cui putet ac vilior eſt hominis ſtatus, ſic nos reprimamus: Non ineſt quidem nobis Leonis robur, leporum pernicitas, aquilæ viſus, taurorum impetus &c. verum ineſt prudentia, diuinior mens ineſt, qua vnicuique iſtorum dominamur ad ſatietatem, vertimus ad delitias, & vtcunque libuerit, verſamus. Adde quod ſocietas innata homini, aduerſus valentiſſima quæque nos communijt validiſſime, ac dominari etiam mari iuſſit. Hæc Plutarchus.

EQVES. Inter loquendum dum ex Plutarcho delitiarum meminiſti, quas è brutorum ſeruitijs atque obſequijs captare homines ſoleat, ego cuiuſdam hiſtoriæ, huc apprime quadrantis recordor, cuius aſpectu mirifice delectatus ſum. Scis, ſerpentum genus homini inimicum eſſe?

IVVENIS. Quidni ſciam? Scio omnino, vetus inter illos & nos eſſe diſſidium & irreconciliabile, futurumque donec memineris pomi illius inauſpicati.

EQVES. Lacertam opinor noſti?

IVVENIS. Noui equidem. Italia namque magnas habet & virides.

EQVES. Hoc animal natura & homini amicum eſt, & ſerpentibus inimicum. Vbicunque enim proſpicit homo, ibi congregantur lacertæ, obliquato capite diu contemplantes hominis faciem: ſi expuas, elambunt ſaliuam ore redditam: vidi & puerorum mictum exorbentes. Quin & puerorum manibus tractantur impune, atque etiam læduntur, & admotæ oti gaudent ſaliuam lambere. Cæterum ſi comprehenſæ inter ſe committantur, dictum mirum quam in ſe ſæuiant, nec appetunt committentem. Si quis in agris ambulet per viam cauam, núc hinc nunc illinc, ſtrepitu dimoti rubi admonent hominē: inſuetus crederet ſerpentem eſſe: vbi diſpexeris, lacertæ ſunt, obliquato capite contemplantes donec conſiſtas, ſi pergas, ſequentes. Rurſus aliud agentem admonent. Diceres eas ludere, vehementerque delectari hominis aſpectu. Quodam die vidi prægrandem & mire viridem in oſtio caui decertantem cum ſerpente. Primū mirabamur quid eſſet rei: nam ſerpens nobis nō erat conſpicuus. Italus admonebat, in atro eſſe hoſtem: paulo poſt venit ad nos lacerta velut oſtendens ſua vulnera, ac remedium flagitans, ſeque tantum non tangi patiebatur: quoties autem reſtabamus, reſtabat & illa nos contemplans. Serpens alterum latus pene totum eroſerat, & ex viridi rubrum fecerat.

Lacerta homini amicū animal.

Serpentis & lacerta odiū.

IVVE-

IVVENIS. Mihi, ſi adfuiſſem, libuiſſet vlciſci lacertæ vicem.

EQVES. Et hoſtis iam ſe in profundum antrum abdiderat: poſt aliquot tamen dies pauimus oculos noſtros vindicta. Forte inambulabamus per eundem locum. Serpens è fonte vicino biberat: erat enim æſtus prodigioſus, adeo vt nos quoque aquæ inopia periclitaremur. Commodùm occurrit ex agris puer natus annos tredecim, eius domus filius, in qua tum metu peſtilentiæ Bononia profugi ruſticabamur, geſtans raſtrum, quo fœnum demeſſum conuerrunt agricolæ, ſimul vt ſerpentem vidit exclamat gaudio, velut inſultans deprehenſo hoſti. Ferit raſtro: ſerpens ſe contrahit: ille non facit feriendi finem, donec contrito capite, ſerpens in longum porrigitur. Nam hoc non faciunt niſi morientes. Inde eſt, quem frequenter audiſti, apologus de cancro, qui ſerpentem hoſpitem occidit, vbi porrectum videt, Sic, inquit, viuum incedere oportuit. Puer deinde arreptum raſtro ſuſpendit è frutice ſupra antrum. Ibi diebus aliquot vidimus frondes ſanie tinctas. Eius ruris agricolæ pro comperto nobis aliud quiddam mirabile referebant. Agricolæ nonnunquam feſſi obdormiunt in agro, atque illic interdum habent vrceum lactis, in cibi ſimul & potus vſum. Serpentes ſummopere lacte capiuntur. Itaque non rarò fit, vt in vas illabantur. Ei malo paratum habent remedium. Summum teſtæ os allio circumlinunt. Is odor deterret ſerpentes.

IVVENIS. Hinc Lycophron, teſte Athenæo, θῆρας γαλακτοφάγους, hoc eſt, beſtias lactiuoras ſerpentes appellauit, quod naturali quodam appetitu lac præcipue ſorbere gaudeant, cum tamen alioqui exiguo indigeant potu. Quoties autem ad lactis vrceum adrepunt, non tam lactis ſuctu delectantur, quam vt pingue ſupernatans, quod in butyrum conflatur lingere, ac deſorbere valeant, hæc ſumma voluptas. Aliquando in pratis ac paſcuis ad vbera paſcentium adrepunt, miſeroſque ruſticos omni lactis & ſpe, & prouentu defraudant: & facile quidem patiuntur vaccæ eiuſmodi mulgentes fauces, vel quod venenum vereantur, ſi repugnant & obnitantur, vel quod mollius ſuctu, quam digitis compreſſis lac educi ſentiant. Habent ad hoc remedium muliercule, ceream comparant, quam deuouent hierophantæ in purificationum feriis, hac incenſa ter contingunt vbera vaccæ, ſed non ſine tripudio & choreis, atque ita illæſas in annum redeuntem ſe conſeruare arbitrantur. Sed nunc proſequere inſtitutum de ſerpentibus & lacertis ſermonem.

EQVES. Audi ergo, quod eſt

durius: interdum clanculum adrepentes in os patens dormientis cõnciunt ſeſe, & in ſtomachum ſeſe conuoluunt. Quamuis autem non protinus exanimatur homo, talem nactus hoſpitem, afflictiſſime tamen viuit: nec eſt vllum mali leuamen, niſi vt lacte aliiſque gratiſſimis ſerpenti cibis alat hoſpitem. Eſt tamen hoc aduerſus tantum mali remedium: Comeſum affatim allium; id quod etiam medetur delaſſatis labore & actu. Cæterum in iſto diſcrimine non raro lacerta quamuis puſilla ſeruat hominem. Vbi enim ſentit ſerpentem inſidiari, circũcurſat per collum & faciẽ hominis: nec finem facit, donec prutitu ſcalptuq; vnguium excitetur. Porro qui expergiſcitur, cõſpecta in propinquo lacerta, mox intelligit, hoſtem alicubi eſſe in inſidiis.

Delphinorũ φιλανθρωπία.

IVVENIS. Mira naturę vis: Cæterum Delphinum quoq; in diuerſo elemẽto natũ, φιλάνθρωπον eſſe, experientia eorũ qui in naui verſantur ſatis conſtat. Et piſcatores in venatu mugilum, delphinorũ miniſterio, vice canũ vtuntur, qui accepta prædæ portiuncula recedunt. Quin & caſtigari ſeſe patiuntur, ſi quid in venatu deliquerint. In mari vero frequenter nauigãtibus apparent, gaudio geſtientes, & in ſummis vndis luſitantes: interdum adnatantes ad nauim, nonnunquam & tenſa vela tranſilientes. Adeo delectatur hominum conſuetudine. Verum vt hominum ſtudioſus eſt delphinus, ita crocodilo capitalis eſt hoſtis. Egreditur mare & in Nilum in quo regnat crocodilus, audet venire, cõgreſſurus cum dentibus, vnguibus & ſquamis ferro etiam impenetrabilibus armata belua; ipſe nec ad morſum ſatis inſtructus, quippe os habens ad pectus vergens. Sed impetu fertur in hoſtem, ac iam illi proximus repente ſubmittit ſeſe, erectiſque in tergo pinnis mollia ventris perſcindit, alias inuulnerabili.

Brutorum amicitia & inimicitiæ inter ſe capitales.

IVVENIS. Sæpenumero mecũ admirari ſoleo, quem Deum in cõſilium adhibuerit natura, cum in omni rerum genere miſceret amicitias & inimicitias quaſdam arcanas, nec vllis cauſis euidentibus probabiles, niſi quod hoc ſpectaculo videtur fuiſſe delectata, quemadmodum ex cõmiſſis inter ſe gallis gallinaceis & coturnicibus voluptatem capimus.

EQVES. Plinius rerum naturalium indagator ſagaciſſimus ſingularia aliquot inimicitiarum huiuſmodi ac ſimultatũ infert exempla. Sunt quædam (inquit Plin.) his bella inimicitiæq;. Diſſident olores & aquilæ: coruus & chlorio, noctu inuicem oua exquirentes. Simili modo coruus & miluus, illo præripiẽte huic cibos: cornices & noctua: aquilæ & trochil⁹ (ſi credimus) quoniam rex appellatur auium: noctuæ & cæteræ minores aues. Rurſus cũ

terreſtribus, muſtela & cornix: turtur & pyralis: ichneumones veſpæ & phalãgia aranei. Aquaticæ, anates & gauiæ: harpæ & triorches accipiter: Sorices & ardeolæ inuicem fœtibus inſidiãtes: Ægithus auis minima, cu aſina; Spinetis enim ſe ſcabendi cauſa attereus, nidos eius diſſipat, q̃ adeo pauet, vt voce omnino rudentis audita, oua eiiciat, pulli ipſi metu cadant. Igitur aduolãs hulcera eius roſtro excauat. Vulpes & Nili angues: muſtelæ & ſues. Æſalon vocatur parua auis, oua frangẽs, cuiꝰ pulli infeſtantur à vulpibus. Inuicẽ hæc catulos eiꝰ ipſamq; vellit. Quod vbi viderunt corui, cõtra auxiliãtur, velut aduerſus communem hoſtẽ. Eracanthis in ſpinis viuit: idcirca aſinos & ipſa odit, flores ſpinę deuorantes. Ægithum vero anthus in tãtum, vt ſanguinem eorum credant non coire, multiſq; ob id veneficiis infamẽt. Diſſident thoes ac leones, & minima æquè ac maxima. Formicoſam arborẽ ſorices cauẽt. Librat araneus ſe filo in caput ſerpẽtis porrectæ ſub vmbra arboris ſuæ, tãtaq; vi morſu cerebrũ apprehẽdit vt ſtridens ſubinde, ac vertigine rotata, ne filum quidem deſuper pendẽtis rũpere, adeo non fugere queat: nec finis ante mortẽ eſt. Rurſuſq; amici pauones & colubæ, turtures & pſittaci, & merulę & turdi, cornix & ardeolæ cõtra Vulpium genus cõmunibus inimicitiis. Harpe & miluus cõtra triorchem. Quid nõ & affectꝰ indicia ſunt etiã in ſerpentib. immitiſſimo animaliũ genere. Dicta ſunt quę Arcadia narrat de dño à Dracone ſeruato, agnita voce hominis. De Aſpide miraculũ Philarcho reddat: is n. autor eſt, cũ ad mẽſam cuiuſdã veniens in Ægypto aleretur aſſiduè, enixã catulos, quorũ ab vno filiũ hoſpitis interemptũ, illã reuerſã ad cõſuetudinẽ cibi, intellexiſſe culpã, & necem intuliſſe catulo, nec poſtea in tectũ id reuerſã. Hactenus Plin.

IVVENIS. Mirum eſt, quodq; animal ſtatim agnoſcere hoſtẽ ſuũ, etiã nunquã antea viſum, ſcireq; & cur impetatur, & qua lædi aut ſeſe tueri poſſit: quũ hoc homini ſit negatũ, qui nec baſiliſcum quidẽ horreret, niſi admonitus maloue doctꝰ.

EQVES. Scis equum animal obſequiis hominum natum. Hinc capitale diſſidium eſt cum vrſo, homini noxia beſtia. Agnoſcit hoſtẽ nũquam viſum, ac protinus ſe parat ad pugnam, arte tamen potius quam viribus. Tranſilit enim vrſum, & in ipſo ſaltu poſteriores calces impingit in caput. Atq; vrſus interim vnguibus ſcalpit equini vẽtris mollia. Aſpis homini venenũ eſt immedicabile: cũ hac belligeratur ichneumon. Idem exitialis hoſtis crocodilo. Similis affectus eſt elephantis erga hominem: nam & viatorem ſimpliciter errantem, clementer reducunt in viam, & agnoſcũt amãtq; doctorem ſuum. Ferũtur & exempla deuoti amoris erga certos homines.

mines. Siquidem vnus adamauit in Ægypto mulieterculam corollas vendentem, Ariſtophani grammatico charam. Alius Menandrum Seracuſanum adoleſcentem ſic amauit, vt deſiderium illius, quoties non videret, inedia teſtatus ſit. Sed ne hæc, quæ plurima cõmemorantur, referre pergamus: cum Bochus Rex in triginta quoſdam ſæuire decreuiſſet, eos totidem elephãtis obiecit, ſtipitibus alligatos. Cũque immiſſi eſſent qui inter elephantos procurſantes eos laceſſerent, nunquam efficere potuerunt, vt ſe regiæ crudelitatis miniſtros præberent.

IVVENIS. Atqui huic animanti φιλανθρώπῳ bellum exitiale eſt cũ draconibus Indicis, qui feruntur eſſe maximi, vt frequenter in pugna pereat vterque. Porro draco inimicus eſt homini, etiam non laceſſitus. Simile diſſidium eſt aquilæ cum draconibus minorib⁹, cum homini ſit innoxia, imo quum feratur etiam amatorios ignes ſentire erga certas puellas. Eidem aui bellum internecinum eſt cum Cyminde, id eſt, nocturno accipitre. Elephantus odit etiam murem, animal homini quoque moleſtum, eoque abhorret à pabulo, in quo murem conſpexerit. Nec cauſſa liquet cur oderit. Nam hirudinem merito horrent, quod ea in potu hauſta grauiſſime diſcrutientur. Iam vix vllum animal amicius homini, quam canis: nec inimicitius, quam lupus, vt quod aſpectu quoque vocem adimat: & inter hæc ſumma diſcordia eſt, quemadmodum ouium generi lupus infeſtiſſim⁹, quod totum pendet à prouidentia hominum, quorum præcipua cura eſt tueri animal innoxium, & alendo homini natum: in lupum vero velut in publicum humani generis hoſtem armantur omnes, pręcipuè canum commilitio: quæ res etiam prouerbio fecit locum, Non magis parcemus quam lupis.

EQVES. Lupus marinus immedicabile eſt homini venenum, ſi quis imprudens guſtauerit, at rurſus hominis contactus mors eſt lepori. Panthera ſæua eſt in homine, & tamen adeo terretur ab hyena, vt ne congredi quidem ſuſtineat. Hinc narrant: ſi quis quid ſecum geſtet de corio hyenæ, à panthera non appeti: tam ſagax eſt naturæ ſenſus. Addunt & illud: ſi pelles vtriuſque beluæ ſuſpendas inuicem ex aduerſo, panthericæ pilos defluere. Araneus homini domeſticum eſt animal, exitiale vero ſerpenti, adeo vt forte conſpicatus ſub arbore ſerpentem apricantem, filo ſe libret, & aculeum mediæ infigat fronti tam acri vulnere, vt ſerpens dolore rotans ſeſe in gyrum, tandem emoriatur.

IVVENIS. Accepi ab iis, qui ſpectarunt, ſimile diſſidium eſſe a[illegible] cum buffonibus: ſed buffonem

mem ictum, ſibi plantagine admorſa mederi.

EQVES. Aiunt aliquando monachum (eſt enim hoc hominum genus admodum curioſum) in araneum & buffonem concertantes incidiſſe, & dum euentum certaminis expectat, ictum buffonem vehementer fuiſſe tumidum, ſed mox plantagine guſtata, quæ tum in buſtuario creſcebat, veluti reſũptis viribus, certamen redintegraſſe. Admiratus inſolitum ſpectaculum monachus, diligentius hos pugiles obſeruabat, & quod paulo ante de buffone cognouerat, id iterum conſpicatus, quam poteſt ocyſſime plantaginem omnem quę de proximo creſcebat, radicitus extirpat, & apud ſe condit, interea buffo, accepta tertia plaga, dum ad ſolitum medicamentum accurrens, auxilio herbæ deſtitueretur, in tantum intumuit, vt non prius tumorem quam vitam ſimul finiret. Inde compertum habuit, plantaginem contra venena, & venenatorum ictus multum facere.

IVVENIS. Audi fabulam Britannicam: Scis, illic conclauium ſolum conſterni ſcirpis virentibus. Monachus quidam faſciſculos aliquot ſcirporum in cubiculum congeſſerat, ſparſurus cum eſſet commodum: is cum à prandio ſupinus dormiret, buffo ingens irrepſit, & os dormiẽtis obſedit, infixis ſuperno atq; inferno labro quatuor pedibus. Detrahere buffonem certa mors erat: non amoueri, quiddam erat morte crudelius. Quidam ſuaſerunt vt monachus ad feneſtrã deferretur ſupinus, in qua ingens araneus habebat telam. Factum eſt. Mox araneus hoſte cõſpecto filo ſe librat, & buffoni ſpiculum infigit, ac filo ſe recipit in telam. Intumuit buffo, ſed non eſt auulſus. Repetitur ab araneo, magis intumuit, ſed vixit. Tertio ictus abduxit pedes, ac mortuus decidit. Hanc gratiam araneus retulit hoſpiti ſuo.

EQVES. Mira narras. Addam & ego mirum, idq; ridiculum. Simius ſupra modum horret teſtudinem. Huius rei quidam dedit ſpecimen Romæ. Puero ſuo in verticem impoſuit teſtudinem, & pileo contexit. Dein producit ad ſimium. Illico ſimius gaudens inſilit in humeros pueri [illegible] pediculos: ſublato pileo reperit teſtudinem. Mirum erat ſpectaculũ quanto cum horrore reſilierit beſtia, quã expauerit, quam timidè reſpexerit an ſequeretur teſtudo. Additum eſt aliud ſpecimen: alligauimus teſtudinem cathenæ, à qua reuinctus erat ſimius, vt effugere non poſſet, quin ſaltem adſpiceret: incredibile dictu quantopere fuerit diſcruciatus: tantum non metu exanimabatur, interdum auerſus poſterioribus pedibus depellere tentauit hærentem beſtiam. Tandem quicquid erat in aluo aut veſica oneris

De ſimia ridiculum.

ris reiecit. Secuta eſt ex pauore febris, vt nobis fuerit ſoluendus à cathena, & aqua vino temperata refocillandus.

IVVENIS. Atqui nihil eſt, quod ſibi à teſtudine metuat ſimius.

EQVES. Fortaſſis aliquid eſt quod nos fugit, naturæ cognitum. Nam cur acanthis oderit aſinum, caſſa in promptu eſt, quod ille ſe affricat ſpinis in quibus nidulatur auicula, & flores eius depaſcitur. Tantus autem terror habet acanthidé, vt ſi quando procul aſinum rudentem audiat, oua deiiciat, pulli è nido decidant metu. Nec patitur hoſtem impunem.

IVVENIS. Sed quæ tandem in re acanthis lædit aſinum?

EQVES. Roſtro fodit illius hulcera, fuſtibus & oneribus facta, pungit & mollia narium. Poteſt autem aliquid cauſſæ diuinari, cur inter vulpes & muluios mutua ſit ſimultas, quod nimirum auis rapax alterius catulis inſidietur, fortaſſe vulpes viciſſim illius pullis: quæ cauſſa diſſidij eſt inter ſorices & ardeolas. Eadem ferè ratio eſt inter æſalon paruam auiculam, & vulpem. Nam æſalon oua coruorum frangit. Eadem infeſtatur à vulpibus, & viciſſim illas infeſtat, catulos earum vellicans. Quod vbi viderint corui, vulpibus velut aduerſus communem hoſtem ſuppetias ferunt.

IVVENIS. At vix diuinare liceat, quam ob cauſſam inter ſe oderint olores & aquilæ, coruꝰ & chlorio, cornix & noctua, aquila & trochilus, niſi hoc male habet aquilã, quod ille rex auium vocetur.

EQVES. Cur malè cõuenit cum noctua cæteris minoribus auibus, muſtelæ cum cornice, turturi cum pyrali, ichneumonibus veſpis cum phalangiis araneis, anatibus cum gauiis, harpæ cum triorchie accipitre, thoibus cum leonibus. Præterea cur ſorices formicoſam horrent arborem? Vnde tam irreconciliabile bellum inter ſcarabæum & aquilam? Nam apologus ex ipſa animantium natura cõfictus eſt. Vnde eſt quod iuxta Olynthum in certo terræ ſpatio non viuant ſcarabæi, ſi inferantur.

IVVENIS. Inter aquatilia, quam ob cauſſam mugil & lupus mutuo odio flagrant, ſicut conger & muræna, caudas inter ſe prærodentes. Polypum in tantum horret locuſta piſcis, vt ſi eum iuxta viderit, metu emoriatur.

EQVES. Quædam econtra animantia mire iunxit arcanus quidam beneuolentiæ affectus, veluti pauones columbis, turtures cum pſittacis, merulas cum turdis, cornices cum ardeolis, qui ſibi viciſſim auxiliantur aduerſus vulpium genus: harpam & miluium aduerſus triorchyn, accipitris genus, communem hoſtem. Balenis muſculus piſcis exiguus prænatans monſtra-

Brutorum inter ſe amicitia.

tiam

viam, nec apparet quamobrem illi velit inſeruire. Nam quod crocodilus fauces porrigit trochilo auiculæ, amicitia dici non poteſt, quum vtrumq; animal ſuo ducatur commodo. Crocodilus gaudet ſibi purgari dentes, & ſcabendi voluptatem amplectitur: auicula cibum quærit, veſcens piſcium reliquiis inter dentes hærentibus. Conſimili ratione coruus inequitat dorſo ſuis.

Ivvenis. Inter anthum & ægithum tam pertinax eſt odium, vt negent ſanguinem illorum poſſe miſceri: quemadmodum narrant aliarum auium pennas abſumi, ſi aquilinis miſceantur. Accipiter eſt infeſtus columbino generi: ſed has defendit tinnunculus auicula, cuius conſpectũ & vocem mirum in modum horret accipiter. Nec hoc latet columbas. Vbicunq; tinnunculus reconditus eſt, ab ea ſede non migrant, fiducia protectoris. Quis vero cauſam cõiiciat, cur aut bene velit generi colũbino tinnũculus, aut cur tinnunculũ horreat accipiter?

Eqves. Hãc rem ita Columella *libr. 8.* tradit: Tam faſtidioſa columba eſt, vt ſæpe ſede ſua peroſa, ſi detur euolandi poteſtas, relinquat, quod frequenter in his regionibus, vbi liberos habent egreſſus, accidere ſolet. Id ne fiat, vetus eſt Democriti præceptum. Genus accipitris tinnunculum vocant ruſtici, qui fere in ædificiis nidos facit. Eius pulli ſinguli fictilibus ollis conduntur, ſtipatiſque opercula ſupponuntur, & gypſo lita vaſa in angulis columbarij ſuſpenduntur, quæ res auibus amorem loci ſic conciliat, ne vnquam deſerant. Cæterum vt interdum animalculum minimum præſidio eſt ingenti beluæ: ita contra à minutiſſimis exitium eſt maximis. Eſt piſciculus ſcorpij effigie; magnitudine aranei piſcis. Is ſub pinna affigit ſeſe aculeo thynnis, interdum magnitudinem delphini ſuperantibus, tanto dolore, vt nonnunquam in naues inſiliant: idem facit mugilibus. Quid eſt cur leo animal cunctis tremendum, expaueſcat galli gallinacei cãtum?

Ivvenis. De ſimio aliquid referam mirum. Thomas Morus vir apud Anglos clariſſimus domi alebat domi ſimium prægrãdem: tum fortè, quo reualeſceret à vulnere, ſolutus obambulare ſinebatur. In extremo horti erant incluſi cuniculi, quibus inſidiabatur muſtela. Id ſimius procul quiet⁹ & ocioſus ſpectabat, donec videret cuniculis nihil eſſe periculi. Cæterum poſtea quam muſtela labefactaſſet caueam à muro reuulſam, iamq; periculum eſſet, ne cuniculi à tergo nudati prędæ eſſent hoſti, accurrit ſimius, & conſcenſa trabe quadam, caueam retraxit in locum priſtinum tanta arte, vt nemo non poſſet dexterius. Ex quo perſpicuum, hoc animantiũ *Cuniculi ſimius char.*

genus ſimiis eſſe charum. Ipſi cuniculi non intelligebant ſuum periculum, ſed hoſtem ſuum per cancellos oſculabantur. Simius opitulatus eſt periclitanti ſimplicitati.

Stirpium & aliarum rerum ſympathia & antipathia.

EQVES. Omnibus catulis minoribus delectantur ſimij, gaudentque fouere ſinu & complecti. Verum mihi videtur mirabilius, hoc genus ſympathéas & antipathéas etiam in rebus anima aut certè ſenſu carentibus deprehendi. Omitto iam dicere de fraxino, cui⁹ nec vmbram, quamuis in longum porrectam ferunt ſerpentes, adeo vt ſi locum in gyrum circundes igni, ſerpens citius in flammam eat, quam ad arborē fugiat. Nam huius generis exempla ſunt innumera. Erucæ, cū membranis incluſę occulto naturæ opificio transfigurantur in papiliones, mortuis ſimilimæ vidētur: ne ad contactum quidem ſeſe mouent, niſi tranſeunte araneo. Hominis prementis digitum non ſentiunt, & ſentiunt leuiſſimi animātis leuiter incedentis pedes. Ibi demum viuit.

IVVENIS. Iſti non omnino diſſimile eſt, ꝙ narrāt de ferro cæſis, ad quos ſi cæteri accedāt, nihil accidere noui: ſin is, qui necauit, continuo profluere ſanguinē, velut ex recenti vulnere: atq; hoc indicio ferūt frequenter proditum cædis autorem.

EQVES. Nec eſt vanum quod audiſti. Sed ne perſequamur fabulas Democriticas, nonne comperimus experimentis, tantum eſſe diſſenſionis inter quercum & oleam, vt vtraque in alterius ſcrobe poſita emoriatur? Quercui autem tam male conuenire cum iuglande, vt in propinquo poſita extinguatur, tametſi iuglans cunctis ferè ſatis de arboribus noxia eſt. Rurſus cum vitis clauiculis ſuis omnia cōplecti ſolent, ſolam braſſicam refugit, & perinde quaſi ſentiat, in diuerſam partem ſeſe vertit. Quis admonet vitem, hoſtem eſſe in propinquo? Eſt enim braſſicæ ſuccus vino contrarius, eoque ſolet edi aduerſus ebrietatem. Nec deeſt braſſicæ ſuus hoſtis. Siquidem oppoſita cyclamino & origano exareſcit.

IVVENIS. Iſtius inter vitem & braſſicā antipathias fabuloſam hāc cauſam fingunt Græci, quam recēſet Ariſtoph. Interpres. Licurgus fuit homo ſceleſtus, qui omnes vites falce demetere in animum induxerat: hunc cōprehenſum Bacchus vitibus alligauit, vt ſupplicium de illo ſumeret: ſed is dum vitib⁹ alligatus, lachrymas effunderet, ex illis braſſica enata eſt: atque hinc eſſe aiunt, ꝙ etiamnum male conueniat viti & braſſicæ; hoſtis ſui reliquiis. Hanc autē fabulam ruſticorum filios credere dicit: quia ſi quis braſſicæ radice vitem contingat vitique alliget, nullos vitem fructus edituram: vnde etiam illam primo loco in ſympoſiis proponi

& Æ-

& Ægyptij ante omnia fercula coctas braſſicas deguſtabant, ne poſſent vino inebriari. Sed hoc obiter.

EQVES. Similis adfectus eſt inter cicutam & vinum: cicuta homini venenum eſt, cicutæ vinum. Quod eſt illud arcanum commercium inter lilium & allium, vt in propinquo naſcentia mutuo ſibi gratificentur? Nam allio plus eſt vigoris, & lilij flores ſuauius olent. Quid hic memorem de coniugijs arborum, quarum fœminæ ſterileſcunt, niſi in propinquo ſit maſcula. Oleum ſoli calci miſcetur, quum vtraque res pariter oderit aquam. Pix attrahit oleum, quum vtrunque ſit pingue. Argento viuo innatant omnia, excepto auro. Id ſolum ad ſe trahit & complectitur. Quis ille naturæ ſenſus: vt adamas, quamlibet duris reſiſtens, ſanguine hircino molleſcat?

Venenorum diſſidia.

IVVENIS. Quin & inter ipſa venena diſſidia videas. Scorpius ſi forte repat per aconitum, palleſcit ac torpeſcit. Eidem adeo noxia eſt herba, cui nomen ceraſtis, vt qui ſemen modo eius tractarit digitis, impune contrectet ſcorpium.

EQVES. Quænam vero eſt illa vis vel amicitiæ vel diſſidij inter chalybem & magnetem, vt maſſa natura grauis ad lapidem currat, & inhæreat, velut oſculo, & ab eodem citra contactum refugiat?

IVVENIS. At magis mira ſunt, quæ de aquis narrantur. Aquam etſi facile miſceat rebus omnibus maxime ſibi, tamen ſunt quæ tanquam odio mutuo mixturam refugiunt, velut amnis qui in Fucinum lacum inuectus ſupermeat, in Larium Addua, in Verbanum Ticinus, in Benacum Mintius, in Seuinum Ollius, in Lemanum Rhodanus: è quibus nonnulli multorum millium tranſitu, hoſpitales ſuas aquas tantum, nec largiores quam intulere, euehunt. Tigris influit in lacum Arethuſam, ac per eum velut hoſpes fertur ſic, vt nec color, nec piſces, nec aquarum natura miſceatur. Ad hæc, quum cætera fere flumina properent in mare procurrere, quædam tamen velut exoſa mare, priuſquam eo perueniant, abdunt ſeſe in terram.

Aquarū inimicitia.

EQVES. Simile quiddam videmus & in ventis. Auſter homini peſtilens eſt: huic contrarius Boreas ſalubris. Alter nubes contrahit, alter diſſipat. Iam ſi qua fides aſtrologis, ſunt & ſyderibus quidam amicitiæ & inimicitiæ adfectus. Quædam amica homini, quædam infeſta. Rurſus ſunt quæ homini aduerſus nocentium vim opitulentur.

Ventorū, Syderum &c. contrarietas.

Adeo nihil eſt in vlla naturæ parte, quod non per hæc diſſidia concordiaſque & noxam & remedium homini ſuppeditet.

IVVENIS. Fortaſſe & vltra cœlos quiddam deprehendere liceat. Etenim, ſi Magis credimus, vnumquenque mortalium duo comitantur genij, alter amicus, alter maleuolus.

SENEX. Turrim Babylonicam reſtaurare vos velle videmini, dum vltra cælos veſtris euolatis diſcurſibus. Sed attendite quæſo, ne præſumptuoſa iſta veſtra de cœleſtibus illis genijs ſermocinatio vobis tãdem cedat in ludibrium. Satis itaque eſt, vos morari in ſublunaribus, ne turpiter morari, id eſt, moros vos agere, per ludibrium de vobis dici poſſit.

IVVENIS. Iam demum loquitur Senex. At ſane ſatis nunc eſt, ad cœlum vſque nos perueniſſe. Sed miror, quod non vrgeat corporis humani quam ab initio intendimus ſtructuram ac fabricam. Niſi enim cœleſtes genios eructaſſemus, quorum ſane vanitatem Ethnicam is per conſcientiam approbare non poteſt, adhuc dum noſtrum ſermonem non interrupiſſet. Si leporaria dixiſſemus, ſi auiaria, ſi prata, ſi ſyluas & ſi quæ ſunt alia, nihil inhibuiſſet. At interim non vrget corporis humani fabricam.

EQVES. Struendo ſtruimus, necdum tamen ſtructuram demum inchoamus. Sed facile auguror, quidnam ſenem moretur. Structuram cum audit ipſi aures tinniunt. Recordatur ſtructuræ ædificiorum, in quorum extructionem opinione maiores facere coactus fuit expenſas. Nam

Ædificare domos & corpora paſcere multa
Euacuat loculos, canos generatque capillos.

SENEX. Rem quam acu tetigiſti, tu iam equidem rides. At cum & te aliquando idem ordo tanget, riſus hic tuus in melancholiam deſinet. Cæterum neque adhuc dum ad tractationem ſtructuræ corporis humani phyſicam, niſi alia prius à nobis tractentur, tranſire animus eſt.

IVVENIS. Senum eſt dicere atque mandare. Iuuenum vero eſt attendere atque obtemperare. Proinde te ſenem attente audire animus nobis eſt promptus & conſtans ſententia.

EQVES. Melancholia iſta, quam innuit Senex, poteſt declinari, ſi quis turgida inſtructus crumena, factis primum ratiocinijs ſuo ſe pede metiatur, præſenti animo, ac ficta quantumuis magnificentia, & prompta, ne tamen modum excedat, erga opi-

opifices liberalitate, mente libera, fronte aperta, vultu non toruo ſed amœno ac cuiuis facili atque affabili ſeſe paſſim exhibeat.

SENEX. Prudenter ſane & ad rem hæc à te dicuntur. At cum illud *Non putaram* in ipſo ædificij feruore cumprimis ſeſe exhibeat; atque ad poſtremum, mercatorium illud frontiſpicium *Adi, laus Deo*, ædificij ſtructorem male inquietet, vir prudens ædificij ſtructuram, niſi ineuitabili cogente neceſſitate, ægerrime perſuaderi ſibi patitur.

Ædificandi depreſſa luxuria.

EQVES. Hinc nimirum factum eſt, vt cum etiam priſcis ſeculis ædificandi luxuria indies latius ſerperet: certus poſtea modus & forma vſitata altitudinis fuerit præſcripta, quam excedere nemini licuit. *l. qui luminibus, ff. de ſeruit. vrb. præd. l. 1. D. de ædif. priu. Barnabas Briſſonius lib. 1. ſelect. interpret. cap. 1. & Iohan. Coraſius lib 3. Miſcell. cap. 24. num. 6.* Atque id ſane prudenter: quandoquidem cum in alijs omnibus, tum vero in ædificijs potiſſimum placuit, honeſtum modum ſeruandum eſſe, non immoderatam cuiuſque luxuriam ſubſequendam. *l. ex damni. 40. ff. de dam. infect.* Præterquam enim quod parum decorum eſt, ſuperfluas ædificationes aggredi, *can. pulchra. 86. diſtinct.* experientia magiſtra docemur. Domus in quibuſlibet vrbibus non modica impenſa ſuſtentari, *can. non liceat. 12. q. 2.* adeo vt ex Celſo & Proculo Vlpianus notet plures ſumptui impares eo redigi, vt domus alijs cogantur relinquere. *l. ſed an vltro, 10. ff. de negot. geſt.* Vt taceam, quamlibet etiam habitationem ruinæ vel incendio ſubiectam eſſe. *l. cum hi. 8. §. fin. ff. de tranſact.* quod enim tam firmum ædificium eſt, vt fluminis aut maris aut tempeſtatis, aut ruinæ incendij aut terræ motus vim ſuſtinere poſſit? vt apud Vlpianum Labeo ait *in l. fluminum, 24. §. Seruius, de dam. infeſt.*

SENEX. Extat grauiſſima Bernhardi ad Nobilem quendam circa ædificationem admonitio: Si vis, ait, ædificare domum, inducat te neceſſitas, non voluptas, (cupiditas ædificandi ædificando non tollitur. Nimia & inordinata ædificandi cupiditas expectat ædificij venditionem. Turris completa & arca euacuata faciunt tarde hominẽ ſapientem. Præterea ornanda eſt dignitas domo nõ ex domo tota quęrenda: nec domo dominus, ſed domino domus cohoneſtanda eſt, vt eſt apud Tullium, quem Lucas de Penna laudat *in l. 2. C. de prædijs & omnibus rebus naucul. lib. 11.*

Cellarũ vinearum ſtructura.

IVVENIS. De ædificiorum ſtructura ad nauſeam fere diſſeritis. Ego vero de Cellarum, quibus vina, eaq; edentula, quibus nimirum ob ętatẽ & ſenium quaſi dentes exciderint, recondantur, ſtructura diſſerere malim; in qua quidem cella vinaria.

Me-

Melancholia quæ ex ædificiorum ſtructura impenſiore ſuborta eſt, facile poteſt diſſipari.

Vini modice ſumpti affe-ctus.

SENEX. Sane viua generoſa ſolicitis animis onus eximunt; curas, metum, pauperiem fugant, & ſpes iubent eſſe ratas, vt cum poëtis loquar. Et Horatius *lib.3. Carm. Ode 21.* Amphoram ita alloquitur:

Tu ſpem reducis mentibus anxijs
Vireſque, & addis cornua pauperi.
Poſt te neq; iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.

Quo pertinet etiam illud ſapientis *Prouerb. 31.* Date ſiceram mœrentibus, & vinum ijs qui amaro ſunt animo. Bibant & obliuiſcantur egeſtatis ſuæ, & doloris ſui amplius non recordentur. Nam vt grauis eſt Socratis apud Xenophontem ſententia: Vinum non aliter mœrori medetur, quam mandragora hominibus: lætitiamque non aliter excitat, quam oleum inſperſum igni flammam adauget. Vinum certe & Deo & hominibus lætitiam dare ſolere, Ionathan pronunciat, *Iud. 9.* Sed & nullo magis ſtimulo concitatur Muſica, quam ſuauis vini guſtu. Diſertum autem vinum facere, ex vulgato illo conſtat:

Fœcundi calices quem non fecere diſertum?

Cum fomes hoc quidam ſit & incitabulum ingenij virtutiſque vt Cretenſis ille apud Gellium iactitabat *libr. 15. Noct. Attic. capit. 2.* Plura de vini laudibus accumulare nolo, ne forſan laudibus arguerer vini vinoſus. Sed vt lætitiæ huic quæ ex vino promanat, modum imponamus: meminerimus illius quod Salomon ait: Exultatio animæ & cordis vinum moderate ſumptum, ad iucunditatem enim creatum eſt, non ad ebrietatem, quæ te vita defraudet.

Vini immodice ſumpti effectus.

EQVES. Sane vini immodice ſumpti effectus ſunt valde infelices. A Salomone certè quaſi ilias quædam malorum quæ dat ebrietas, colligitur, præſertim verò *Prouerb. 23. capit. 29.* vbi ita quæritur: *Cui væ? cui dolor? cui rixa? cui querimonia? cui vulnera impune? cui oculorum rubor?* poſtea ſubijcit; *vini ſectatoribus & compotationes vinarum cuntibus.* Nullumque eſt ſecretum, vbi regnat ebrietas, *Prouerb. 30.* Dicacitate quippe plurimum Ebrij valent. Cuius garrulitatis ergo Picam Baccho dedicatam Plutarchus affirmat, & refert Pierius *lib.3. Hieroglyphicon.* Et eleganter Plato in legibus: Nullum tormentum ad veritatem eliciendam vino efficacius adhiberi poſſe dicebat. Quid? quod vinum haud dubie maximum eſt libidinis incentiuum. Hinc tanto-

pere

pere à Tertulliano laudatur illud Romanæ ciuitatis inſtitutum, quo Romanas mulieres ait olim vſque adeo vino abſtinere iuſſas, vt matronam ob reſignatos cellæ vinariæ loculos inediâ necarint; ſub Romulo verò, quæ vinum attigerat, impune à Mecennio marito necata ſit. Eadem ratione & Pompilius Faunus Fatuam Faunam virgis myrteis ad mortem vſque cæcîdit, quod contra morem decuſque regium clam vini ollam ebibiſſet, & ebria facta eſſet. *Lactat.lib.1.cap.22.* At nunc ô tempora, ô mores! eam ſibi impunitam vini licentiam mulieres vſurpant, vt ab his viros bibendo non prouocari dicam, ſed & ſuperari, cum perpetuo ſexus iſtius dedecore atque infamia videamus.

Cellarum apud veteres ſtructura.

IVVENIS. Videmini mihi aliquantulum exorbitare à ſcopo, nam de conſtructione cellarum vinariarum dicere adlubeſcebat. At ſane ad me quod attinet, opinor ego, veteres non habuiſſe cellas ſubterraneas, quandoquidem dolia, in quibus dolia aſſeruabant, ſub terram demittebant, præſertim ſi hæc eſſent imbecilla, vt Plinius *lib.14.cap.21.* tradidit. Id vero ſuperfluum & ſuperuacaneum fuiſſet, ſi ſubterraneæ extitiſſent cellæ. Sane dolia defodi ſuiſſe ſolita, etiam ex legibus (*l. in inſtrumento.8.l.cum fundus, 21.ff.de fun. inſtruct.* colligitur. Cæterum hoc obiter dico, veteres non condidiſſe vina ligneis vaſis ſiue cupis, ſed in vaſis figulinis, iiſdemque magnæ capacitatis: quippe quę carrum ſiue plauſtrum vini capiebant, hoc eſt, amphoras 120. quæ 1600. aut ſecundũ quoſdam 1920. libras conficiunt. Sed & ſub dio expoſita habebant vina, quę erant nobiliſſima, vt Plinius teſtatur.

EQVES. Vinum lætificare cor hominis, paulo ſupra dictum eſt, proindeque etiam eos qui abundant vinorum copia, minime ſubtriſtes eſſe, extra omne dubium eſt. Sed interim tamen etiam per accidens abundantia vini melancholiam creare poteſt. Id quod inter cætera, Belga quidam ſuo ipſius exemplo planum fecit. Cum enim is non exiguam vini copiam vndique coëmiſſet, futurum ſperans, poſtero anno vini caritatem. Cum vero ſpe ſua fruſtratum ſe metueret, id quod etiam accidit, eo quod æſtas continuo fere ſolis ardore luceſceret, adeoque vuas ad iuſtam maturitatem promoueret atque perduceret, ſubtriſtis Belga Chirurgum adijt, atque vt venam ſibi ſecaret melancholicam, petijt, pati namque vinum ſiue cellam ipſius vinariam, ob ſolis ardorem deliquium, vel vt ipſius vtar verbis: Meeſter ſchlagt mir der Ader / dann der Sonn ſcheint mir in der Keller / ꝛc.

IUUENIS. Hem ego ſi venam ipſi vt ſecarem, accitus fuiſſem, næ dignas Euclione tali adhibuiſſem ventoſitates. Sed quid tandem de noſtra fabrica?

SENEX. Tu doliorum ac cellarum, qualis ea apud veteres in vſu fuit, ſtructuram nobis enarraſti. Ego identidem eodem exemplo, corporis humani ſtructuram, qualis ea apud veteres Ægyptios, præſertim olim in vſu fuit, diuerſimodam vobis enarrabo.

IVVENIS. Hieroglyphicam opinor innuis, cuius ſpecimen paulo ante in Pica, quæ Bacchum hieroglyphice antiquitus denotant, quibus quidem picturis hieroglyphicis ego mirifice afficior.

Hieroglyphica de homine

SENEX. Probe auguraris, idcoque etiam tuis deſiderijs, per me, quoad potero ſatisfiet, tibi interim, vti & Equiti, liberum quoque erit, eodem meo exemplo allegare, in hominem præſertim eiuſque mores atque ingenium efficta atque antiquitus accommodata Hieroglyphica, idque ſi lubet, alternatim. Cæterum cum in mundo verſetur homo, primo omnium, quo modo mundum Hieroglyphice effinxerint dicam. Mundum igitur ſcribere volentes Serpentem pingunt, ſuam ipſius caudam deuorantem, diſtinctum varijs ſquamis. per quas Mundi aſtra figurant. Et grauiſſimum quidem hoc animal eſt pro magnitudine, quemadmodum terra. eſt etiam lubricum & in hoc aquæ ſimile, ac ſingulo quoque anno pellem vna cum ſenio exuit. Secundum quam rationem & in mundo annuum tempus mutationem faciens iuueneſcit. Quod vero pro cibo corpore ſuo vtitur, ſignificat id quæcunque diuina prouidentia generantur in mundo, hæc omnia in eundem diminutionem pati. Cæterum nunc ad ipſum hominem eiuſque mores atque ingenium à nobis fiat tranſitio Hieroglyphica.

EQVES. Embryonem Ægyptij ſignificantes, Ranam pingunt, quoniam huius generatio ex fluminis limo perficitur. Vnde eſt videre interdum ſemiperfectam Ranam, ex parte quidem animal, ex alia vero parte terreſtre quiddam, ita vt flumine deficiente, deficiat & ipſa. Mulierem quæ ſemel tantum peperit, cum volunt ſignificare, leænam pingunt, hæc enim non concipit ſecundo. Mulierem quæ abortiuum fecerit cum volunt ſignificare, equam ſcribunt quæ lupum preſſerit. Equa enim abortiuum facit non modo ſi lupum calcauerit, ſed etiã ſi ipſius veſtigia attigerit.

SENEX. Peccatum ſignificantes, Orygem animal pingunt, quo-

quoniam apparente Luna, ſi ad eam reſpiciat, clangorem emittit, neque adorans eam, neque benedicens. huius autem rei ſignum manifeſtiſſimum eſt. prioribus enim pedibus effodiens terram, caput abſcondit, tanquam ægre ferat, ac nolit aſpicere Lunæ ortum. hoc idem facit oriente Sole. Quamobrem antiqui reges horoſcopo ortum ſibi nunciante, animali huic aſſidentes, per hoc medium tanquam gnomonem quendam exacte de ortu perquirebant. Et ſacerdotes hunc ſolum ex volatilibus comedunt, quoniam inimicitiam quandam in deam exercere videtur. nam ſi in ſolitudine aliqua nactus ſit fontem, poſtquam biberit aquam turbat, ac puluerem, aut lutum pedibus immittit. Et hoc facit ea de cauſa, vt inutilis fiat aqua cæteris animalibus. adeo ſceleſta & odioſa putatur Orygis natura. hoc enim impie facit cum ipſa dea omnia generet: omnia nobis quæ toto mundo vtilia adaugeat.

Voluptatem ſignificantes, XVI. numerum ſcribunt. hinc enim incipiunt homines Veneri indulgere & generare.

EQVES. Animum, Iram, aut Furorem ſignificare volentes Leonem pingunt. caput magnum habet hoc animal, & oculorum pupillas ignitas, corpus rotundum, & pilos radijs ſimiles ad imitationem Solis. Vnde & ſub ſolio Solis Leonem pingunt, demonſtrantes ipſius ad Solem ſimilitudinem.

SENEX. Iram immenſam adeo vt irato febrem incutiat volentes ſignare, leonem pingunt catulos ſuos cauda flagellantem. & leonem quidem, ob iram, catulos vero, flagellatos, quoniam horum oſſa inter ſe colliſa, ignem emittunt.

IVVENIS. Peritiam indicantes cælum pingunt rore pluens. quoniam quemadmodum ros in omneis plantas decidens mollit eas, quæ habent huiuſcemodi naturam, vt molliri queant. alias vero nequaquam, quæ ſuapte natura duræ ſunt. ſic & peritia omnibus hominibus ſe præbet: ac eam ingenioſi tanquam rorem imbibunt, obtuſi vero hoc facere non poſſunt.

EQVES. Notitiam cum volunt ſignificare, formicam pingunt. nouit enim hæc tutas ſibi parare latebras, adhæc præter morem cæterorum animalium in hyeme ſibi cibum parans non deuiat à ſuis latebris, verum recta ad ipſas pergit.

SENEX. Gratitudinem ſcribentes, Cucupham auem pingunt. ſola enim hæc cæterorum animalium parentibus iam ſenio confectis gratiam refert. in quo enim

loco ab eis nutrita eſt, in eo loco nidum illis conficit, ac pennas vellit, cibumque ſufficit, quouſque renatis pennis per ſe ipſos iam parẽtes cibum parare poſſunt: vnde diuina ſceptra Cucupha inſigniunt.

IVVENIS. Auditum ſcribentes, tauri auriculam pingunt, bos enim poſtquam concipere appetit (appetit autem non longiori tempore quam tribus horis) tunc mugit quam maximè poteſt, in quibus ſi non taurus accurrat, naturam claudit vſque ad aliud determinatum tempus. hoc autem raro accidit. audit enim taurus, etiamſi longius abſit: & intelligens eam appetere accurrit ad coitum, faciens hoc ſolus ex cæteris animalibus.

SENEX. Taciturnitatem ſignificantes, numerum ſcribunt, M. LXXXXV. qui numerus eſt annorum trium, conſtituto ex diebus CCCLXV. Intra quod tempus cum non loquatur infans, ſignificatur, & ſi linguam habuerit, illi tamen vocem defuiſſe.

EQVES. Impudentiam ſignificantes, Muſcam pingunt ea namque abacta continue nihilominus redit.

SENEX. Rem quæ fieri nequeat ſignificantes hominis pedes ſcribunt deambulantes in aqua. Aliter, hominem deambulantem ſine capite, impoſſibile vtrumque, vnde non abſque ratione id in eum vſum aſſumunt.

EQVES. Interitum ſignificantes Murem pingunt. hic enim omnia deguſtans coinquinat, ac inutilia reddit. eodem ſigno vtuntur, cum iudicium ſignificare volunt. pane enim multo ac diuerſi generis ſimul poſito, optimum quenque ſeligens comedit. Vnde & optimi panis iudicium in Muribus eſſe putatur.

IVVENIS. Vigilantem aut cuſtodem ſcribentes, caput leonis pingunt, quoniam Leo cum vigilat, habet oculos clauſos, cum vero dormit, tenet reſeratos: quod quidem vigiliæ ſignum eſt. Vnde non immerito ad ſacrorum clauſtra apponunt leones tanquam cuſtodes.

EQVES. Hominem ſaltatione gaudentem & tibijs cum volunt ſignificare, turturem pingunt, capitur enim hæc ad tibias & ſaltationem.

SENEX. Pelicanum auem marinam pingentes, dementem ſignificant. hæc enim auis cum poſſit in altioribus locis, quemadmodum cætera volatilia deponere, hoc non facit, verũ humo defoſſa in ſcrobe oua parit. Quod ſcientes aucupes locũ bouis ſtercore circumliniunt, ac ignem ſupponunt. Pelicanus autem viſo fumo, volens ſuis alis ignem extinguere, non modo non

extin-

extinguit, ſed potius illarum ventilatione exſuſcitat. Vnde combuſtis alis, facile fit aucupũ præda, quamobrem cum filiorum cauſa periclitetur, nefas eſt ſacerdotes veſci Pelicano. Ex Ægyptiis tamen multi comedunt, putantes illum non iudicio, verum natura & in filios pietate ſubire diſcrimen.

EQVES. Virum fortẽ eundemq; temperatum ſignificare volentes, taurũ integræ valetudinis pingunt, habet enim hoc animal membrum calidiſſimum; adeò vt vaccæ nõ iunctus ſine vllo motu ſemen emittat. Quod ſi quando à naturali loco demuet, & in aliũ corporis partem mẽbrum intẽdat, vulnerat vaccam præpotenti illius intenſione. Sed & tẽperans eſt. nam poſt cõceptum vaccę nunquam cum illa coit.

SENEX. Iniuſtum & ingratum ſignificãtes, vngues geminos Hippopotami curuatos pingunt. hic enim cum adoleuerit periculum facit, an iam patre fortior euaſerit. Et ſi quidẽ pater cædit, locum illi impartitur ac permittit viuere. Pro patre vero matris connubia appetit: ſi vero non aſſentiatur pater eum coitecum matre, interimit ipſe patrem iam ſuperior viribus. Sic enim ſcribunt geminos Hippopotami vngues curuatos admodum: quod cũ homines vident, & qua ratione id facit cognoſcunt, proniores fiunt ad beneficia conferenda.

EQVES. Rapacem aut fœcundum aut inſanum ſignificare volentes Crocodilum pingunt. Eſt enim fœcundum animal Crocodilus. & ſi quando à petita rapina prohibeatur in ſeipſum iratus furit.

SENEX. Ingratos erga promeritos ſignificantes, columbam pingunt. Mas enim valẽtior factus, patrem ſuum expellit, ac ipſe cum matre coit. Purum autem hoc animal eſſe videtur. etenim orta peſte, & hac infectis omnibus ſoli columbas edentes illæſi perdurant. Quam ob cauſam tali tempore nihil aliud regi in prandio præter columbas apponunt. Hoc idem contingere dicunt deorum miniſtris. ſcribitur etiam bilem hoc animal non habere.

IVVENIS. Scribam iterum ſignificare volentes, aut Prophetam, aut ſplenem, aut odoratum, aut riſum, aut ſternutationẽ, canem pingunt. Scribam quidem, quoniam eũ qui debeat eſſe perfectus ſcriba, oportet multa meditari, adlatrare omnes quodammodo, agreſtem eſſe, nemini gratificari: quemadmodum nec canes. Prophetam, quoniam præ cæteris animalibus admiratur canis. Et obtutu firmo intuetur ſimulacra deorum. quemadmo dum Prophetam. Splenem, quoniã leuiſſimum ſplenem canis habet. & ex eo mors eſt illi & rabies aliquando. Et miniſtri canem curantes, cum eſt moriturus, vt plurimum ſplenetici fiunt. Odoratum vero, riſum & ſternutationem, quoniã qui

plane ſunt ſplenetici, neq; odorare, neq; ridere, neq; ſternutare poſſunt.

EQVES. Eum qui ſerò à peregrinatione redeat, cum ſcribere volunt, rurſus Phœnicem auem pingunt. hęc enim poſt quingenteſimũ annum, cum iam eſt morti propinqua, in Ægyptum remeat. ac ſi præueniat ante obitum curatur myſtice ab Ægyptiis. & quæcunque aliis ſacris animalibus tribuunt, hæc & phœnici omnia debentur. gaudet enim Sole maxima Phœnix, in Ægypto præcipue, vtpote illic vehementi. Vnde & illius calore dicunt inundare Nilum.

SENEX. Muſicum ſenem cum volunt ſignificare, cygnum pingũt. hic n. ſeneſcẽs canit quã ſuauiſſime.

EQVES. Hominem non habentem naturaliter bilem, verum ab alio commotum cum volunt ſignificare, columbam pingũt arrecta poſteriora habentem. in illis enim bilem habet.

SENEX. Hominem ad propriũ patronum confugientem, neq; adiutum cum volunt ſignificare, paſſerem & noctuam pingunt. paſſer enim aucupem fugiens, ad noctuam procurrit. apud quam æque tamen laborat.

EQVES. Hominem tute vrbem habitantem ſignificare volentes, aquilam lapidem portantem pingũt. illa enim lapidem vnguibus eleuatum portat in ſuum nidũ, vt illo depreſſus nidus firmiter maneat.

SENEX. Inſtaurationem diuturnam ſignificare volentes, phœnicẽ auem pingunt. quãdo enim hæc naſcitur, inſtauratio fit rerum. naſcitur autem hoc modo. cum moritura eſt phœnix, proiicit ſeipſam ad terram. & ex proiectionis impetu, vulnus accipit. ac ex cruore de illo vulnere, naſcitur alia phœnix. hæc autẽ poſtquam pennæ cõcreuerint vnà cum matre in Solis vrbem, quæ vrbs eſt in Ægypto, proficiſcitur. illic autem mater moritur ſtatim ad ortum ſolis. poſt cuius interitum redit pullus in propriam patriam, vnde digreſſi fuerant. Sacerdotes autem Ægypti defunctam ſepeliunt.

IVVENIS. Parentis amatorem ſignificare volentes, ciconiam pingunt. hæc enim à parẽtibus enutrita non ſeparatur ab illis, verum ad vltimam vſque ſenectutem permanens parentibus victum ſufficit.

EQVES. Mulier quæ virum oderit, ac inſidias illius vitæ tendat, & in coitu tantum adulantem cum volũt demonſtrare, viperam pingunt. ipſa enim in coitu mari iuncta os in os inſerit. poſt coitum vero interimit, illius caput morſu amputans.

IVVENIS. Filios matri inſidiãtes cum volunt ſignificare, viperam pingunt. hæc enim non ex naturali loco quemadmodum cætera animalia, verum parentis vtero rupto, ſic in lucem prodit.

EQVES. Hominem in accuſatione conuiciis affectum ac languẽtem

tem ſignificare volentes, baſiliſcum pingunt, ille enim vicinos ſibi ſerpentes ſolo ſibilo interimit.

IVVENIS. Hominem igne cõbuſtum ſignificare volentes, ſamádram pingunt. ipſa enim vtroque capite interimit.

SENEX. Hominem cæcum ſignificare volentes, talpam pingunt. hæc enim neque oculos habet, neque aliter videt.

EQVES. Hominem extra domum ſe continentem cum volunt ſignificare, formicam & pennam veſpertilionis pingunt. huius enim alis ad nidum repertis, formica nõn ingreditur.

IVVENIS. Hominem ſibiipſi damna inferentem cum volunt indicare, caſtorem pingunt. hic enim venatoribus inſequentibus teſticulos ſuos demordens, abiectos relinquit.

SENEX. Patrem qui inuiſo filio hæreditatem reliquerit ſignificare volentes, ſimiam cũ alia parua ſimia inſequẽti pingunt. parit enim ſimia geminos. ex quib⁹ vnum diligit admodum, alterum vero odit. quem igitur amat, ore geſtans interimit. quem vero odit, poſt ſe habet. ac illum reliquum nutrit.

EQVES. Hominem ſuum dedecus occultantem, cum volunt ſignificare, ſimiam pingũt. hæc enim cum vrinat, vrinam ſuam occulit.

SENEX. Hominem acuti auditus ſignificare volẽtes, capram pingunt. hæc enim & auribus, & quadam parte gutturis audit.

IVVENIS. Inſtabilem aliquem, neque in eodem ſtatu permanentẽ, verum modo fortem & audacem, modo imbecillum & timidum, cũ volunt ſignificare, hyænam ſerpentem pingunt. hæc enim modo mas, modo fœmina fit.

EQVES. Superiorem ab inferiore victum ſignificare volentes, duas pelles pingunt. hyænæ vnam, alteram pardi. hæ enim pelles ſi ſimul ponantur, pardi quidem pilos abiicit, hyænæ vero, non.

IVVENIS. Hominem qui inimicum ſuum vicerit ſignificare volentes, hyænam ad dextram cõuerſam pingunt. victum autem indicãtes, rurſus hyænam ad ſiniſtrã conuerſam pingunt. ipſa enim inimico inſequente, ſi ad dextram partem ſe cõuertat, interimit inimicum. ſi vero ad ſiniſtram, interimitur ipſa.

SENEX. Hominem iniectas ſibi difficultates ad mortem vſque intrepide ferentem ſignificare volentes, hyænæ pellem pingunt. ſi quis enim hyænæ pelle ſuccinctus, medios feratur in hoſtes à nullo læditur, & intrepide præterit.

IVVENIS. Hominem inimicum ſuum præueniẽtem, ac minimo damno ſe à periculis eximentem cum volunt ſignificare, lupũ pingunt extrema amputata cauda. hic enim cũ iam ſit à venatoribus indagãdus, pilos abiicit, & extremum caudæ.

EQVES.

EQVES Hominem ex occulto pericula timentem ſignificare volẽtes, lupum & lapidem pingunt. Lupus enim neque ferrum timet, neque haſtam, ſed tantum lapidẽ. Denique ſi quis lapidem proiiciat, hoc verum periculo comprobabit, & ex proiectu lapidis vulnere facto gignuntur lupo vermes.

SENEX. Hominem igne caſtigatum, & hoc indicare volentem, cum volunt ſignificare, leonem & faces pingunt. nihil enim magis timet leo, quam faces ardentes. neque vlla alia re æque ac his domari creditur.

EQVES. Hominem ægrorum ac ſeipſum curantem cum volunt ſignificare, leonem pingunt ſimiam vorantem. hic enim ſi febricitet, vorata ſimia conualeſcit.

SENEX. Hominem nouiſſima calamitate caſtigatũ ſignificare volentes, taurum pingũt caprifico illigatum. hic n. cum mugit ſi de caprifico ligetur, redditur manſuetus.

IVVENIS. Hominem dubiæ & inſtabilis temperãtię ſignificare volẽtes, taurum pingunt genu dextrũ ligatum. ſic enim non coit. aſſumitur autem taurus ſemper ad temperantiam ſignificandam. quippe qui poſt conceptũ, fœminam nõ adeat.

SENEX. Hominem oues & capras perdentem ſignificare volentes, animalia ipſa pingunt Conizam paſcentia. Hac enim Conizam edentia moriuntur ſiti enecta.

IVVENIS. Hominem comedẽtem ſignificare volentes, Crocodilum pingunt os apertum habẽtem.

SENEX. Hominem rapacem & pigrum ſignificare volentes, Crocodilum pingunt cum Ibidis pẽna in capite. hunc enim ſi Ibidis penna tangas, immobilem reddes.

IVVENIS. Hominem primo deformem natum, qui poſtea formoſus euaſerit ſignificare volentes, vrſam prægnantem pingunt. Hæc enim conuerſum ſanguinem ac duratum parit. poſtea fotum digerit in ſuas partes, ac lingua lingens perficit.

EQVES. Fortem hominem ac vtilium indagatorem ſignificare volentes, elephantem pingunt cum proboſcide. hac enim ille olfacit, ac intercidentia conſequitur.

SENEX. Regem inſipientiam fugientem ſignificare volentes, ceruum & arietem pingũt. fugit enim ceruus cum arietem videt.

EQVES. Regem hominẽ multarum nugarum fugientem, cum volunt ſignificare, elephantem pingunt cum ſue. fugit enim elephas audita voce ſuis.

IVVENIS. Hominem celerem in curſu, verum ſine cauſa fugientẽ ſignificare volentes, ceruum & viperam pingunt. fugit enim ceruus viſa vipera.

SENEX. Hominẽ de ſua ipſius ſepultura curam habentem ſignificare volentes, ceruum pingũt ſuos ipſius

ipſius dentes infodiétem. ſepelit n. ceruus, qui ſibi exciderunt dentes.

IVVENIS. Hominem qui ad legitimam ætatem vixerit ſignificare volētes, cornicem pingunt. viuit enim hæc centum Ægyptiacos annos. annus autem apud Ægyptios eſt quatuor annorum.

SENEX. Hominem malitiam ſuam tegentem, nec ab aliis cognoſci promittētem, cum volunt ſignificare, pardum pingunt. venatur enim pardus & inſequitur cætera animalia ex occulto ac ſingulatim. nec pernicitatem ſuam cognoſci ſinit, vt minus caueant ab eo animalia, quæ inſequitur ad paſtum.

EQVES. Hominem adulatione deceptum ſignificare volentes, ceruum pingunt cum tibicine. demulcetur enim ceruus cantus modulamine. ac ſic quodammodo oblitus ſui capitur.

SENEX. Hominem cui comeſta vua nocuerit, & qui ob id ſeipsū curet ſignificare volentes, vpupam pingunt, & Adiantum herbam. Vpupa enim vua paſta læſa, inuentum adiantum in os immittit, ac ſic conualeſcit.

IVVENIS. Hominem ſibi cauentem ab inimicorū inſidiis cum volunt ſignificare, gruem vigilantem pingunt. grues n. ſeipſas cuſtodiunt tota nocte p vices vigilias facientes.

SENEX. Senem inedia enectum ſignificare volentes, aquilam pingunt cum curuato roſtro. iſti enim ſeneſcenti incuruatur roſtrum, & ea de cauſa inedia abſumitur.

EQVES. Hominem inquietum ſemper & iracundum, ac nec quidē dum comedit quieſcētem, cum volunt ſignificare, cornicem cum pullis pingunt. cornix enim dum pullos paſcit, ſemper eſt in curſu.

IVVENIS Hominem cœleſtium gnarum ſignificare volentes, gruem volantem pingunt. hæc enim ita alte volat, vt nubes videat & tangat.

SENEX. Hominem alienantem proprios liberos ob paupertatem cum volunt ſignificare, aquilā prægnantem pingunt. illa enim parit tria oua. ex quibus eligit vnum, duo reliqua frāgit. hoc autem facit, quia tunc temporis vngues mutat. & hac de cauſa nō poteſt tres eodem tempore pullos alere.

IVVENIS. Hominem tardum in mouēdis pedibus ſignificare volentes, camelum pingunt. ille enim ſolus ex aliis animalibus crura in eundo incuruat. & ex hoc habet appellationem.

EQVES. Hominem impudentem & acuti viſus ſignificare volentes, ranam pingunt. hæc enim ſanguinem non habet niſi tantum in oculis. eos autem qui illic ſanguinem habeant impudentes vocant. vnde Homerus: ebrius, canis oculos habens, & cor cerui.

SENEX. Hominem qui multū tempus ſe mouere nequeat. poſtea vero mouendi ſe vires conſequatur

cum volunt ſignificare, ranam pingunt, pedes poſteriores habentem. ranæ enim naſcuntur ſine pedibus, qui tamen procedéte tempore ſubcreſcunt.

EQVES. Hominem omnibus inimicum ſignificare volentes, anguillam pingunt. hęc enim ſeorſum ab aliis piſcibus degit. neque temere cum aliis inuenitur.

SENEX. Hominem ſeruantem multos in mari ſignificare volétes, Narcam piſcem pingunt. hic enim cum viderit piſces defeſſos iam, nec amplius natare valentes, præſto eſt illis ac ſeruat.

IVVENIS. Hominem qui vtilia & inutilia male conſumpſerit ſignificare volentes, polypum piſcé pingunt. hic enim multum & intemperanter edens cibum congerit in caueam. & cum eſui apta conſumpſerit, abiicit, & reliqua inutilia.

EQVES. Hominem hominib⁹ ſui generis imperantem ſignificare volétes, Carabum & polypum pingunt. ſuperát enim Carabi polypos, ac primas tenent.

IVVENIS. Hominem iunctum mulieri ſignificátes, conchas piſces pingunt. ipſæ enim in conchis genitæ, paulo poſt in ipſis conchis mutuo iunguntur.

EQVES. Hominem qui ſemetipſum non curet, verum à propinquis curetur ſignificare volentes, concham & cancrum pingunt. adhæret enim cancer conchæ. & vocatur pinnophylax, id eſt, conchæ cuſtos. hiat autem concha cum eſurit. in eam igitur hiantem cum piſciculus intrauerit. pungit cancer vngula concham. hæc vero admonita concham claudit. & hoc modo venatur piſciculos.

IVVENIS. Hominem cibum euomentem, ac rurſus immoderate comedentem ſignificare volentes, Muſipulam aquaticum animal pingunt. hæc enim ex ore parit. poſtea vero natans fœtum deglutit.

EQVES. Hominem cum alienigenis coeuntem ſignificare volétes, Myrannam piſcem pingunt. hæc enim è mari egreſſa viperis admiſcetur. ac ſtatim ad mare recurrit.

IVVENIS. Hominem ob cædem punitum ſignificare volentes, turturem laqueo captam pingunt. hæc enim detenta abiicit, quam habet in cauda ſpinam.

EQVES. Hominem aliena comedentem ac deinde ſua conſumentem ſignificare volentes, polypum pingunt. hic enim ſi deſint ſibi cibi, ex ſuis capillamentis edit.

IVVENIS. Satis nūc opinor hiſce præambulis inhæſimus; reſtat vt vel tandem humani corporis fabricam directe conſideremus.

SENEX. Quomodo fiat hominis ſtructura ſeu embryonis formatio in vtero materno, de hoc dicunt quidem aliquid anatomici, nó tamē omne dicunt, neq; quod eſt caput rei, dicút, quomodo ſine plaſtæ ma-

nu in-

nis inſtrumentiſque & penicillis infans efformetur, diſtinctis oſſiculis, venulis, apta inter ſe decoratis cōpagine, pelliculis, membranulis, ex quatuor humoribus, tam aptè digeratur corpus tam paruum, tenellũ ac molliculum, diuerſis pingatur colloribus, nutriatur, moueatur, maturus luci prodendus properet. Ego cum Dauide *Pſal. 139. v. 15.* dico, hoc eſſe miraculum ab omni hominum cognitione abſconditum.

E femore egreſſi liberi quomodo intelligendum.

EQVES. Modum & actum generationis ac prolificationis relinquamus practicis. Obiter hoc duntaxat quæro: Quum *Geneſ. 45.* dicantur è femore Iacobi egreſſæ aliquot animæ, & initio Exodi egreſſi ex eiuſdem femore filij & nepotes, &c. qua nimirum ratione ex femore in ſacris literis dicantur prodire filij?

SENEX. Hanc quæſtionem tractat Valeſius in ſacra ſua Philoſophia, atq; ibi quærit, num hæc Phyſicè in ſcripturis dicantur, affirmatque hanc phraſin cauſam habere naturalem, in hominum & genitalium partium compoſitione, nimirum vaſa ſeminalia, quæ meliorem & puriorem deferunt ſanguinem in teſtes, vt in ipſis ſemen fiat, ſunt venæ quædam quæ ortæ ex venis, quę in lũbis diſciſſę in crura iam deſcendunt, antequam in tres ramos, qui per crura decurrunt, diſtribuantur, recurrunt per femora, in teſtes in viris, & in mulieribus in vterum. Nam venæ quæ ex caua eo ferè loco, quo ſiti ſunt renes, mittuntur in teſtes, ſiniſtra quidē venit ex emulgente, quæ ſeroſum ſanguinem in renem defert, atque ob id ipſa quoque ſeroſam materiam in teſtē trãſfert. Dextra verò non multum poſt exortum emulgentis. Quare, ait ille, ne ipſa quidem ſatis expurgatum ſanguinem defert, ſaltem non adeo ac venæ, quæ multo poſt ortæ ex ipſis femoribus recurrunt. Ergo non immeritò generatio in Sanctis literis ad femora refertur, vt & Iacob in Iudæ benedictione dixit: *Non auferetur dux de femore eius.* & hanc ipſam ob cauſam *Num. 5.* inter adulteræ maledictiones illud præcipuè præcipiebatur ſacerdos dicere: *Vtero putreſcente putreſcat femur.* Sed huiuſmodi quæſtiones quæ incidenter mouentur, breuiter expediemus.

IVVENIS. Mira eſt hominis fabrica, eaque pro ratione ſexus, diuerſimoda. Aliter enim formatur vir, aliter fœmina, aliter hermaphroditus. Atque vt in ædificijs faſtigium eſt anguſtius, fundamentũ amplius & firmius: ſic fœminæ podicem habent latiorem, pectus anguſtius. Debent enim οἰκουροὶ eſſe, & domi ſedere. Viri autem habēt ampla pectora, id eſt, debēt valere cōſilio, & ſuſtinere onꝰ gubernationis.

Hermaphroditi ſectio.

EQVES. Sectionem & inſpectionem Hermaphroditi & Androgyni ex Columbo Anatomico vobis enarrabo. Superioribꝰ annis, inquit,

quit Columbus, fœminam mihi videre contigit, quæ præter vuluam membro quoq; virili prædita erat, quod tamen non erat admodum craſſum. Quamobrem in eius Anatome generationis vaſa accuratè admodum perneſtigaui, vaſa ſeminaria teſteſque conſiderans, nunquid vlla inter hæc communio & conſenſus adeſſet; tandem hoc comperi, vaſa quidem præparantia, ab aliatum fœminarum præparantibus vaſis non differre: ſed deferentia differre. Nam bipartita erant, & ex binis quaterna natura genuerat, ex quibus duo, quæ etiam maiora erant, ad matricis concauum deſtinabantur, reliqua duo ad penis radicem, qui glandularum paraſtatum erat, expers erat. Hoc tam admirabile viſu & ſpeculatu erat, quam quod maxime: quo pacto natura prudens ſagaxque locum ſatis tutum præelegerat, per quod vaſa hæc ad penem deferri poſſent: & quemadmodum meatum qui in ipſo eſt pene, perforarent: qui meatus in aliis tum ſemini, tum lotio communis exiſtit. Hic vero vrinæ nihil quicquam opis afferebat, nam inſtar aliarum mulierum vrina exibat. Vterus autem, necnon vteri ceruix à cæterarum fœminarum matrice colloq; nihil diſtabat: ſed in teſtibus diſcrimen erat, nam teſtes in hac craſſiores erant quam in reliquis mulieribas: ſed quoad ſitum ipſorum, nullum diſcrimen deprehendi. Peni ſcrotum contiguum non erat, imo vero ſcroto prorſus carebat, & duobus muſculis præditus erat huius fœminæ penis, non quatuor, vt in maribus perfectis. Præterea penis huius Hermaphroditi tenui pelle integebatur, nullum aderat præputium, ſed duo ſpongioſa corpora, per quæ arteriæ ferebantur, ab illis ortæ, quæ ad veſicam tendebant. Atque hæc ſint ſatis de Hermaphrodito, quem mortuum ſecui. Duos deinde Hermaphroditos viuentes conſideraui, in quibus alter mas, fœmina alter erat; (dicuntur autem à ſuperabundanti vel mares vel fœminæ, vt vel plantandis hominibus vel homini ſuſcipiendo ſunt aptiores, vel aptiores creduntur) fœmina erat Æthiopica, mulier earum, quas Cingaras appellant Longobardi, hæc neque agere, neque pati commodè poterat. Nam vterque ſexus imperfectus illi contigerat ſuo magno malo: penis namque minimi digiti longitudinem craſſitiemque nõ excedebat: vuluæ autẽ foramen adeo anguſtum erat, vt minimi digiti apicem vix intromitteret; optabat miſera, vt hunc illi penem ferro euellerem, quippe quem ſibi impedimento eſſe diceret, dum cum viro coire exoptabat; optabat etiam, vt vuluę foramen illi amplificarem, vt viro ferendo idoneo eſſet. Ego vero, qui horum diſcrimen intueri ſæpius cupiebam, verbis detinui,

non

non enim ſum auſus aggredi illius cupiditati ſatisfacere, quoniam id abſq; vitæ diſcrimine fieri, non poſſe exiſtimabam.

Hermaphroditus vir, quem vivum ſumma diligentia inſpexi, hoc modo habebat: Penis aderat cum ſcroto teſtibuſque, ſub quibus in peritonæo ſeu tauro; quo loco (inter anum ſcilicet & teſtes) fit ſectio pro extrahendo veſicæ lapide: foramen quidē præſtabat in vuluæ morem, ſed non penetrabat. Atque hi ſunt, quos vidi, Hermaphroditi. Hactenus Columbus.

SENEX. Hermaphroditos ſeueri illi morum cenſores Romani ab initio vrbis conditæ, lege aruſpicum, mari immergebant, quos tamen poſtea creſcente luxu in delitijs habere cœperunt, quod vtroque ſexu luxuria nefariorum, ſimul potiri viderentur.

Fœminum effigies ex imaginatione. IVVENIS. Prodeunt quandoque hominum diuerſimodæ effigies, vel ex nuda imaginatione, quæ quandoque etiam monſtris accenſentur; aliquando tamen non ex imaginatione, ſed ex occulto quodam naturæ vitio ac deprauatione, imo etiam à diuino numine terris viſenda ad ſingulares quaſdam commonefactiones immittuntur. Recitabimus alternatim quædam huius rei exempla. Goudæ (inquit Balduinus Ronſſeus *in tract. de humanæ vitæ primordijs, cap. 10.*) mulier quædam conſpicata greges Indicorum pauonum, aut gallinaceorum, aut quomodocunque vocare libuerit, atque inter hos gallum quendam præ cæteris ſpectatæ formæ caudam criſtaſque erigentem, ac varios Protei in morem induentem formas, animo conſternata non multo poſt monſtroſum eumque admodum laborioſum partum enixa eſt. Infantis enim facies tota dehoneſtabatur enormi quadam atque carniformi excreſcentia: nam labrum inferius varicolori quadam cuticula circumtegebatur; quæ quidem vt omnes varioſque Indicorum pauonum colores expreſſit, ita etiam eiuſdem dependentes malas quam appoſitiſſime delineauit.

SENEX. Illud cuius in Coſmographia ſua meminit Münſterus, præ cæteris admiratione dignum eſt: colloquebantur, vt ſcribit, à Wormatia non procul, anno ſalutis humanæ, ſupra milleſimum quadringenteſimo nonageſimoquinto, duæ mulieres, quarum quum altera vterum geſtaret, ac tertia quædam ex inſperato ſuperueniens colloquentium capita concuſſiſſet, grauida animo conſternata, in concepto iam fœtu manifeſtum concuſſionis huius reliquit ſignum. Siquidem quum adeſſet iam parturiginis tempus, enixa eſt didymos: e-

rant duæ puellæ corporibus integræ, ſed in vertice frontetenus connexæ inſeparabiliter, & ſe mutuo inſpicientes: cogebantur ſimul incedere, ſimul dormire & ſurgere & quum vna procederet, altera retrocedebat, naſi vtriuſque ſeſe fere contingebant, oculi vero non in directum ſed in latera tantum torqueri poterant, quia paululum ſupra oculos frontes cohærebant. Extenſa eſt vita illarum ad decimum annum, & cum tunc vna moreretur, illaque à ſuperſtite reſecaretur, viua ex accepta in capite vulnere, aut potius ex vulneris fœtore & cerebri putrefactione, ſororem paulo poſt per mortem eſt ſecuta. Hactenus Münſterus, qui ſuis oculis ſe hæc vidiſſe affirmat.

EQVES. Adeo mirum videri nemini debet, ſi imaginatio ſimilitudinum aut diſſimilitudinum cauſa dicatur. A quo etiam non diſſimile eſt, quod gallinis aliiſque auiculis oua incubantibus, ſi albis contegantur linteis, albos naſci pullos, variiſque varios produci videamus.

SENEX. Neque ab hoc diſſonat, quod *Geneſ. 30.* Hebræus ille Iacob varicoloribus ſuis virgulis præſtitit, adeo vehemens eſt imaginatio, vt non ſolummodo formas ſed & ſpecies immutare poſſit, ſi Conciliatori credimus.

EQVES. Quid vero de Monſtris vobis videtur, quæ aberrante natura prodeunt, de quibus hoc propemodum axioma eſt. Quoties enormia & terroris plena mõſtra naſcuntur, diri aliquid portendere ſolent, aut magnas & ſubitas in rebus publicis mutationes.

IVVENIS. Memini ego paulo ſupra à nobis fieri aliquam gigantum mentionem, quorum corpora cum admodum fuerint monſtroſa, inter hominum monſtra connumerari poſſe non inconcinne exiſtimandum videtur. At ſunt tamen, quibus placet, gigantum vocabulo non ſignificari eos, qui vulgo nominantur gigantes, homines dico, inuſitata corporis mole & magnitudine, proceritateque, ſed ſuperbos, homines impios, crudeles, denique morum immanitate ſimiles eorum gigantum, quos fabulati ſunt Poëtæ etiam contra Deos bella mouere auſos. In hac ſententia fuiſſe videtur Philo *lib. de Gigantibus*. Nullam, inquit, Moſes, de gigantibus affert fabulam, ſed illud te docere vult, alios eſſe terræ, alios cæli, alios Dei homines. Terræ quidem eos, qui venantur voluptates corporis, quærendo vndecunque ſingularum materiam. Gigantes autem, vt nomen indicat, dicuntur γηγενεῖς, id eſt, terra geniti. Ioſe-

Gigantes num ſint monſtra?

Ioſephus quoque vocabulum Gigantum referre viſus eſt non ad corporis molem, ſed ad improbitatem morum, *lib.1.Antiq.* In eandem quoque ſententiam Chryſoſtomus: Gigantes, ait, hic à ſcriptura dici opinor non inuſitatum hominum genus aut inſolitam formam, ſed heroes, viros fortes & bellicoſos. Ad horum ſententiam aggregari poteſt Cyrillus, qui ſub initium *libri noni aduerſus Iulianum* de loco Geneſeos diſputans, ait: Mos eſt diuinæ ſcripturæ Gigantes vocare agreſtes, feroces & ſuperbos. Nam de Perſis & Medis Iudæam deuaſtaturis dixit Deus per Ieſaiam: *Gigantes venient, vt impleant furorem meum.*

Senex. Ego vero Gigantes cenſeo fuiſſe homines corporis inſigni proceritate & vaſtitate, cum qua tamen ſimul & coniuncta eſſet incredibilis immanitas & crudelitas, ſuperbia item atque impietas, vt ſcilicet fuerint immanes mole corporis, ſuperbi animo, viribus præualidi, & inconditi moribus. Vnde *Gigantes*, id eſt, filij terræ dicuntur. Caſſianus ait, fuiſſe robuſtiſſimos venatores, violentiſſimos & truculentiſſimos viros, qui præ enormitate corporum, crudelitatis & malitiæ, Gigantes nuncupati ſunt: Auguſtinus etiam multis in locis locum Geneſeos de veris & vulgo appellatis Gigantibus intelligit: Hanc interpretationem luculentis diuinæ ſcripturæ teſtimonijs illuſtrat & ſimul confirmat Theodoretus *in 48. quæſtione ſuper Geneſin:* Aiunt quidam, quos ſcriptura vocat Gigantes, eſſe eos, qui multos annos vixerunt: nonnulli vero dicunt, eſſe Dei oſores & aduerſarios homines. Qui ſic exiſtimant, non putant, illos grandiora cæteris hominibus habuiſſe corpora. Ego vero cum audio ſcripturam dicentem, (*Deut. 2. Num.13.*) Enac fuiſſe à gigantibus oriundum, & regis Og cubile ferreum fuiſſe longitudine nouem cubitorum, latitudine quatuor. Itemque cum audio exploratores Ioſuæ narrantes, Hebræos in comparatione Gigantum, qui erant in terra Hebron, fuiſſe tanquam locuſtas, Deumque dicentem: *Tradidi Amorrhæum, cuius altitudo erat inſtar Cedri & robur vt quercus*; arbitror fuiſſe quoſdam prægrandes homines, Deo hoc ſapienter diſpenſante, vt cognoſcant, Deum tanquam omnipotentem creatorem, tantam hominibus diſtuliſſe menſuram. Beroſus Ammianus in exordio ſuæ hiſtoriæ ſcribit, Gigantes vaſtitate corporis ac robore confiſos, inuentiſque armis omnes oppreſſiſſe, manducaſſe homines, commixtos

mixtos matribus, filiabus, ſororibus & maſculis brutiſque, contemptores religionis & deorum. Et mihi quoque conferenti ſacras literas, videntur Gigantes fuiſſe: homines quinque rebus maxime inſignes; vaſtitate ſcilicet corporis, robore, ſcientia & potentia bellica, ſuperbia ſupra humanum modum, denique qui propter inhumanitatem & crudelitatem maxime formidabiles & terribiles eſſent. Fuiſſe igitur ingenti corporis mole, & magnitudine ſtatuo.

EQVES. Iulius Scaliger aduerſus Cardanum *Exercit. 263.* affirmat vidiſſe ſe Mediolani in publico Noſocomio iuuenem vnum tantæ proceritatis vt ſtare non poſſet. Neque enim potuerat à natura ſatis alimenti ad craſſitudinem roboriſque proportionem ſuppeditari, itaque iacebat explebatque lectos duos ſimul in longitudinem iunctos; vbi Scaliger præterea alia addit accurata obſeruatione digna. Memini & ego me in inauguratione Epiſcopali Salatini Epiſcopi Colonienſis &c. vidiſſe ſatellitem mirandæ proceritatis, cui in diuerſorio propter longitudinem corporis noua apparabatur ſpõda. Sed quid attinet in re perſpicua prolixiores eſſe.

IVVENIS. Cum igitur monſtris non accenſeantur, Gigantes, nihil attinet, prolixius de Gigantibus diſſerere, cum in monſtris iam verſemur.

SENEX. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus *Originum lib. 11.* Monſtra, inquit, à monitu ſunt dicta, quod aliquid ſignificandum demonſtrent, ſiue quod ſtatim monſtrent, quid appareat, & hoc proprietatis eſt: abuſione tamen ſcriptorum plerumque corrumpitur. Quædam autem portentorum creationes in ſignificationibus futuris conſtitutæ videntur. Vult enim Deus interdum ventura ſignificare per aliqua naſcentium noxia, ſicut & per ſomnos, & per oracula, quibus præmoneat, & ſignificet quibuſdam vel gentibus, vel hominibus futuram cladem, quod plurimis etiam experimentis probatum eſt: vt in temporibus Xerxis Regis. Tunc quippe vulpes ex equâ creata, diſſolui regnum eius portendit. Alexandro ex muliere monſtrum creatum eſt, quod ſuperiores corporis partes hominis, ſed mortuas habuit: inferiores diuerſarum beſtiarum, ſed viuentes: ſignificans repentinam Regis interfectionem, ſuperuixerant enim deteriora melioribus. Sed monſtra, quæ in ſignificationibus dantur, non diu viuunt, ſed continuo vt nata fuerint occidunt. *Monſtra.*

EQVES. Monſtrorum paſſim extant infauſta monumenta. Puer

pe-

pedibus caprinis, & vnum oculum in fronte habens, Byzantij eſt natus, circa annum Domini 1077. quo Aſianorum complures, metu barbarorum Orientem deuaſtantium, Conſtantinopolin confugerunt: vbi poſt famem tanta ſecuta eſt peſtis, tantuſque hominum interitus, vt viui ſepeliendis mortuis non ſufficerent.

IVVENIS. Anno 1119. iuxta Sparliacum natus eſt infans monſtroſus in modum piſcis, nec brachia habens nec coxas, de quo Meyerus in annalibus Belgicis.

SENEX. Marcus Antonius Coccius Sabellicus *Enneadis 9. lib. 7.* de quodam monſtro hæc enarrat: Natus eſt, inquit, ſub Damaſi II. Pontificatu ex illuſtri fœmina, Pontificis perneceſſaria, puer villoſus, & in ſpeciem vrſi vnguiculis armatus: quo monſtrifico partu permotus Pontifex, omnes vrſorum imagines, quæ forte in eius domo fuerunt, iuſſit deleri, manifeſto argumento recepto ab eo perſuaſionis, quales in conceptu hauriuntur ſpecies, tales in partu ſæpius repræſentari.

EQVES. Anno 1402. in mari Hollandico, tum admodum procelloſo & alto, capta mulier marina, nuda & muta, portata in oppidum Edam, & inde Harlem: veſtita eſt, didicitque edere panem & lactaria, & vixit annos multos ſemper muta. Didicit item nere, & honorem exhibuit ſanctæ cruci, quamuis eſſet muta.

SENEX. Anno 1442. puella virgo filium ſemicanem peperit. Sic Volateranus ſcribit, ex cane & muliere natum infantem formæ humanæ ſuperiore parte, inferiore vero, caninæ: atque expiationis cauſa ad Pontificem delatum fuiſſe. Meminit eius Cardanus quoq, *lib. 14. de rer. var. cap 64.*

IVVENIS. Alexander Guagninus in Sarmatia, iuxta Cracouiam, inquit, aliquando mulier quædam puerum cum collo leporino & auribus peperit. Non multo poſt, mulier etiam cum puero ſerpentem peperit, qui ſerpens puerum ad inteſtina vſque corroſerat.

EQVES. Anno 1523. Lunæburgi non procul ab Hamburgo monſtrum natum eſt, cuius caput hominis erat facies, longum porrectum naſum habebat, in vertice glabrum & depile, inſtar raſi monachi, & coronam, velut in monachis conſpicitur, collumque gruis: brachia, femora, pedes manuſq, prorſus humanas habebat, diſtentum & rotundum ventrem, brachijs alatũ erat, & plumis femora veſtita fuerunt. Ita recenſet Fincelius *lib. 2. de portent.*

SENEX. Refert Georgius Fabricius, natum eſſe infantem mon-

ſtroſum Anno 1558. in Calend. Iulij, qui in capite carnoſos habuerit flexus, vt nunc ingentes Spiræ mulierum ſolent eſſe, quibus reticula & flammeola imponunt.

EQVES. Thomas Facellus *de rebus Siculis*, Ætate mea, inquit, anno ſalut. 1536. tertio Idus Auguſti, infans tria habens capita, tria pectora, ſex brachia, totidemque pedes, natus eſt: qui ex triplicis capitis ore, & lac ſugebat, & vagiebat, vt vidimus. Tres habuiſſe animas id monſtrum, ex triplici pectore, ex quo triplex cor infertur, & Philoſophi & Theologi optimis rationibus argumentantur. quod & diuerſus interitus probauit: nam idibus eiuſdem menſis infans extinctus eſt: ita vt ſpiritus vnum quidem caput mane, alterum mox, tertium vero paulo poſt reliquerit.

SENEX. Anno Domini 1565. 26. die Maij diabolicus iſte partus in quodam pago (cui Schmirtz nomen erat) ditionis Vratiſlai, generoſi domini de Bernſtein, à quadam muliere eſt editus: ad quam Sathanas venit larua indutus mariti eius, cumque ea venerea habita re, hoc ipſam impraegnauit monſtro. Infans nullum habebat caput: ſed in humero ſiniſtro os, in dextro autem humero aurem, manus pedeſque pro digitis habebant vncinos inſtar ranarum. Corpus erat coloris fuſci inſtar & tremebat ſubinde, vt folia auri: erat instar carnis gleba, nihil habens oſſei. Obſtetrix cum vellet diram lauare illuuié, ingentem edidit clamorem. Multi id viderunt monſtrum: & in ſacrum ſepultum fuit cœmiterium.

Multis autem precibus obſecrabat mater, iterum effodi hunc diabolicum fœtum, & igne cremari, quo diabolo ſuum reſtituatur. Et factum eſt hoc: monſtrumque ex mandato magnifice dicti domini extra vicum combuſtum eſt flammis à carnifice, multis ad eius combuſtionem requiſitis lignis, & pyrio puluere: oportuit enim poſt multos labores tandem in minutiſſimas partes id concidere carnificem, vt ita melius & citius igne abſumeretur totum.

Mulierem ex eo ingens quidam horror corripuit atque timor. Illa enim nocte Diabolus magnum impetum & ſtrepitum, eiulando, vociferando, icendo terram & parietes, ſcalpendo & mordendo, inſtar canum & caterum inter ſe pugnantium, illi mouit. Tandem vero ad preces confugiens pacem conſecuta fuit, diuinæ gratiæ adminiculo. Hiſtoriam hanc Senatus ciuitatis Vlmicenſis deſcribi, & publicis mandari typis curauit. Hondorp. Imperatore 119. Max. 2. Papa 231. Pio 4.

EQVES. In Babyloniæ regno, circa Radubios, quos Palycaſtos appellant, prouinciæ Lalaſſiæ, ad ſeptimum diem Martij menſis infans

fans ex obſcuri plane nominis fœmina, Rachiena nomine, natus eſt; ſpecioſa quidem formâ, lucentibus contra naturam oculis ac dentibus. Ea autem horâ qua natus eſt, non elementa tantum, ſed omnes cœlorum virtutes commotæ ſunt, ac horrenda ſigna ædiderunt. In medio enim noctis apparuit Sol in ſoluto ſuo ſplendore, quaſi in ipſa diei meridie: qui deinde in tenebras adeo verſus eſt, vt in Babylonia per integrum diem minori miraculo non viſus ſit. Deinde eſt iterum conſpectus cum inſolitæ figuræ, ac diuerſi generis ſtellis hinc inde in cœlo oberrantibus.

Supra domum vero, in qua ædictus eſt puer, præter alia ſigna, ignis etiam cœleſtis de cœlo cadere, atque homines conſumere viſus eſt. Sequenti vero die facta Solis eclipſi, ac magna aëris irati tempeſtate, margaritas de cœlo pluit. Tertio die draco igneus circa Babyloniam volare conſpectus eſt. Apparuit præterea mons nouus, ac reliquos montes altitudine excedens, qui mox in duas partes diuiſus eſt, in cuius medio inuenta eſt columna, in quâ Græcâ linguâ inſcriptum erat: hora natiuitatis venit, ac inſtat mundi finis.

Decimatertia autem natiuitatis hora, vox clamantis in aëre audita eſt: Parate corda veſtra ad excipiendum, ac beati, qui cuſtodiunt verbum eius. Poſtquam autem ad duos menſes vixiſſet infans, inſtar ſenis vocem exaltans, ſe Dei filium eſſe, profitebatur: ac cum interrogaretur, quid præcedentia ſigna portenderent: Margaritas de cœlo cadentes eſſe populum, qui in ſua verba iuraret: Draconem autem volantem ſuos aduerſarios ſignificare, reſpondit. Curauit omnes morbos, viſum reſtituit cæcis, ád vitam reuocauit mortuos verbo ſuo, ac dum, verum ſe ſcripturæ diuinæ, ac myſteriorum reconditorum interpretem eſſe, dixiſſet, per totam Babyloniam contra patrias leges pro Deo adoratus ac cultus eſt.

Hæc tranſtulimus ex magni Meyſini Rhodienſis epiſtolâ, quam non tantum ád ſui ordinis milites, ſed ad omnes Chriſtianæ fidei principes etiam ſcripſit, vt præcauerent, ne contra verbum Dei falſis à prophetis, ac Sathanæ artibus atque ludibrijs humanum genus deciperetur.

IVVENIS. Anno Domini 1593. quædam paupercula in Rhœrbeck, nouæ Marcæ pago, tribus à Regio monte milliaribus, noctu peperit maſculum, habentem vti bos, dependentia palearia, vndique eminentia circa collum, ex ſolidis carnibus, ſed in formam laſciuientis nunc hominum ætatis collarium; ſuis folliculis egregie &

mirifice, longeque & late explicatorum, quod attolli & deprimi potuit. Circa tempora cincinnos ac fimbriatos crines geſtabat, quẽadmodum noſtri reguli & centauri faciunt: in vertice frontis arduæ capilli conſpiciebantur erecti, quomodo & iuuenes delicatiores noſtri æui cura & arte capillos ſurſum pectunt; & inſtar puerorum Turcicorum, qui cuti frontis perforatæ pennas gruis inſertas gerunt (quales aliquot Sinan Baſſa Budæ, anno Chriſti. C I Ↄ. I Ↄ. LXXXIV. qui fuit Mahumetis D. CCCCXCI. Henrico Baroni in Lichtenſtein & Nicolſpurg legato Cæſareo Budæ exhibuit) componunt. Monſtrum hoc à diuerſis cuiuſuis ordinis hominibus conſpectum, & iuſſu Iohannis Pontani, paſtoris Regiomontani, ad viuum delineatum eſt. Ipſe quoque Pontanus idem monſtrum deſcripſit, additaque ad Lectorem pia admonitione, ſcriptum publicauit, in quo & alterius monſtri meminit, Danielis Cortini Regiomontani filij hoc anno 28. Martij natus, ventrem habuit protuberantem, nodiſque diſtinctum, & prolixe defluentem, vltra vmbilicum; inferiori item parte acutiorẽ, quomodo thoraces aliæque veſtes viriles pluſculis ab hinc annis conficiebantur.

SENEX. Nimirum omnia hæc, Deo permittente fiunt ad ludibrium noſtræ ſtoliditatis. Sacrum, pulchrum, perfectumque animal homo eſt, ad imaginem & ſimilitudinem Dei conditum: nullo eget fuco, nullo externo veſtium apparatu, in quo qui gloriam quæruut, quid aliud agunt, quam ſut quiſpiam, qui in cruce aut furca, à qua ſuſpenditur, gloriatur: non enim ad ornatum conceſſæ ſunt nobis veſtes, ſed ad neceſſitatem, in ſignum & memoriam noſtræ præuaricationis, primique in paradiſo peccati. Sed nunc vel tandem ad hominis non monſtroſam illam ſeu deformẽ ſed formoſam atq; inclytam tranſeamus fabricam.

IVVENIS. Magna controuerſia eſt, an mulier concurrat actiue ad procreationem fœtus. Galenus affirmat, viri & mulieris ſemina iuncta materiam eſſe fœtus: etſi viri ſemen calidius & craſſius ſit, mulieris frigidius & humidius, & ob eam cauſam velut nutrimentum eſſe virili ſemini.

SENEX. Illam controuerſiam diiudicent homines otioſi. Nos directe conformationem & ſtructuram hominis conſideremus. Nimirum, quando matrix accepit iuncta ſemina, principio calore ſuo, velut furnus, leuiter aſſando efficit panniculum tanquam cruſtam circa ſemen: eſtque hæc initio velut oui ſpecies: quia membrana circundat ſemen intus bulliens, cum ſit valde ſpirituoſum. Fitque panniculus ex exteriore ſemi-

Hominis formatio in vtero.

ſeminum parte, ac præcipue ex muliebri, quod eſt humidius, & magis extendi poteſt. Is panniculus Græce nominatur χόριον, Latinis Secūdæ, vulgo Secundina: qui nō ſolum locus eſt reliquo ſemini, ſed etiam habet alios vſus. Deſinunt enim in matricem innumera orificia venarū & arteriarum, vt per ea ſanguis menſtruus influat, & fœtui nutrimentū tranſmittatur. Hæc orificia ſimilia ſunt acetabulis polypij, ideoque vocātur κοτυληδόνες: quarum figura cū ſit apta ad amplectēdum χόριον: adglutinatur vndique panniculus ille matrici. Nam & tota matrix appetit ſemen, idque foueri à tota matrice oportet. Sunt autem in toto chorio fibræ multæ, quæ variè inter ſe contexta coëunt & conſtituunt duas venas, & duas arterias & in medio meatum, qui nominatur οὐραχός. Hæ venæ & arteriæ ſunt velut radices fætus. Inſertæ enim reliquo ſemini, conſtituunt vmbilicum. Primis igitur ſex diebus adornantur fibræ illæ & ſemē intus feruet. Deinde cum ſexto aut ſeptimo die vmbilicus fabricat⁹ eſt, iunctis illis venis & arteriis: hic primum attrahit ſanguinē & ſpirit⁹ per venas & arterias illas qui tranſmittatur ad ſemen & miſceatur ſemini, vt formētur principalia membra. Interea ſemē æſtuans tres ampullas velut exiguas veſiculas facit quæ ſunt loca epatis, cordis & cerebri. Itaq; vena ex vmbilico porrecta trahit ſanguinem craſſiorem ſeu nutriciū qui facile in ſemine coagulatur, ſimul autem fit bifida vena ac ramo alteri coagulū illud agnaſcitur. Hæc eſt epatis formatio, eſt enim ſimile coagulato ſāguini. Alteri autem ramo bifidæ illius venæ agnaſcuntur μεσεντέριον, ventriculus, ſplen, inteſtina. Natis iam venarum radicibus in epate, colligitur velut truncus venarum in gibba parte epatis, & fit maxima venarum, cui nomen eſt vena caua, quæ alios ramos ſurſum porrigit, ex quibus fiunt διαφράγματα, & pars ſpinæ dorſi ſupra diaphragma. Interiores rami procreant reliquam ſpinæ partem circa lumbos.

Arteriæ ab vmbilico in ſemen ſparſæ, tendunt ad ſpinam dorſi & paulatim ad locum cordis propagantur. Hæ attrahunt ſubtiliſſimum & calidiſſimum ſanguinem, ex quo in veſicula illa cordi deſtinata, cor gignitur, quod eſt natura carnea, ſolida & ſpiſſa, vt conuenit membro calidiſſimo. Simul autem cordi vena caua ſanguinem nutrientem aduehit. Iamque naſcens ſpiritum euehit in vniuerſum ædificium, vt ſpiritu & viuifico calore formario perficiatur. Cum autem epar & cor & cætera membra formētur ex ſanguine, venæ, arteriæ, cartilagines, oſſa, panniculi πλαδαροὶ, ligamenta ex craſſiore ſeminis parte: ſimul pars ſubtiliſſima ſeminis & plena optimi ſpiritus quaſi colata & expreſſa ex craſſiore

maſſa, ſurſum pellitur in ampullam tertiam, vt inde cerebrum formetur, & ex cerebro nerui. Tempora fœtus variè diſcernuntur. Ac maſculi quidem citius abſoluuntur, quam fœmellæ: quia maſculis calor vehementior eſt: & in eodem genere alij citius, alij tardius maureſcunt.

Primis ſex diebus bulliente ſemine fiunt ampullæ, & velut quadam oui ſpecies exiſtit: quæ nondum appellatur fœtus ſed γονή: id eſt ſemen. Hippocrates id ſe deprehẽdiſſe, ait, in ancilla ſuæ vxoris, quę muſo ergos dicta fuit. Nam cum ea inter viros plus quam deceret verſaretur, & aliquando concepiſſet: de altiore loco eam Hippocrates deſilire iuſſit, ſeptimo à conceptu die. Quo facto ſemen illud in terram defluxit, ſonuitque ſimile ouo cui putamen ablatum eſt. Meminit & Macrob. *lib. 1. Somn. cap. 6.*

Deinde nouem diebus attrahitur ſanguis, ex quo paulatim epar & cor fiunt, ita vt poſt vndecim dies jam diſcerni poſſit delineatio epatis, cordis & cerebri. Iam igitur fœtus nominatur: Græce ἔμβρυον, quaſi ἔσω βρύον, id eſt, intus germinans.

Poſtea octodecim diebus membra cætera formãtur & diſtinguuntur, ſeu vt venuſtiſſimè Hippocrates, ramos exerit fœtus. Hos dies ſi addideris, invenies dies 45. Tunc enim formatis & diſtinctis membris, viuere jam fœtus incipit: quia ſentit. ideoque aiunt, animas inſeri pueris circiter 45. diem: & tunc nõ ſolum ἐμβρύον, ſed etiam infantem nominant. Nondum tamẽ propter unbecillitatem mouetur. Sed Hippocrates regulam hanc tradit: Dies à conceptu ad formationem duplicati, indicant diem motus. Dies motus triplicati, indicant diem edendi partus: vt ſi fœtus formatus eſt 45. die, mouetur nonageſimo, & editur nono menſe.

Eſtque hoc tempus vſitatiſſimũ, præſertim in maribus: fœmellæ verò decimo menſe eduntur. Et de ſero partum inquit Hippocrates: εἰς ἰσότην ἥλιοι ν, εἰς πρῶτον ἅλμα ρ, εἰς τελειότητα τ. Vnde etiam iure cautum eſt, vt poſt decem menſes mortis natus, non admittatur ad legitimam hæreditatem. De eo vero qui centeſimo octuageſimo ſecundo die natus eſt, ſcribit Hippocrates, & D. Pius Pontificibus reſcripſit, iuſto tempore videri natum, *l. inteſtato. 3. §. poſt decem. de ſuis & legitimis.*

IVVENIS. Fuiſti aliquantò prolixior. Verum prolixitas iſta vſque adeo mihi non fuit moleſta, vt ſi vel per integrum diem continuum de huiuſmodi naturæ operationibꝰ declamares, nullum in me enaſceretur faſtidium, quin tu loquendo prius quam ego audiendo defatigareris. Itaq; vt inſtitutum diſcurſum proſequaris, votum meum eſt.

SENEX. Cum iam creuit infans & ampliore nutrimẽto indiget, quam quan-

quantum ex cotylidonibus per vmbilicum attrahit: mouetur maiore impetu, adeo vt rumpat panniculos, & quoſdam chorij venas. Quare matrix retinere fœtum diutius non poteſt: cumque iam aperitur matrix, ſentit infans aërem ingredientem, quem captans mouetur verſus os matricis. Hoc modo ritè partus editur, capite primum exeunte; & plorans venit in hanc lucē, velut præſagiens calamitates huius vitæ, in quā ingreditur: & quia motus ille ac tractatio nō fit ſine dolore & offenſione teneri corpuſculi.

EQVES. Ita nimirum edito in lucem, iuſto tempore, infantulo, humani corporis abſoluta eſt demū fabrica. Cæterum de ſingulis humani corporis membris tractationem ad Medicorum ſcholam relegamus. Et præſtant librorum anatomicorum magna agmina & plauſtra, è quib⁹, ne actum agamus, ſingulorum corporis humani membrorum tractatio deſumi poteſt.

IVVENIS. Memini me legere nuper tractatum Medicum, de partibus humani corporis interioribus vbi inter cætera, dum agit de medio vētre, inſigni hac vtitur ſimilitudine. Quemadmodum, inquit, in culina artificiali non tantum ſunt vaſa, in quibus præparātur & coquuntur cibi, ſed etiam alia, quib⁹ ſordes excipiuntur: ita in culina humani corporis, h.e. in medio ventre, ſunt alia organa, quę ciborū cōcoctioni ſunt deſtinata: alia, quæ excremētis excipiendis & euehendis inſeruiunt.

EQVES. Offenduntur haud rarò pię aures, dum naturaliter de naturalibus, paruis præſertim, tractari aduertunt. Medicis ſanè, qui ex profeſſo res medicas tractāt, prolixior partium ac membrorum naturaliū, eorumq; etiam quę genitalia dicuntur, tractatio, quatenus tamē ea decenter fit & citra ſcandalū, non improperatur, nec eo nomine male audit. Facit nāq; ꝓfeſſione ſua dignū.

IVVENIS. Memini me audire ex viro fide digno, ac primario, Profeſſorem quendē medicum, dū anatomiam corporis humani publicè dictaret, vſq; adeo oculari demonſtrationi fuiſſe intētū, atq; vt quæ dictaret, auditorū memoriæ infigerētur, cupidū, vt cum aliquando de paruis naturalib. iiſq; adeo, quæ ad promouendā humani corporis conformationē vſupātur, tractarat, etiā ꝓpriū penem extra femoralia protēderet, atq; auditoribus ſuis muſculos, neruos, tēdines & ſi quæ ſūt cognoſcēda reliqua, viſenda corā exhiberet.

EQVES. Fuit Medicus iſte impendiò ridiculus, ne quid durius, dicā. Satius itaq; fore opinor, ſi quidē vlteri⁹ de corporis humani fabrica dicturi ſum⁹, vt de ſculptura potius & ſymmetria corporis humani artificiali, quippe quæ nullatenus eſt ſcādaloſa, quā de fabrica naturali dicamus. Et ſanè ſatis conſtare omnibus arbitror, Sculptoriam artem

ſicut

ſicut & cęteras, variis ac diuerſis naturæ principiis originem habuiſſe. Nam ſiue caſu aliquo, ſiue ſolertia cœperũt homines, creata trũcis ſue aut lapidibus, ex vmbra ſimilitudines imitando, naturam ipſam æmulari, diſquiſitione haud op⁹ eſt, dum natura artificioque profecta ac perfecta omnia intelligantur. Statuarium quidem vſum priſcis omnibus ſeculis fuiſſe, tum Græcorum, tum etiam Barbarorum hiſtoriis maniſeſtiſſimum. Earum autem fingendarum rationem hinc plerique natam arbitrantur, vti ſcilicet eorum qui præclarum aliquod facinus peregiſſent, aut in vita quid vtile adinueniſſent, memoria perduraret. Cæterique ad eos æmulandos, eiuſdem honoris, quo maius dari nihil poſſe videbatur, ſpe raperentur. Quæ cauſa Ciceroni fuit, vt Octauio Lepidoque ſtatuas in foro decerneret: nonnulli vero ex mortuorum, aut eorum qui abfuturi erant deſideriis, vt pleraque omnia apud Ægyptios id primum cœpiſſe tradiderunt, vtcunque ſiue virtus, ſiue amor in cauſa fuerit, ſiue potius vtrumque. Certe nihil ab homine maius excogitari potuit aduerſus mortalitatem ſuam, & aduerſus inuidiam Deorum.

Sculptura. Statua. Imagines.

SENEX. Sane quod egregiam ciuium virtutem ſignificare poteſt, tantus Romæ Statuarum, & Priuatarum & Publicarum numerus, vt non minor fictus quam verus populus fuiſſe tradatur. Principes ipſi longo ordine ſuorum imagines, tãquam inſigne nobilitatis vnicum, Pompa & Atriis præferebãt. Docti vero, atq; eruditi, non minus & ipſi, Statuis ſignisq; refertas Bibliothecas ſuas eſſe ſtudebant, quam libris.

IVVENIS. Sculptas hominum effigies atque fabricas in medium adducere, equidem veſtra intentio eſt. At enim artificem prius ſculptorem, eiuſque requiſita vt dicatis, opere pretium eſt.

EQVES. Probè mones. Requiſita itaque Sculptoris hæc habeo. Omnibus artibus quãtum fieri poterit, inſtructum, ac planè literoſum cuperem, qui ſcilicet quã plurimarum rerum, & fabularum, & hiſtoriarum notitiam habeat. Laudis deinde ac gloriæ ſtudioſiſſimum. Nihil enim video quid poſſit eruditio ſine laudum cupiditatę, Laudum ipſa cupiditas ſine eruditione, ita alterum alterius præſidio ſemper innititur. Liberalem præterea ac minime ſordidum, qualem ſuperioribus annis Donatellum Florentium fuiſſe accepimus, Fertur enim ab iis qui eum nouerunt, Pecuniolam omnẽ in Ciſtella ſemper habuiſſe, ita ex officinę tigno ſuſpensã, vt quãdo vellet, & quãtam quiſq; vellet accipere, atq; vti frui ſuo iure potuiſſet. Prudentem etiã minimeq; ineptũ, qui ſcil. certã quandam in omnibus rationẽ eſſe intelligat. Nam cum omnes verbi gratia Statuæ, pedeſtres fiant

Sculptoris requiſita.

ſiant aut equeſtres, aut ſtantes, aut ſedentes, aut incumbẽtes, publicis in locis aut priuatis, togatorum hominum aut laureatorum, erit diligens in ſingulis adhibẽda ratio, qui ornatus quidve rem quamque deceat. Etenim accommodanda ſunt omnia ad perſonarum, locorum, temporum, ac rei naturam. Nam quod in Græcorum prouerbio eſt, nõ omnia eodem modo omnibus, cum in eiſdem plerunq; rebus diuerſiſſima eſſe ratio ſoleat. Alia enim in C, verbi gratia, Cæſare Imperatore, alia in Conſ. alia in eodem ipſo dictatore conuenient. Nec Herculem ipſum ſemper eadẽ decebunt, vel cum Anthæo luctantem, vel cœlum humeris ſuſtinentem, vel Deianiræ amplexus petentem, vel Hylam quæritantem. Nam veluti hæc fieri eodem vno tempore non potuerunt, ita nec ſemel eidem poterunt conuenire. Non tamen quin ſingulæ interdum ſtatuæ effici non poſſint, ita variis inſignibus diſtinctæ, vt pleraque ſemel intelligantur. P. Scipio ante ætatem Conſ. cum Imperio Carthaginem miſſus, Haſdrubalẽ prælio ſuperauit, Carthaginẽ vicit, deuicta Carthagine triumphauit, Pacẽ P. R. attulit. P. Scipionis Statuam ita effingemus, vt & iuuenis & Conſ. & Imperat. & Bellator, & Victor, & Triumphator, atque etiam Pacificator dignoſci manifeſtiſſime valeat, cuiuſmodi fuiſſe Domitiani Statuam ex Papinij ſylua contemplamur, & Paridem ab illo factum, Paſtorem, Iudicem & Amatorem. Antiquarium quoque, qui ſciat, cur verbi gratia Mars apud Romanos duplex, Gradiuus & Quirinus, Alter in campo olim extra, alter in foro intra vrbẽ colebatur. Cur & Venus apud Lacedæmonios armata, apud Archadas nigra, apud Cyprios barbata virili Sceptro, muliebriq; ornatu. Cur in Ægyra pone fortunam Amalthiæ cornu præferentem Alatus amor ac mille eiuſmodi, quorũ omniũ cauſas Sculptor tenere debebit, vt cum quæratur, quid ſibi velit, ille in Theſſalia tres oculos habens Iupiter, Reſpondeat ſic: Fertur id ſignum Laomedõtis fuiſſe mox & Priami Regis in medio Aulæ, ſub diuo ſacratum, Quod & noſter Maro innuit, *Ædibus in medii nudoq; ſub ætheris axe Ingens fuit.* Ad hoc ipſum cum à Græcis Troia caperetur, cum Hecuba vxore, ac natis fruſtra confugerat. Nam à Pyrrho interfectus illic tamen eſt, mox deinde id ſignum à Stheleno Capanei Lariſſam translatũ. Quod autem, quisquis ille fuerit artifex, tertium in fronte oculum fecerit, puto ob hanc cauſam, vt triplicem Iouis poteſtatem ſignificaret, duobus terram & mare, altero cœlum ſpectat. Itidem rogatus, quid faciant in Lyſimachi Regis fronte Cornua. Quid in C. Cæſaris vertice ſtella. In M. Bruti pileolus, ac duo

culos veſtros habere videmini, Cõſternatam audita morte filij mulierem, atq; ipſam peregrini hominis moribundi mentem? Quid vero & illud?

Pulchroſq; per artus,
It cruor, inque humeros ceruix collapſa recumbit. Item:
Atq; illi in partibus æquis
Huc caput atq; illuc humero ex vtroque pependit,
Corruit in vulnus gemitum ſuper arma dedere,
Sternitur infœlix Acron, & calcibus atram,
Tundit humum, expirans.

Ac mille eiuſmodi, quæ apud hunc Poëtam extant. Præterea & καζ͂ληπῆικὸς, hoc eſt, qui omnium quas exprimere voluerit rerum cõceptas animo ſpecies cõtineat, reddatque.

Ivvenis. Sed nunquid rerum omnium concipiendæ Sculptoris animo ſpecies?

Senex. Plane omnium, ſed vt Philoſopho rerum cunctarum cognitio datur, vt hominem, ſeque cognoſcat, Medico ſuccorum vires, vt hominem ſanet. Ciuili Legum atque actionum ſciẽtia, vt hominem in officio cõtineat. Ita Sculptori rerum omnium ſpecies comprehendendæ, vt hominem ponat, quo tanquam propoſitum tota eius & mens, & manus dirigenda, quanquam Satyriſcis, hydris, chimæris, monſtris denique, quæ nuſquam vnquam viderint, fingendis ita præoccupantur, vt nihil prætereà reliquum eſſe videatur.

Eqves. Abeſſe tamen ab eo omnis debet κολακεία, hoc eſt, ne quid formæ ſupra veritatem adiiciatur. Quæ cum cæteris in rebus improbe fiat, tum vero in Sculptura improbiſſime, vt quæ non vnum ſemel eblandiens fallat, ſed fruſtretur perpetuo cunctos. Ad ſummam, niſi quis præter dexteritatem ingenioſiſſimus ſit, ad Sculpturam venire nemo permittendus. Nihil autem, vt ſæpius eodem reuoluamur, ſine literis, ſine eruditione, Literas vero atque eruditionem cum dico, illarum potiſſimum diſciplinarum cognitionem intelligi volo, quæ à Græcis μαθήματα dicuntur, Arithmeticam, Muſicen, & Geometriam, ſine quibus perfecti quidem eſſe nihil poteſt. Non tamen, qui prorſus ego inficias ire audeam non inueniri, atque extare quamplurimos, qui & illiterati, excellẽter tamen multa. Neque enim idcirco quenquem vituperemus, hortor potius omnes, commonefacio omnes, id quod certiſſimum, id quod & optimum ſit, ſequantur.

Ivvenis. Noui equidem plures, quibus ſiqua ſupra acceſſiſſet doctrina, haberemus ſane nunc quos cum antiquioribus ipſis comparare poſſemus, ita ad eam, de

qua nunc agitur rem, aptiſſimi ſunt viſi. Neq; vero ferenda nonnullorum ignauia, qui cum in hunc ſermonem mecum incidiſſent, nõ veriti ſunt dicere, conferre quidem ſi adſint, ſed non omnino neceſſarias Sculptori literas. Satis ei eſſe, vt aiunt, artificium, & quatenus licebit in naturam ſequi.

EQVES. Recte id quidem, ſed vbi rogo iſtud inuenietur artificiũ? Num quotidie in templis, in porticibus, in plateis in foro ſtupeſcentes aſtare, in priuatis cerdonum ædibus verſari. Refertas omnibus ſignis cellulas habere, gypſo plenas arcas cuſtodire, mirari, rurſus ſpectare, inhiare, quod belli apparuerit imitari, in veſtrum opus transferre. Dicemus id eſſe artificium? Dicemus id eſſe naturam ſequi? Atque id quidem non multo ſecius eſt, quam ſi quis Poëta aut Orator foris futurus, hinc atque inde de Vergilio Ciceroneque verba ſuffuretur, ignarus quoque quid tum agat. Sed non poſſum equidem non mirari, cur tamen ipſi ſua ratione nequeant, quod olim Phidias, Polycletus, Lyſippus, Chares, quodque Donatellus. Nempe quia quibus illi excellebant, doctrina omni & eruditione carent, quia & Donatelli abacum non habent.

SENEX. Scitum eſt, quod fertur de Donatelli abaco: Is cum rogaretur à M. Balbo nobili viro, inſpiciendi ſui abaci copiam faceret. Reſpondit, poſtridie mane domũ ad ſe veniret, idque ſe quam lubentiſſime facturum. Ille vbi venit, prandioq; ſuſceptus eſt, præter hũc quem hic vides, inquit Donatellus, nullus eſt mihi Balbe alius abacus, niſi quem ſoli mihi contueri licet, quem nullis impedimentis, nulla ſarcina mecum ipſe ſemper porto. Si tamen videre quid cupias, afferte huc Puſiones cum ſtylo papyrum, Illicet depromptam abaco quamcunque hiſtoriam dimirabere, ſiue Palliatos, ſiue Togatos, ſiue & Nudos ſpectare libuerit.

EQVES. Prorſus itaq; valeant, qui non cenſent oportere Sculptores literatos, hoc eſt ingenioſos eſſe. Etenim cum nihil plane quicquam effici poſſit, quod notione prius atque idæa cognitum nõ fuerit. Quo me melius feram, ſi quis à me Coloſſus effabricaretur, quã ad Vergilij Poliphemum, illum quem mecum ipſe vehementer mirari ſoleo, Monſtrum, horrendum, informe, ingens: Quod ſi equum fabricari vellem, ecquem aptiorem proponere poſſem, quam iſtũ ex Poëta iſto inſigni, quod aiunt, modulum:

At Sonipes habituq; animoſq;, imitatus equeſtres,
Acrius attollit vultus, curſumq; minatur,
Cui rigidus ſtant colla iubis, viuitque per annos
Impetus, & tantis calcaribus ilia late

Suffe-

Suffectura patent, vacua pro ceſpite terra
Ænea captiui crinem tegit vngula Rheni.

Quod ſi Iupiter eſſet effingendus, tum vel vnicus ille ad efformādum ſufficeret, verſiculus:

Annuit & totum nutu tremefecit olympum.

Quod quæſo maius vel dici vel intelligi potuit? Nonne ipſum prope Iouis imperium maieſtatemque verbis ipſis effinxiſſe videtur Poëta? Habetis igitur, qualis eſſe debeat is, qui optimi Sculptoris nomen ſit conſecuturus, non quidem Platonis noſtri ciuitatem, aut Ciceronis Oratorem, ſed qui facillime & inueniri & extare poſſit. Si vero haud ſatis probabiliter à me dictum eſſe videbitur, expecto quid & vos ſentiatis.

IVVENIS. Recte mihi quidem omnia. Et profecto ſimul tantum dignitatis atq; auctoritatis adiecisti, vt quæ antea diligere videbar, nunc deamem. Sane quidem ſic res ſe haber, & tecum iam ſentio, non modo Sculpturam ſine literis, ſed ne literas quidem ſine Sculptura conſiſtere poſſe. Atque vt neceſſariam Oratori Iuris Ciuilis ſcientiam Fabius, ita & ego cæteris ſcriptoribus neceſſariam χειροφιλω existimabo. Sed amabo te, quandoquidem multum ocij nobis hodie datur, atque huius nouæ artis auidi facti ſumus. Sequere; ſatis quidem & laudata à te Sculptura eſt, & optimum Sculptorem effinxiſti, qualem & verbis, vt inquiunt, & rebus ſignificaſti. Aggredere igitur & reliqua, vt cum artem ipſam demonſtraueris, nihil plane huic ſermoni noſtro defuiſſe videatur.

EQVES. Libenter equidem. Itaque quod reliquum eſt, hæc ferè ſunto. Fieri Statuas ex diuerſa, vti & nunc materia, ſemper conſueuiſſe, notiſſimum. Ex ligno: Gens primum truncis ac duro robore nata. Ex Ebore, ex Argilla, ex Gypſo, ex Lapidibus, & ex Metallis. Qui Ligno Eboreve Statuas conficiunt, Deſectores vocantur. Qui Argilla Græco vocabulo πλάσται, Fictores nominantur, Qui Gypſo γυψοχόοι, qui Lapidibus, quos video à quibusdam λιθοξόους appellari, Quoniam præcipuum ac peculiare magis marmor, Marmorarij, Itemque è Scalpendo Scalptores, qui Metallis γλύπται, Sculptores. Excuſſores enim ærarios quos Græci χαλκέας vocant, eos dico, quicunque vaſa aut quid tale fabricantur, Statuariorum vero appellatione, quos ἀγαλματοποιούς illi appellant, generaliter omnes continentur, qui quouis pacto Statuas effingunt. Statuaria igitur omnis in quinque diſtincta ſpecies eſt. Cum Ligno Eboreve tractatur, ab abſcindendo τομική dicitur. Cum Argilla, quoniam figulorum eſt, πλα-

στικὴ nominatur. Cum Gypſo, quo eo typos imitamur, παραδειγματικὴν, nos exẽplariã appellare poterimus. Cum lapidibus, vbi ſcabello vtãtur, à percuſſione κολαπτικὴν, ſiue Sculpturã. Cũ vero Metallis, γλυφικὴν, h.e. Sculpturam. Cuius quidẽ ratio duplex. Nam aut cera fabricãtur, & à deducẽdo ἀγωγικὴν. Aut informãtur, & à fundendo χυμικὴν nũcupo. Hæ autẽ ita inter ſeſe omnes iunctę connexæq; ſunt, vt cunctas nouiſſe videri poterit, qui vnam earum aliquam nouerit. Sola enim circa quã verſantur, materia differũt, arte vero ipſa atq; intentione conueniunt.

IVVENIS. Artificum artificiorũq; huiuſmodi, quæ recẽſuiſti nomina, cum obſoleta nobis ſint atq; obſcura, gratũ magis nobis præſtabis officium, ſi totius Sculpturæ caput & fundamentum expoſueris.

EQVES. Faciam quod iubes. Id vero duab. hiſce rebus maxime cõſtat συμμετρίᾳ, quæ nondũ ſibi Romanũ nomen inuenit, niſi fortaſſe Latinam linguã augẽtes, vt Cicero ait, Commenſurationẽ dixerint. Et ὀπτικὴ, quam perſpectiuã appellant. De Symmetria igitur nũc pauca dicam. Qua in re, illud à tua Philoſophia non alienũ conſiderandũ, hominẽ ipſum quẽ præcipue dimetiẽdum ſuſcepimus, materia cõſtare & forma. Formam autẽ hic nunc eam intelligamus ſpeciẽ, qua hũc ab illo diſcernimus. Materiã vero corpus ipſum. Corpus autẽ omne in treis dimẽſiones partiri, in longitudinẽ, amplitudinẽ profunditatemq;. Formã vero ipſam lineamentis cõprehẽdi. Quare de corporis Symmetria primũ, mox de lineamẽtis. Mẽſurã igitur, hoc enim nomine Symmetriã intelligo, cum in cæteris omnibus quas natura progenuit rebus, tum vero in homine ipſo admirabiliſſimã & contemplari & amare debemus. Ita enim vndiq; exactiſſime dimetiatis partibus cõpoſitum eſt noſtrũ hoc corpus, vt nihil plane aliud quàm Harmonicum quoddam omnib. abſolutiſſimũ numeris inſtrumẽtũ eſſe videatur. Sed age, nõ enim de Timæo Platonis, qui & à Cicerone Latinis explicatus eſt literis, hominẽ ego vobis referam, quod ad noſtrũ hunc inſtitutũ ſermonẽ attinet, eum longe aliter quam Architectus, viuum ſtantemq; dimetiar, ſcilicet in nouẽ de longitudine portiones. Ita enim hominẽ ipſum ſolers natura formauit, vt faciẽ hãc ſummo loco ſpectandam proponeret. Cæteræq; totius corporis partes, commenſum inde ſuſciperent. Conſtat autẽ ipſa tribus pariter dimenſionibus, vna erit ab ſummo frontis, qua capilli naſcuntur, hic ad intercilia. Altera hinc ad imas nares, vltima, ab naribus hic ad mentum. Prima ſapientiæ, ſecunda pulchritudinis, tertia bonitatis ſedes. Hæ autem ipſæ per ſe, vt aiunt multiplicatæ, integram, quanta erit humani corporis ſtaturã reddent, nouem

Corporis humani Symmetria.

æm portiones. Prima erit facies ipſa. Secundā facies portionem pectus. Ab ſummo ſtomacho ad vmbilicū tertia, ab hoc ad imū femur, Quarta, duas cōtinebunt coxendices ad poplité, totidemq; ab hoc ad nodum crura. Pars autē hæc infima, quæ eſt à nodo ad imam plantam, Gutturq; hoc quod eſt ab ſummo pectoris ad ſummū gulæ. Atq; hic ſemicirculi arcus, qui fit ab ſumma fronte ad ſummū verticem, vnā aliam conficient portionē. Nam horum iuncturæ nodi poplitesq; tanquam interfinia nullis ſuam cedunt proprietatē. Cōſtabit igitur humanæ ſtaturæ longitudo, portionibus, vt dictum eſt, nouē. Quanquam alij octo, alij quod rarius eſt, eſt enim tanquam in Muſice diſſonū ferme, ſeptem, alij, quod & rarū etiam eſt, decem fecerint. Ego medium, & ꝗ in pleriſq; omnibus mortalib. frequentius erat, ſecutus ſum. Ac de adulto loquor viro, nō de puris infantibus, quorum in longitudinem menſura omnis niſi quatuor cōſtat faciebus. Nam per ſingulas ætates Symmetria, quæ in prima, media, atq; vltima pueritia, item adoleſcētia, iuuẽtute & ſenectute deprehēdatur, certi nihil nunc afferri poſſemus. Et iam cogito in puero, ſi quis mihi nepos ex ſorore naſcetur, eam omnem obſeruare, atq; obſeruatā literarum monimentis demandare, vt aut beneficio mihi gratam poſteritaté deuinciam, aut certe ad aliquid ſemper ꝗ expediat excogitandū exemplo excitem. Nōne ſumma ſtultitia eſt, hominé terrasque tractusq; maris, cœlumq; profundum dimetiri, & ſuā mēſuram ignorare? Brachiorum autē alterutri, pariter lacerti, ſeſquialterum continebunt portionē, manus vnā aliam. Quanquam ſint, qui metiantur ſic. Ab humeris extrinſecus ad iūcturas articulorum, ab aſcellis vero intrinſecus ad confinia palmæ ac digitorū, facies tres, alterutri autē articuli, vna. Quomodocunq; id parū refert, modo brachiorum tota longitudo ſepté cōtineatur faciebus vt diſpeſſæ manus rectā ipſam corporis longitudinē definire inueniantur. Pedes autē ita ab extremis talis ad extremum vnguem producuntur, vt eandem bis ter & vno altero tribus ferè minus digitis cōmetiantur. Nō enim hoc loco obſcœni dei ſemipedalé fuſcinā, aut deformē illum, vnde egreſſi omnes ſumus hiatū, vt nonnulli dimetiendū curabo, cum præſertim latēre ſemper niſi in pueris honeſtiſſime ſoleant. Conſideranda vero & ipſa inter ſe partiū ἀναλογία quā alibi proportionē, hic ni fallor proprie cōmenſum dixero. Quanta eſt longitudo ab interciliis ad ſummas nares, tanta erit productio menti ab iugulo, quantaq; eſt ab ſummis naribus ad mentū, tanta ab iugulo ad imā gulam, hoc eſt ſemiportione, quantū eſt ſuperioris labri interuallum ab ore hinc ad nares imas, tantundē erit ſummarum narium prominentia ab labro, tan-

tundemq; & oculorum ab interci- lio ad interiores angulos concauitas. Præterea in manibus, quod eſt extrinſecus ab ſummo vngue indice ad iuncturam hanc imam, continebitur ſemiportione, Ac rurſus hinc ad eam quabrachio colligatur manus alia. Sic & intrinſecus ab ſummo vngue medio. Primus autẽ hic indicis articulus maior, correſpõdebit fronti. Secundus hic cum Onychio ad extremum vnguis naſo. Primus autem medij, huic quod eſt ab naribus ad mentum, eiuſdem ſecundus, huic quod ab imo mento ad inferioris labij ſupremum, eiuſdem Onychius huic quod eſt ab ore ad inferiora narium. Indicis eodem ab ſupremo labri ſuperioris. Maior pollicis articulus coæquabitur huic, quod eſt ab mẽto ad ſummum labij inferioris. Minor huic quod eſt ab nare ad eundem. Onychiorum autem articulorum omnium dimidiatam ſibi partem occupabunt vngues. In latitudinem vero frons, ab hac media, quam & diſcriminatricem appellare poſſumus, linea, hinc inde ad prima, hic tempora definietur, ſua bis longitudine. Ab interciliis ad extremos oculorum angulos, atque hinc ad primas aures harumque longitudo, tantundem. Id vero ſpacium quod eſt inter vtranque extremitatem oculorum, ex duabus iiſdem dimenſionibus, in treis partes diſtinctum, duas oculi, vnam ſibi intermedius naſus vendicauit. Oris latitudo ſi per ſummum labij metiamur, reſpondebit fronti, naſove. Sin circino illi ſpacio, quod eſt pollicis articulo maiore definitum, ab labro ſuperiore ad mentum. Pectoris latitudo faciebus continebitur duabus, ſpacium inter vtranque mamillam vna. Earumque certus ſitus ab inferiore gula eiuſdem dimenſus circino deprehendetur. Palmaris autem plantariſque latitudo definiti ſemper inuenietur ſemiportione. In altitudinem vero quæ ſola circumlatione comprehenditur, ex ſupradictis menſura captabitur, hoc modo: Capitis per medium frontem altitudo, portionum eſt trium. Item, & ſummæ coxendicis, per occipitium à ſumma fronte ad ceruicem duarum. Itemque & infimæ coxendicis colli duarum. Pectoris per alas ad tergum quinq;. Ventris per medium quatuor. Lacertorum coxarum, crurum, pollicis, cæterorumque articulorum ſumma circumferentia nunquam plus eorundem longitudine membrorum. Extremum brachij propter iuncturas manuum portione, propter nodum tibiæ etiam quarta. Altitudo autem hæc, quæ eſt ab imo talorum ad ſummum pedis, reſpondebit longitudini, quæ eſt iſtinc ab ſummo pedis ad extremum vnguem. Colli circumlatio ei parti, quæ eſt ab ſummo pectoris ad vmbilicum,

Corpus ne hoc quod tãto ſit commenſu fabricatum, an exactiſſimam potius Harmoniam eſſe dicemus? Qualem rogo Geometram? qualẽ & Muſicum fuiſſe exiſtimabimus eum, qui hominẽ ita formauit? Qualem vero eſſe oportere eum qui talẽ typum ſit imitaturus?

IVVENIS. Tu ſcite admodũ atque exactè de ſtatuaria diſſeris, lõge exactius quam ſtatuariorum vulg⁹. Etenim omnes, qui nunc vulgo habẽtur Statuarij, haud multum diſſimiles ab illis ſcriptoribus exiſtimarim, qui caſu quodam teſſerali verba iaciunt, nec niſi ipſos rerum ſucceſſus expectant.

EQVES. Intelligendum tamẽ eſt, eiuſmodi Symmetriã, cunctis mortalibus, præterquam monſtruoſo, atq; iſti Pygmæo qui in delicijs habetur populo conuenire, depræhẽdique in omnibus non ſecius quam Enharmonicum cõcentum in Muſicis inſtrumentis. Vt enim in Cithara chordæ, ſi protendantur, exacuetur accreſcetque ſonus. Sin contra laxatæ fuerint, remittetur, eritq; nihil minus eadem numerorũ proportio. Ita & hic, ſiue accreſcat quãtitas ſiue decreſcat, idem tamen ipſe commenſus extabit.

SENEX. De Symmetria iam ſatis, quanquã nihil de ea ſatis dici poterit, ſcilicet de Sculptorum parẽte, artificiorum omnium nutrice, amica totius generis humani, ex qua tantam iam laudem conſecuti ſunt, antiqui omnes & Statuarij & Pictores, & Architecti. Hinc eſt enim illud quod mirum videri ſolet omnibus, cum dicitur artifices xxv diuerſis, & locis & temporib⁹ ita ſtatuam confeciſſe, vt ab vno ſemel facta eſſe videretur. Ad menſuram videlicet eandem conueniebant omnes. Eadem vtebãtur proportione omnes. Hinc quoq; eſt illud Pythagoricum admirabile, Herculis ſtaturam ex olympico ſtadio adinuen[illegible]m hinc & mille alia, quæ cum dicuntur, miracula quidem audiri mera putantur.

EQVES. Rectè. Cæterum intelligẽdum hoc loco, quatuor prorſus eſſe ordines Statuarum, pariles, magnæ, maiores, maximæ. Pariles quidem fient, cum eius qui exprimitur Staturã vndiq; præſentabimus, Dãtur hæ benemeritis, ac ſapientib. viris, Armodio & Ariſtogitoni, Homero, Soloni, Hippocrati, Gorgiæ, Beroſo, Pytagoræ, Platoni. Ex noſtris L. M. & D. Brutis, Q. Mutio, Cleriæ Viragini, M. Catonibus, Q. Ennio, M. Varroni, P. Vergilio, M. T. Ciceroni. Nũc niſi capiciatis Magnæ fient, cum infra ſeſquialteram Statura continebitur, quę & Auguſtæ dicuntur, quod Regibus Auguſtiſque Imperatoribus dicarentur, Phoroneo, Lycurgo, Temyſthocli, Zerſæ, Alexãdro. Ex noſtris Romulo, Numæ, Tatio, Cn. Pompeio, C. Cæſari, Cn. Octauio, ac reliquis quei in Deorum numerum referebantur Cæſaribus.

Statuarum ordines.

IVVENIS. Hinc arbitror illud quod moritura Dido ſic quetitur; *Et nunc magna mei ſub terras ibit imago.* Dolet enim obnegari ſibi & Statuam & ἀποθέωσιν quæ minime dabãtur iis, qui ſua ſibi manu turpiter mortem conſciuiſſent.

EQVES. Bene. Sed proſequor inſtitutum ſermonem. Maiores dicentur, quãdo ad alterã excreuerint. Ponuntur autem hæ ſolis Heroib⁹, Libero patri, Herculi, Theſeo, & eiuſmodi. Maximæ vero fient, quando ter geminabitur humani corporis ſtatura, itemque rurſus ac rurſus. Quæ quidem ſtatuę vel à ſpecubus, vti ego opinor, vaſtaque intus inanitate: id enim eſt κολοσσόν: vel vt alij ab noxia radiorum effuſione, quæ fieri ſolet eiuſmodi moles intuendo, vel ab authore ipſo coloſſi ſunt denominatæ.

SENEX. Vel tandem iſthæc ſufficiant, quippe quæ ad Mechanicam potius pertinent, proinde ne ſutores vltra crepidam, quod eſt in pronerbio, diiudicare velle videamur, ad alia tranſibimus.

IVVENIS. Diiudicationes quę ex hominum phyſiognomia ſolent deſumi, mihi ſæpenumero impenſius de naturę mirandis affectib cogitandi materiam præbent, itaq; de hac potius, quam de Mechanicis ſi placet, conferamus. Hæc enim ad corporis humani dignoſcendam fabricam non parum adfert momẽti.

EQVES. Idipſum mihi quoque arridet. Cumque ex ipſa rei definitione quid res ſit, eliciatur, qd Phyſiognomia ſit, prius dicam. Ea autẽ eſt, certa quædam obſeruatio, qua ex iis, quę corpori inſunt ſignis, animorum etiã qualitates denotamus. Solent enim, vt in prouerbio eſt, artificem inſtrumẽta, dominum qualis ſit domus oſtendere. Id autem quoniam ἀντίστροφον eſt, cõmutationemque patitur. Erit quidem Sculptori quam maxime neceſſarium, namque vel ex viuentium corporibus effigies imitabimur, vel mortuorum præſẽtias ex notiſſimis eorum morib⁹ imaginabimur, Vt ſi ex Zopyri quis iudicatu Socratem effinget caluum, ſimum, ventroſum, & eiuſmodi. Quemadmodum à Veronenſibus in Catullo, Vitruuio, Marco, Celſo, Plinioque, quos ſibi ciues vẽdicant, factitatum, ipſe nuper feſtiue ſpectaui. Vix iam certe verbis explicari poſſet, quãtum Statuario vſum præſtet phyſiognomia, nec Statuariis modo, ſed & omni genere humano. Miretur quidem ſuo iure Plinius ſeueriſſimum, vt ipſe ait, authorem Trogum, cumque Trogo miretur & Ariſtotelem, ex quo illa ea trãſtulit. Spernat quãtumlibet vulgus, dum nobis in Socraticæ Pythagoricæq; philoſophiæ arcanis ſanctiſſime cuſtodiatur Hęc nos tuto huic depoſitum credere, Hęc nos illi fidere, coniugium facere, pueros diſciplinis tradere, cum honeſtis conuerſari, turpes atque obſcœ-

obſcœnos effugere, non temere ſocietates & amicitias deligere, ſceleſtorum improbitatem abſque vllo experimento deuitare, Hæc eadem prudentes fortunatos, & quaſi πϱοφήτας videri & eſſe nos facit. Apud Statuarios vero tanti erit, vt nobis illum ipſum qui tantopere deſideratur Homerum, ipſoſque Græciæ ſapientes Cleobulum, Periandrum, Solonem, Thalem, Chilonem, Pictacum, Biantem, atque è noſtris vtrunq; Catonem, ipſiſſimos præſentare faciliter poſſint. Dicerem equidem ex Ariſtotele atque Adamantio, nam Polemonis, qui de eadem re perſcripſit omnia, deſiderantur, niſi longiores eſſet inſtituti, vidererq;, vti in prouerbio eſt, Mineruas docere.

IVVENIS. Sculptoriæ artis admiratorem inſignẽ te eſſe animaduerto. Sed de Phyſiognomia quoniam te dicturum, promiſiſti, ſtes ergo promiſſis.

EQVES. Fiet. Spectantur igitur homines, ex natione patriaque ſpectantur ex ſe. Ex natione vt cũ Maurus an Aſſyrius, Thebis nutritus an Argis, de quoplam quæritur, quod potiſſimum ſolet ornatu ſignificari, vt illud, Virginibus Tyriis mos eſt geſtare pharetram. Debemus enim vt idem Poeta ait: Varium cœli perdiſcere morem, ac patrios omnes cultus habituſque locorum. Et quid quæque ferat regio, & quid ferre recuſet. Arcto quicunque ſubiacent, corpore ſunt quam cæteri prolixiores, colore albi, comas flaui, capillis mollioribus, glauci, ſimi, craſſiores, ventroſi, ac corpulentiores, iracundi, ſimplices, leuiſſimi conſilij, animo præcipites, ſtolidi, atque omnino diſciplinis inhabiles. Galli videlicet Germanique. Contra qui ſub meridie; nigris capillis criſpiſque nigris & oculis, corpore humiliores, cruribus grandiores, fuſci atque aridiores, Diſciplinis & ipſi parum apti, plurimæ tamen cogitationis, leues, doloſi, mẽdaces, lucrabũdi, furaces. At magis minuſq; alij aliis. Quo diſtant acceduntque ad arcton Borealem Auſtralemq;, magis minuſq; alteri alterius, Sardi, Siculi Mauritani, Arabes. Horũ vero medij, mediam quoque habent & qualitatem, Corpore ſunt mediocres, capilli illis nec criſpi nimis nec nimis porrecti, colore meſlino, aſpectu iucundiore, apti ſtudiis, ingenioſi, miſericordes, modeſti ac graues, Itali videlicet Græcique. Sed qua proximiores illis accedunt loco, accedunt etiam & moribus, vt Libes, Hiberis, Celtis, Quin & Libes Æthiopibus, & Celtæ, Gallis ſimiliores, Auſtrini quidem omnes ſicco dominantur & calido, Arctoi contrà, humido & frigido. Nam & cæterorum quique ad Occidentem, quique ad orientem ſpectant, eadem erit de duobus polis ratio. Plerumque tamen euenit, vt alij aliò transferãt ſedes, confun-

danturque nationes, vt ſi Thraces cōmigrarint in Italiam, Itali in Thraciam, Perſæ in Aſſyriam, Aſſyrij in Perſiam. Ex genere autem inſpiciūtur homines, non quibus quiſque ſit parētibus ortus, ſed cum mas ſit, quæritur quibus ſit addictus moribus. Plurima eſt horū diſſimilitudo, illud nobile, iuſtum, intrepidū, audax, æquabile, magnanimum, benignum, conſtans, animoſum, probū, liberale, magnificū. Hoc vile, iniurium, timidum, temerarium, intemperās, remiſſum, atrox, difficile, variū, ac mutabile ſemper, improbū, auarū, nequam. Fœmina omnis quā mas, eſt capite minor, corpore preſſior, capillos habet molliores, nigrioreſq;, vultum anguſtiorem, oculos vibrantiores ſplendidioreſque, collum gracilius, pectora imbecilliora, latera molliora, ilia coxaſque habitiores, ſuras carnoſiores, genuaque ob eam ipſam rationem collabātia, extrema pedum manuumq; tumidiora, omnem corporis aſpectu delicatiorem negligentioremque, tactus eſt ei humidior, vox tenuior, greſſus tardior ac denſior, membra ſuccipleniora, motus lentior. Medium vero & quodammodo neutrū genus, laſciuientis videlicet naturæ luſiones, hermaphroditi, virorum ſpadones, fœminarū eunuchi. Quos tamen nihilominus quam caſtrati ſoleant equi, canes, tauriue, ad bellū vtiles, docet Xenophontis Cyrus: vt vtriuſque ſunt ſexus participes, ita & vtroq; nequiores, malæ mentis, mali animi, peſſimi & conſilij, crudeles, duri, doloſi, callidi, malefici. At alius alij magis minuſue, naturæ ſexioniſue culpa. Ex ſe vero ſpectantur homines duplici ratione, ex iis quæ cohærent ſubſtantiæ, & ex iis quæ circumſtant atq; inducuntur. Cohærent ſubſtantiæ membrorum ac totius corporis habitus, ex facie, ætate, inceſſu, voce, ſpiritu. Circumſtant vero atque inducuntur, ornatus, nomen, locus, tēpus, & eiuſmodi. Sunt & media vultus, & color, quæ omnia Æneas in matre, Pyrgo in cœleſti Beroe pernotarunt.

IVVENIS. Satis hactenus Nationum & Prouinciarum diuerſas cōplexiones expoſuiſti. Nūc age ex iis naturæ morumque diuinationem porro exponas.

EQVES. Omnium ſignorū præcipua, quæ in oculis aut planè iis proximiora, cui⁹ generis ſunt pupillæ, palpebræ, frons, genę, ſupercilia, naſus, labra, os, mētū, malæ, capilli, aures, ipſum caput, primum locum tenent. Secundum ordinem tenēt, quæ ſecundum pectus & ceruicem. Tertiū humeri, brachia, manus, ilia, pedes. Poſtremum venter, tergum, femera, coxendices, ac ſuræ.

Oculos quod attinet, hos natura tanquā cōſpecillares animorum noſtrorū feneſtras eſſe voluit. Et quiſquā deinde queretur, nō feneſtratū homini pectus? plurimā habent varietatem. Statu quidem, magni, mediocres, *Phyſiognomia. Oculi.*

diocres, parui, prominentes, conditi, tumentes, adæquati, concaui, mobiles, fixi, tremuli, rigidiores, conniuentes, non conniuentes, nictantes & non nictantes, Cõtuitu autem, vibrantes, languidi, humentes, ſicci, ſplendeſcentes, tenebroſi, ridentes, mœſti, acuti, obtuſi, graues, ludibundi, truces, blandi, atque id genus cæteri. Colore vero, nigri, glauci, ſcilicet ijdem ac cæſij, quique de ijs fiunt. Subnigri, qui ob gratioſam venuſtatem a Græcis χαρόπι, à Latinis varij dicuntur. Et ſubglauci, qui ab illis αἰγώπι à Latinis vero caprini nominantur. Item ruffi, flaui, vnde cognomina familiarum, pallidi, punicei, lucei, virides, rubicundi, ignei, flammei, ſanguinei, crocei, oſtrini, aurei, lactei, atque id genus reliqui. Harum autem omnium qualitates, quid ita ſignificent, longioris eſſet inſtituti recenſere, quid vero inter ſe mixtæ ſi fuerint, negocij quidem permaximi.

SENEX. Sciendum eſt, grauiſſimos olim philoſophos, atque inter hos ipſum etiam Ariſtotelem atque Adamantium, deſuper deſudaſſe, quorum vterq; rationem cur aut ita fiat, adducere, cum vellet: Alter corpora animorum, viciſſimque animos corporum affectiones ſequi argumentatus eſt. Alter vero Prometheum, principi Limi, defectam vndique particulam addere coactum, appoſuiſſe nobis opinatur, vim leonis, aſtutiam vulpis, temeritatem apri, formidinem leporis, grauitatem bouis, faſtum equi, ſcurrilitatem ſimiæ, fatuitatem pecudis, ſtoliditatem hirci, voracitatem ſuis, ductatum pardalis, ferociam tygridis, immanitatem vrſorum, deſperationem elephantorum, rapacitatem luporum. Similiter & cæterorum reptilium, volucrum, atque aquatilium naturam, magis minuſue, vti & libido ferebat, & limi natura patiebatur. Quem igitur, inquit, videris ſubnigros ac mediocriter concauos oculos habentem, Ex leone, qui talis eſt, animoſum eum fortemque diiudicato. Quem conditos, Ex ſimia, ſimulatorem, fraudulentum, deluſorem, malicioſum. Quem ſtabiles firmoſque, Ex boue, grauem ac frugi. Quē protenſos, ignauum, iniurium, contumelioſum, ac vere ex Aſello aſinum.

EQVES. Rem ipſam noſtro more ſummatim expediam. Oculi magni, mobiles, lucidique, ſi toruum contueantur, ſimul & ſupercilia porrigantur, agreſtioris, crudi, rapacioriſque animi hominem indicabunt. Tales enim ſunt aprorum luporumque. Ariſtoteles quidem nec magnos nec paruos ait oportere eſſe oculos qui probetur. Prominentes oculi, qui ſeſe extra mittant, quibuſque in circuli ſpecies tumor circumducitur, aut contra, quos veluti caſtro-

rum foſſa circumdederit, doloſum, ſtolidum, hominem ineptiſſimum ſignificabunt. Qui ſi & mobiliores fuerint, voracem. Si petulci atque ſanguinei, ebriolum. Si glauci, nec iuſticiam, nec conſuetudinem hominis vllam. Si vero & ſupercilia grauarint, certior erit eius amentia. Si tumentiores paruique parricidium ac veneficium declarabitur. Quibuſcunque vero fuerint prominentiores, ſplendidi, grandiores, purum humidumque intuentes, inſigni omnes iuſtitia & conſuetudine præditi, diſciplinis aptiſſimi, deamoroſiſſimi, qualem ex Theæteto didicimus fuiſſe Socratem. Conditi nimis, quanquam acutiſſimi omnium intuendo, niſi fuerint & magni, nullo pacto probantur. Horum namque paruitas, diſſimulatorem, inuidum, inſidiatorem. Siccitas ad illa perfidiam, humiditas & amentiam augent. Laudatur vero ſtatus oculorum medius inter prominentem & conditum. Et qui nec tumidiores ſint, nec concaui, ſed mediocritatem quandam magnitudinis habeant caſtigatam. Mobiles oculi, turbatorem, ſuſpicioſum, interpellatorem, infidum, ac curioſum, magis perficacem oſtendunt. Si & palpebræ moueant, certe animam præpotentem. Sin minus, audacem, Ocyus circumuolubiles oculi, ganeonem. Tardioris motus, pigrum, inertemque denotabunt. Tremuli, ſi in dextram iecerint, ſecordiam, inſanitatem: Si in ſiniſtram, adulterium: Si vero introrſum, quaſi naſo annuerint, gratioſum, Venereum, & amoroſum declarabunt. Rigidiores nunquam boni: Nam ſi fuerint humidi, formidoloſum: Si aridiores, veſanum: Si pallidiores, ſtolidum indicabunt. Si vero grandiores fuerint ac ſubrubricundi, impotentis erunt & libidinis, & gulæ teſtimonium. Quod ſi quem videris, qui ſplendeſcentes huiuſmodi oculos habeat, hunc tu ad coruos, vt nec tibi ciuem nec vicinum eſſe audias, vt qui malis tantum & calamitatibus gaudeat alienis. Oculi qui cum ſe claudunt, ſurſum attolluntur, libidinoſitatis, guloſitatis, ac ſacri morbi certiſſimum ſignum. Quod ſi & pallidi fuerint, impios atque homicidas. Si ſubrubeſcentes, nigricanteſue, intemperatiſſimi oris, mulieroſos, ſtolidos, aleatores demonſtrabunt. Contra qui feruntur deorſum, contraria ijs eſſe omnia. Oculi qui cum ſeſe aperuerint, perſtant, vel cogitationem, vel certe alicuius rei pœnitentiam ſignificabunt, quæ res ſcilicet ex ſuperiorum omnium ratione captabitur, ſi magni, prominentes, conditi, mobiles, & eiuſmodi. Vibrantes paruique oculi, doloſum, adulterionem. Magni vero, ineptum, rudem, guloſumque arguent.

Quod

Quod ſi grandiuſculi, ſplendidique humidius contueantur, ingentem commonſtrabunt ſpiritum. Excelſam ac maximorum operum effectricem animam, iracundos tamen, ebriacoſos, ac ſupra hominem gloriabundos, qualem fuiſſe aiunt Alexandrum Macedonem. Tenebricoſi oculi, manifeſtum quidem ijs ineſt incommodum. Si tamen ſicciores fuerint, infidum. Si & minuti, bilinguem, doloſum, inſidiatorem. Et cui grauiſſimas inimicitias profitetur Achilles, aliud pectore occultantem, aliud de ore prominentem, animi multiplicis, peſſimique. Si vero quales puerorum videri ſolent, humidi, grandiores, animoſum, conſtantem, ſtudioſum, prudentem, diſciplinis habilem, timidum, ac prope auarum. Prælucidi autem, modo contradixerit aliud nihil, optimi. Splendeſcentes oculi, tametſi vtiles, non tamen certæ ſunt probitatis indices. Iidem enim glauci ſanguineiue, calliditatem arguunt, ac iam veſaniæ proximiorem audaciam. Subnigri, timorem, formidinem, ſuſpiciones. Nigri vero & adulterium. Qui ſi toruum contueantur, difficilitatis, moleſtiæ, ac moroſitatis indicium. Si & humidum, fortitudinis, imprudentiæ, celeritatis, iracundiæ, ſecordiæ, inuenuſtatis. Si & ſiccum, nequicioſiſſimæ ſceleroſitatis. Oculi in quibus voluptas quædam ac riſus, & vt ita dicam, inhabitant, diſſimulatores. Iidem vero conditi, inſidiatores. Sicci, aut quibus exteriora palpebræ ſupercilia, genæ, ac labra non ſteterint, reprobiſſimos indicabunt. Humidi vero, non malos quidem, ſed tamen vanos, rudes, omnique animorum commotione carentes, pigros, intemperanteſque. At ſi horum inanes palpebræ non connictarint, fueritque frons læta, & vtrinque ſimul vacua ſupercilia, hominem eum ſignificabunt, magnificum, iuſtum, ſuauem, pium, facilem, hoſpitalem, atque optimæ conſultationis. Triſtes vero humidique, ſtudioſum, plurimarumque artium ſectatorem. Nam ſi & ſupercilijs obtegantur, affueritque læta frons, æqnabilem, fidum, frugi, prudentemque monſtrabunt. Sicci vero, ſi & vultus fuerit trucior. Item ſi frons aſpera, aſpectus immobilior, palpebræque rectæ, ruſticaniſſimas voluntates, improbiſſimas voluntates, improbiſſimas & cogitationes, nec vllum vnquā ijs eſſe intentatum imperfectumq; facinus. Acuti oculi tumultuatorum hominum ſunt atque rapacium. Oculi qui frequentius conniuent, id autē eſt cum immoto capite huc illud obliquantur, quod pro dubitare vſurparunt, formidoloſitatem coarguent. Si cum ſiccitate, fraudē, inſidias, occultumque, aliquod malum. Si cum tremore palleant, quopiam auertantur, fatuitatem.

At

At vero qui contra non conniuerint robuſtiores inuictique. Quod ſi & grauedinoſum intueantur, nihil vnquam boni eſt id quod parant. Si lene atque humidum, ſtudioſos, faciles, amoroſos. Si palleſcentes, puniceiue ſiccum, improbiſſimarum rerum memoriam, iracundiam, inuidentiam, aut quãuis aliam extremam maliciam denotabunt. Et ſi circumuoluantur, amentiam. Oculi quibuſcunque pernictant, inſidiatores, furaces. Si vero humidum, multarum artium ſtudioſos. Sin contremuerint palleſcantue, famelicos, & qui ad epilepſiam declinarint. Quibuſcunque vero non pernictarint, ſed ſi cum clauduntur defluant, verecundos. Si & mox attollantur, adulteros, voraces. Sin recti permanſerint, benignos, bonos viros. Sin & ſicci, temerarios indicabunt, Quod ſi ad hæc frontem quis habuerit aſperiorem, ſupercilia conſtrata, palpebraſque duriores, agreſtiore animo, paratus ad audendum omnia quique laudibus & honoribus & donis facillime capiatur. Horum autem omnium mediocris ſtatus præcipue laudatur.

IVVENIS. Ingenij tui ac memoriæ felicitatem valde admiror. *Oculorum pupilla cenchri.* Cumque de Oculis plurima in medium protuleris, tu quid de ipſorum pupillis ac cenchris ſentias, ex te audire, nobis volupe eſt.

EQVES. Oculorum acies, quas & pupillas vocant, paruæ quibus fuerint, prauiſſimæ cogitationis eos eſſe neceſſe eſt, item & auaros ac puſilli animi, Serpentes enim Ichneumones, ſimiæ, vulpeſque huiuſmodi. Contra quibus magnæ, placidiſſimæ mentis, liberales, magnanimos, fortes. ouium enim ac boum tales. Quibus ſecundum rationem oculorum decentes fuerint, probi. Quibus contra, nefarij, impudentes, ſceleroſi. Quibus inæquales, non prorſus mali. Sunt autem interdum in oculis calculi quidam, quos Græci Cenchros vocant, ad ſimilitudinem Milij, candidiores, fului, pallidi, ſanguinei, quique admixtum habent pallidum fuluo, & ijs nigrum. In charopis oculis Cenchri qualeſcunque, agreſticitatis, iniuriæque nota. In nigris ſanguinei, veneficiorum. Pallentes, etiam magicorum carminum.

IVVENIS. Quid vero ſentis de palpebris & ſupercilijs?

EQVES. Qui rectas palpebras flexaque ſupercilia non habuerint, ſed cum tremore ſubmoueant aſpectum, hi ſemiuiri cum ſint, viri tamen eſſe coguntur. Quibus *Palpebra. Supercilia.* innuendo protenduntur palpebræ, fœminati. Qui alteram palpebrarum emittunt, & dum quopiam auerterint, humidum ac molle reſpiciunt, delicioſi, qui plurimum formæ fidant ac mœchi. Veliculæ

autem

autem illæ, quæ ſolent eſſe infra oculos, ebrioſorum, Quæ ſupra, ſomniculoſorum, Ambæ vero vtrorumque. Anguli oculorum à temporibus parui, reprobos. A naribus carnoſi, reprobiſſimos denotant. Supercilia qui attollunt cum ſpiritu, crudæ ſunt mentis, prauique conſilij homines, vani obloquentes, iracundi, ſeditioſi. Recta ſupercilia, mollé. Iuxta naſum, flexa, rigidum. Iuxta tempora, deriſorem. Contracta inuidum. Demiſſa maleuolum indicabunt.

IVVENIS. Dic porro etiam de oculorum coloribus.

EQVES. Qui glaucos oculos, minimaſque acies habuerint, illiberales, auari, callidi. Qui eoſdem aridos, incertis erunt moribus, agreſtes. Qui humidos, dat enim hos Palladi Homerus ſplendeſcentes decenterq; magnos, optimi atque animoſi. Subpurpurei quibus fuerint oculi cum ſiccitate, iracundos. Cum humiditate, ebriacoſos ſi dixeris, nihil aberrabis. Subalbidiores, paucamque glaucitatem haben tes, timiditatis atque impotentię ſignum. Cerulei, quia cæteris humidiores, propterea & meliores.

Oculorum colores.

IVVENIS. De oculis ipſaq; quæ exinde elicitur phyſiognomia diſſerentem te libenter hactenus audiuimus, identidem libenter te audituri, ſi de cæteris quoque capitis humani partibus ac mẽbris diſſerueris. Fiatq; ſi placet à Naſo, qui eſt quaſi Index quidam, initium.

EQVES. Naſi ſummum gracile ſi fuerit, facilem iracundiam. Craſſum vero depreſſumque conſceleratos mores denunciat. Plenum, ſolidum, obtuſumque ſi videris, ex leonibus, moloſſiſque fortem ac iactabundum diiudicato. Naſus oblongus, gracilis roſtratuſque, eius quoque generis mores dabit. Naſus adclinans, vitæ morumque honeſtatis ſignum. Naſus rectus linguæ ſignificat intemperantiam. Acutus, iracundiam. Obtuſus, molliciem. Aduncus qui & aquilinus, regalem animum, ac magnificentiam. Simus, immodeſtiam, ſcortationem. Minor, fraudem, rapacitatem. Adapertus animi vim robutque corporis. Anguſtus rotundior obſtructuſque, ſolitatem, ſecordiam, veſanitatem. Obliquus intortuſque, mentis & animorum obliquitatem.

IVVENIS. De fronte vero quid ſentis?

EQVES. Frons anguſta, ruditatis. Plana, ſecordiæ, Magna ſegniciei. Parua mobilitatis ſtygmate inuſta. Frons autem longa, docilitatem, atque optimos ſenſus oſtendit. Depreſſa atque humilis, fœminatum. Rotunda, iracundum. Gibboſa, inſenſatum. Circumducta, impudentem. Aſpera, quæ quaſi foſſas habeat, infidũ, callidum, & ſi cætera adfuerint, ſtolidũ.

Frons.

O Qua-

Quadrata quæ ſcilicet ſuæ magnitudinis menſionem habuerit, euidentiſſima prudentiæ, fortitudinis, intellectus, magnificentiæque index. Frons alta rectaque contumaciam. Diſtenta ſecuritatem. Rugoſa, ſtudium ac ſollicitudinem oſtendet.

IVVENIS. De genis & malis quid ſtatuis?

EQVES. Genæ malæque quibus carnoſæ, ſegneis atque ebriacoſos indicant. Graciliores, improbitatis. Pinguidiores calliditati. Craſſæ & ab oculis demiſſiores, inuidentiæ ſignum. Rotundæ, doloſorum. Prælargæ, vaniloquentiorum.

IVVENIS. Os & labra, prout ſunt cõformata, quid portẽdant expone.

Os & labra. EQVES. Os neq; firmum, neq; proteruum, audaciæ, nugacitatis, dementiæ nota. Os paruum prominenſque, inſidiarum, reprobitatis. Concauum ac fornicatum, vt ſi infremeret, inuidentiæ, ſceleroſitatis. Humile ac depreſſum, formidinis & conſiliorum inſtabilitatis. Oris autem ſectio, veſanum, crudum, manduconem. Vaſtitas caninam denotabit exuricionem. Os paruum fœminas, maius viros decet. Labra in ore maiori tenuia, vt inferioribus adijciantur ſuperiora, magnanimitatem ſignificabunt, ac leoninam fortitudinem. In minori vero, i[illegible], inhumanitatem, moleſtiam, [illegible]tem, perfidiam. Quibus ſupra caninos attollentur ex ictu labra, peſſimorum morum, adclam·tores, iniurij, conuiciatores, mordaces. Quibus totum os protenditur, & moribus & operibus ſunt ſuini. Quibus inferiori labro, ſuperius labrum ſuperadijcitur, prudentiores. Quibus cõtra labro labium prominebit magis, non prorſus mali, quanquam vani & ſtolidiores.

IVVENIS. Ex mente, quod ori ac labris proxime ſubiacet, quam diuines in alijs mẽtem, tuam nobis identidem aperito mentem.

EQVES. Mentum quibuſcunque longius, omnino reprobi, niſi quod præter modum loquaciores ac molliuſculi. *Mentum.* Quibuſcunque breuius, peſſimi, crudeles, diri, atq; inſidiatores. Quibus acutum, bonam habent hi omnes mentem. Quibus rotundiorem figuram circumſcripſerit, effœminati. Quibus quadratam, viriles. Quibus ſummo in loco tanquã in duos vertices diſſiluerit, modo ſciſſura ſit apparẽs, doloſi. Nam ſi leuis, Venerei potius gratioſique iudicabuntur.

IVVENIS. Caput quoq; quod omnia capit, itemque capillos, nobis expone. *Caput & capilli.*

EQVES. Caput valde paruum, quiſquis habuerit, is ab omni erit ſenſu humanoque captu alienior. Q·i modic·m, fortis, probe ſenſatus, magnanimuſque. Qui permagnum, imbecillus, illiberalis, nul-

lus

ſtius aut certe rudiſſimi perceptus. Qui obliquum inuerecundior. Qui altum, contumacior. Qui vtrinque conuexum, iracundior. Pars capitis poſterior depreſſa atque humilis formidoloſi, ac prorſus animo toto carentis. Caput volunt id ſenſibus cæteriſque rebus videri perfectum, quod mediocre fuerit, quod rectum, quod & intra menſum conſtiterit, ac ζ Græcæ literæ figuram habuerit. Capillos autem nihil ad hanc rationem conferre vult Adamantius. Sunt vero multiformes, porrecti, criſpi, leues, intorti, molles, duri, denſi, rariores, nigri, albi, glauci, rubei, ruffi, flaui, & eiuſmodi. Ariſtoteles tamen molliores capillos, facilioris vult eſſe ingenij ſignum, duros agreſtioris.

Aures. IVVENIS. Aures prope intermiſeram, niſi in hoc de capite & capillis diſſertatione, nutu vellicaſſes aurem. Proinde de auribus vt aliquid etiam dicas, votum meum eſt.

EQVES. Aurium multa eſt varietas, quædam ſunt tenues, quædam craſſæ, aliæ magnæ, aliæ paruę, extantes, preſſæ, atque earum mediæ. Item quadratæ, rotundæ, immobiles, & vnde flaccorum cognomina, languentes ac deciduæ. Tenues igitur minores ac veluti circumciſæ, fatuum denotabunt, callidum, malicioſum. Craſſę magnęq; ſurdaſtrum. Extantes præſentaneã hominis docilitatem, manſuetudinem, benignitatem. Preſſæ, inſcitiam, ruditatem. Quadratæ vero ac mediocriter magnæ in audiendo argutiſſimum.

IVVENIS. Ex facie quoque ac vultu, etſi iudicare difficilimum, quippe qui ſimulare æque ac diſſimulare callet; tu tamen quid ſentias, ediſſere.

Facies, Vultus. EQVES. Facies quibus eſt, Ariſtoteles inquit, magna, tardiores. Quibus parua, immoti. Quibus larga, ſtupidi. Quibus circumlata, animoſi. Carnoſa, inquit Adamantius, facies, delicioſi eſt hominis, lauti ac pubeſcentis. Macra, ſtudioſi, deamatoris. Parua facies paruos quoque redarguit mores. Permagna vero ſtolidiores. Iam vero ipſe index obtrectorque conſcientiæ noſtræ, Vultus quam incertus, inconſtans, varius, quia tottus videlicet ex animorum perturbationibus confingitur, Quinetiam interdum earum ſimulator ac diſſimulator. Quare haud temere ex eo omnibus horis dijudicandum, niſi cum ab eiuſmodi motionibus animi deferbuiſſe videbuntur. Mille ſunt eius varietates, mœſtus, iucundus, facilis, ſeuerus, alacer triſtis, clarus, tenebroſus nubilus, doloroſus, peruigil, ſomniculoſus, ſecurus, audax, meticuloſus, & eiuſmodi, quorum & animi tales. Alacer autem claruſque vultus, certiſſimus index ulterij,

terij, Erubeſcens hinc illud, ſalua res eſt, pudoris verecundiæ.

IVVENIS. Finitis iam indicijs ex capite eiuſque partibus exterioribus phyſiogomicis, quid de colli indicijs ſentias, nobis expone.

Collum. EQVES. Collum quicunque habuerint oblongius, graciliuſq; timidiores ſunt, atq; egregie malorum morum. Qui pinguidius prolixiuſque, animoſiores, iactabundi, contumaces. Qui & cōpactius, robuſti, fortes atque ad diſciplinas, idonei. Nam qui contra inanius habuerint, vafri, adulteriue. Collum quod neruis obtenditur, ſiniſtri, ac ſi adſint & cætera, fatui, inque dementiam delabantis. Collum præpinguius, iracundi, ad diſciplinas inhabiles, ſuini. Collum breuius præmultumque, audacis. Collum denſius, nullā in partem cadens, ſiniſtri, contumacis, inepti. Collum effractum; ſemiuiri. Collum in dextram adclinans, ornati, prudentis, ſtudioſique. In ſiniſtram adulteri, ac nullius prudentiæ. In vtranque vero aut in quamuis aliam, prauiſſimi animi ac mentis indicium. In nullam vero, moderationis, plurimæque & artis & exercitationis. Collum quibus longum, iiſdem erunt etiam crura longa.

IVVENIS. Ex ceruice autem quę ſumuntur indicia?

Ceruix. EQVES. Ceruix quibuſcunque aſpera atque obliqua fuerit, ineptiſſimi. Quibus quæ ſub ea ſunt ſpondiles aſperæ, collumque prominentius ſeſe humeris ſupereffuderit, iniurij, præduræ mentis, ad diſciplinas tanquam ad Muſicen aſinus apti. Guttur aſperum, leuitatem arguit, proteruitatem linguæ atque arrogantiam. Quod ſi & ſpondilibus hæſerit, ſolam ex ijs leuitatem, item hominem ebrioſum, querulum, triſtem, iracundum, cœnipetam, alioqui ſemper altiora cogitantem. Guttur.

IUUENIS. Quid vero ex cleidibus, pectore & mamillis portendis?

Cleides. Pectus. Mamilla. EQVES. Cleides, ſic enim à Græcis vocantur, hi qni e ſummo pectore in imam gulam exeunt vertices, à clauium effectu ſimili. Obſtructę, nullam vim aut ſenſus aut actionis oſtendunt. Apertæ, molliorem fœminatumque. Mediocres vero, quæ ad naſi longitudinem dimenſu inter ſe diſtarint, inſignem hominis & prudentiam & virilitatem. Quibuſcunque ab vmbilico ad cleidas, maior commenſus quam ſit circumlatio colli, hoc eſt, plus duabus faciebus, guloſi, exuriones. Pectus magnum ac dearticulatum, ſignificat robuſtitatem, gracile atque imbecillum, animi puſillitatem. Carnoſum vero, affectus dexteritatiſque carentiam. Mamillæ quibus in obeſo pectore dependent, ſcortatores, ebrioli, & ganeones indicabuntur.

IVVENIS. Quid ex humeris, ſcapulis, lumbo & tergo pronuncias?

EQVES.

Humeri. Scapula. Lumbi. Tergum.

Eqves. Pingues humeri, nullo modo probātur. Robuſti, robuſtos & mores ſignificant. Vacui, fœminatorum ſunt ac timidorum. Graciles erectiq́, peſſimorum. Inarticulati efformeſq́, ſtolidorum. Scapula quibus eſt robuſta, robuſti & ipſi. Quibus imbecilla & gracilis, timidi ac puſillanimes. Carnoſa, ſenſuum indicat egeſtatem. Anguſta, etiam fatuitatem. Latior, mentis altitudinem. Rotundior, induſtriam, ſagacitatem. Gibboſa curuaque ſcapula, humerique in pectus effracti, inuidentiam, prauitatē. Lumbus oſſeus, fortem ſignificat, & virilem. Carnoſus molliſq́;, mollē & effœminatū. Acutus vero, intemperantem ac timidum. Tergum latum, ac ſolidū, animoſitatis generoſitatiſq́; ſignū. Anguſtum, contra & ſolutum, timiditatis, & illiberalitatis. Incuruus autem homo, nequaquam vnquam bonus, niſi membra humidiora cæteraque vrbana affuerint ſigna. Sic tu eum ſuccinctum ac venatorium iudicabis.

Ivvenis. Vlnas & brachia quoque contemplare.

Brachia. Vlna.

Eqves. Vlnæ ſi ita fuerint prolixiores, vt demiſſæ manus ad medias infra coxendices peruenerint, fortitudinis ac fœlicitatis ſignum. Breuiores vero, quorum capita cibo occurrunt, maleuolentiæ, inuidentiæque. Exiles, hominem effœminatū. Carnoſiores vero diſciplinis ſenſibuſque carentium. Vlnas, brachia, cubitoſque ipſos bene articulatos eſſe oportet, quos probari voluerimus.

Ivvenis. Cum, teſte Iobo Deus in manibus quoque ſigna poſuerit, proinde manuum, digitorum vnguiumque non grauaberis prodere nobis indicia.

Manus. Digiti. Vngues.

Eqves. Manus teneræ molliореſque, optimi dicuntur eſſe ingenij argumentum. Duræ magnæq́;, fortem illum quidē ſignificabūt, haud ſatis tamē diſciplinis idoneum. Paruæ manus, callidum. Perbreues ac mutilatæ, fatuū. Quæ ſi & pingues, nequiſſimum. Anguſtæ graciles ſque manus, rapacitatis. Pleniores quæ oblongos habeant digitos, furacitatis. Graciles tortuoſæque, nugacitatis voracitatiſque indicium. Digitos quicunque habuerint compactos, nunquam boni. Qui conſtratos diſiunctoſque, callidi, auari, ac perditiſſimorum morum. Qui paruos gracileſq́;, pauciſſimi intellectus. Qui præmutilos craſſoſque, audaces, feriní. Qui oblongos graciles que, minimę rudioriſque mentis. Digiti qui commenſu conſtiterint ſuo, omniū optimi. Vngues lati colore albo ſufflauoq́;, naturæ bonitatem. Anguſti, prolixiores, curuiq́;, item & carnoſi, improuidum; malē ſenſatum. Obliqui, inuerecundum ac rapacē commonſtrabunt. Parui, pallidi, nigri, aſperique vngues, & qui carni hæſerint, calliditatis. Rotundiores, libidinoſitatis indicium. Vnguium

illuciditas, nequaquam eſt hominis fiugi. Ipſi tamen per ſe vngues infirmam habebunt rationem.

IVVENIS. De lateribus, ilibus & ventre quid ſentis?

Latera. Ilia. Venter.

EQVES. Latera graciliora, formidinem, debilitatem. Dura atque carnoſa, indocibilitatem. Circumlata atque in ſpeciem tumoris plena, nugacitatem nequitiamque redarguent. Ilia præpinguidiora mulierum, oſſea virorum. Gracilia, denſa, ſordida, & tanquam eliquata, callidiſſimorum hominum venter vacuus, & ſanitatem & magnanimitatem oſtendit. Macerrimus ac præter modum inanis, timiditatem, nequitiam, exuritionem. Carnoſus ſi & mollis fuerit, prudensque, ſenſuum hebetudinem, intemperantiam, ebrioſitatem. Si durus ceruicique compactus, calliditatem.

IVVENIS. Quid ſentis de coxis & cruribus?

Coxendices. Crura.

EQVES. Quibus articulatæ ſolidæq; fuerint coxendices & crura, egregiam naturæ aptitudinem præſtabunt ac generoſitatem. Quibus contra inarticulatæ ac molles, timidam imbecillitatẽ. Quibus prægraciles, improbitatem: quæ ſi etiam neruoſæ, præter illa immodeſtiſſimam procacitatem. Crura vero ipſa ſuris prægnantia, intemperantes, inuerecundos, & abominabiles indicabut. Genua quibuſcunq; tãquã collabentia, mulieroſi, fœmineiq;.

IVVENIS. Ex pedum quoque & talorum varietate aliquid diuinabis?

Pedes. Tali.

EQVES. Pedes neruoſi, articulati, & generis & morum nobilitatis veſtigia imprimunt. Teneri, & quales Telemacho dat Homer⁹ humiduli, molliorem ſignificant. Prænutili ac pingues, fermos arguent mores. Oblongi, plurimæ cogitationis ſignum: parui, calliditatis: Magni, mœchanicitatis. Qui adæquatas habuerint plantas, aut contra nimium conuexas, Item qui quaſi talis incedũt, improbi, aſtuti, callidique. Tali autem diſcreti, nobilem. Molles leueſque, effœminatum. Graciliores, timidum, intemperantemque demonſtrant. Calcaneorum craſſitudo plurimæ ſeruilitatis atque indocibilitatis indicium. Præpingues talos, aſperiora calcanea, carnoſos pedes, digitoſque horum incuruos, & ſuras prægnantes qui habuerint, omnes fatuos aut furioſos.

IVVENIS. Dura ſunt iſthæc quæ de talis prępinguib⁹, calcaneis aſperioribus &c. quod nimitum fatuæ mentis hominem deſignent, ex cõmuni phyſiognomicorum ſentẽtia affers. Sed relinquo iſthæc ſuis autorib⁹, penes quos etiã fides eſto. Cæterũ cum nõ vno eodẽq; colore hominẽ corpora p naturã tincta ſint, an nõ etiam iſta colorũ varietas ingeniorum quoq; varietatem arguit.

EQVES. Omnino. Quibus nãq; niger color eſt adulteri eſſe dicũtur, timidiq;. Albicãs color, pigrum, intemperantem, fœminatum, incõtinen-

nentem. Fuluus, doloſum ac multiformem. Subuiridis, quem obuciés Piſoni Cicero, ſeruilem vocauit, niſi ex aliqua ægrotatione is fuerit, prauum, tim du m. Luteus auarũ, inuidum. Mellinus, iracundũ, epulonẽ, nugigerulum, dicacẽ, meticuloſum. Flammeus in leuiter ſubrubeſcente corpore ſi perdurarit, naturæ bonitatẽ, aptitudinẽ, in diſciplinis capeſſendis próptitudinem & egregiam animorũ nobilitatẽ ſignificabit. Albus ſufflauuſq; & annni & corporis vim ꝓmittet. Atq; hæc generaliter. Pectus vero ſubribucundũ, excádeſcentem iram denũciat. Idemq; erit, ſi quæ circa ventrẽ, quæq; in tẽporibus inſunt venulæ, paulo apparẽtiores fuerint. Vultus ipſe perrubicundus, verecundiam oſtendit. Nam ſi genæ tãtum erubuerint, vinoſitatẽ.

IVVENIS. Tu loquendo, Senex ad nænias noſtras auſcultando, defatigati eſtis; vtriq; ego quæſtiunculis obrependo moleſtus ſum. Sed facio id pro iuuenili meo ingenio; & facerem etiam amplius, ſi non propediẽ congreſſum noſtrum reiteratum ac cõtinuatũ iri certò mihi pollicerer. id quod votum meum magnum eſt.

EQVES. Quæſtionib⁹ tuis, quas hacten⁹ in medium protuliſti, nihil mihi faceſſis negocij, imo quã plurimũ mihi paras otij. Multa n. adhuc ſunt, quæ ad hác noſtram de fabrica & ſculptura, itemq; phyſiognomia corporis humani accommoda, atq; interhęc ipſa Perſpectiua, in mediũ poſſent afferri, ſed nolim diuti⁹ ſeni huic præter ætatem modeſto ac æquo eſſe moleſtus.

IVVENIS. Perſpectiua certe, vt de cæteris iam nõ dicá, etſi fermè tota Pictorũ eſſe videatur, ad Sculpturã tamẽ, adeoq; munus ſculptoriũ quã commodiſſimè refertur; quæ quidẽ duplex eſt, quarum altera ad Φυσιολογίαν, altera vero ad γραφικὴν pertinet. *Perſpectiua.* Ac priore quidẽ illa rationes tradũtur, cur in cõſpicuis ita perſpectus afficiátur, ac quemadmodũ triplex illa ſpectandi ratio fiat, ex directo, ex reflexione, ac refractione radiorum. Quæ quoniá plurimos nacta eſt, & Græcos & Latinos ſcriptores, eſtq; aliquanto ab hac noſtra remotior, nõ eſt mihi propoſitũ eam vos edocere, qui alios ſoletis. Poſteſterior autẽ hæc noſtra duplex, nãq; vel ad totũ opus vel ad ſingulas pertinebit partes. Quæ ad totum opus pertinet, prior, ac viſu primum diiudicatur. Quæ vero ad partes, eas ſibi res tantũmodo conſiderandas proponit, quæ perſpectioni occurrent. Prioris autem huius quæ ſeſe latius effundit ratiocinatio, ſumetur ſic. Omne corpus quocunq; ſtatu cõſtiterit, in aliquo quidẽ neceſſe eſt eſſe loco. Hoc cũ ita ſit, quod priu s erat, prius quoq; & hic nobis conſiderádum. Atqui loc⁹ prior ſit neceſſe eſt quam corp⁹ locatum. Locus igitur primo deſignabitur, id quod Planũ vocant. Facies autem quam directiſſimum ſic. Ad perpendiculum mediam

diam lineam demittito, Hinc inde ſemicirculos circumducito, Per eorum interſectiones lineam ipſam ęquoream trahito. Ne quis vero fiat in collocandis deinde perſonis error, fieri oportere demonſtrant hoc modo. Eſto iam in hac quadrata, nā eiuſmodi potiſſimum vtimur, tabula, hęc, inquiunt, linea. At quantum ab hac, plani definitrix diſtare debebitur? Aut vbi corpora collocabimus? Qui proſpicit, niſi iā in pedes deſpexerit, proſpiciet à pedib⁹, vnica ſui ad minimum dimēſione. Ducatur itaque quot volueris pedum, linea hæc. Mox deinde hic longius attollatur alia in humanam ſtaturā, Sic. Ex huius autem ipſi⁹ vertice ducatur ad extremum æquoreæ linea, ſic. Itidem ad omnium harum portionū angulos, Sic. Vbi igitur à media æquorea perpēdicularis hæc; cū ea quæ ab vertice ad extremum ducta fuerat, ſe coniunxerit, plani finitricis lineæ terminus hic eſto, quod ſi ab æquorea ad hāc finitricē, ab laterali ad lateralem, abſque ipſarum angulis ad angulos, plurimas hoc modo perduxeris lineas, deſcriptū etiā collocandis perſonis locum habebis, nā & cohærere & diſtare vri oportuerit his ipſis debebunt inter uallis. Atq; ad hunc modum diſſeruerint. Nos noſtro more forſitā diſtinctius, Sculptoriæ Perſpectiuæ pars, quam ad totum op⁹ pertinere diximus, triplex. Nam triplex omnino ſpeciendi legimus ordo. In rectum, cum videlicet intra extremas haſce verticis ac pedum lineas viſus dirigitur, cuius ratio ꝓprie vt arbitror ὀπτικὴ nominata. In ſurſum, ꝙ ad vſq; medium horizonta ſupra caput attollitur, quę ἀνωπτικὴ dicta. Et deorſum, cum infra pedes tantundē demittitur, quæ καθωπτικὴ nuncupata, in quibus omnib⁹ quid oporteat diligenter conſiderandum. Ille etenim perſpect⁹, qui fit in rectum, nō niſi ad priores peruenire poterit perſonas, aut per interualla earum ad ſecundas, atq; interdum etiam ad tertias. Quoniā vero hoc ipſo perſpectu, quæ primo ſeſe offerunt res, paulo pluſquam ex dimidio proſpectantibus occurrunt, itidem & iſtic in tabula extare primo loco debebunt, ſic Contractius ſecundæ hoc celſiore, propter rationem diſtantię in plano, Sic. Cōtractius vero & tertiæ, vix ſummam hinc ſuperficiem mittent, quod ipſum in vetuſtiſſimis pleriſq, monumentis obſeruatum animaduertimus. Ea namque oculorū lex eſt. Priora ſeſe magis oſtentent, longinquiora compreſſius videantur. Si igitur diſtarint hinc perſonæ, ab his qui in prima hic conſtiterint acie, prominebit exterius planum, Sic. Sin cohærebunt hic à tergo poſterioris, nihil id ita oportebit. Cum vero ſuſpicitur, atq, in alto aliquid loco ſignificare voluerim⁹, verbi gratia hominem hunc in ſumma ſpecula, Nautam hic in ſumma turre mali, aut Dædalum etiam ſi libuerit

buerit cum Icaro volantem, cōſiderandum qua diſtantia, quaue id altitudine ab hoc ipſo ſuſpectionis centro fuerit, & quantum illinc radiorū vnumquodque ſuſcipiat. Nam hic proprius, iſtic remotius, hoc maius, illud minus eſſe conueniet, hoc pacto. Sin itaque deſpicietur, quanto is eſt frequētior multoq; difficilior proſpectus, maior & cura & diligētia adhibenda eſt. Tunc enim deſpiciēdi hęc ratio tractabitur, quoties plurimam rem aliquā oſtenderim⁹, veluti magno in populo cū ſæpe cohorta eſt ſeditio, pugnas, prælia, vrbes, & eiuſmodi, ꝙ ipſum fieri aliter non poteſt, quam deſpectu. Etenim in omni re tumultuoſa ſpectaturi, ſemper altum cōſcendimus. Quare quoties multiplicē voluerim⁹ rem vllam talem proſpectantium oculis ſubiicere, ad hanc ipſam deſpiciendi rationē decurretur. Ac quæ primo in quam velis partē ſe offerunt, proximiore hic loco ſtatuemus. Quæ deinde intermedio hic cōſpectiore, Quæ poſtremo hic celſiore, eum in modum, vt ſpaciis quæq; ſuis interdiſtincta, ſuo ſic ordine dignoſcātur cuiuſmodi intelligitur illud, *Videt Iliacas ex ordine pugnas, Bellaq́ iam fama totum vulgata per orbem.* Atq; ille vterque Vulcanius clypeus. Cōſtat enim tota hęc in vniuerſum perſpectiua, diſpoſitione, vt intelligamus quacunq; ratione ſpectetur, quantū ab alio aliud diſtare aut cohærere debeat, quot neceſſariç ſint ad illam rem ſignificandam perſonæ, ne aut numero confundantur, aut raritate deficiat intellectio. Dicerem equidē de hoc ipſo genere toto ſingulatim plura, niſi prudens artifex, quæ dici poſſent, ex ſupradictis facilime cuncta deprehenderet. Intelligendū eſt autem in recto perſpectu, tabulam ipſam pro pariete, in ſurſum pro æthere, in deorſum pro terra accipi oportere, Quanquā inter ſe vna ſemper egeat alterius, ex qua re ſola Perſpectiuæ rationis huius lex tota digniſci poterat. Igitur animaduertite libet vnico exemplo rem omnem ſignificare. Eſto hic ſagulatus Hannibal, hic purpurati Romanorū duces, Paulus & Varro, hic Romana manus, hic Carthaginenſis, hac fluuius, hic & cædes. Dirigatur age nūc æquor in rectam oculorum aciem, Sic: certe non videtur: deprimatur hæc pars anterior, iam melius. Age adhuc, etiam melius. Age adhuc in perpendiculum apertius, ita ſemper oculos rē ſibi ſubiectā quærit. Eſto rurſus hoc pulpitū cubitis age altū tribus, ſi res quæ in eo fient, videri debebunt, certe aut iis qui poſteri ſunt, aſcendendū erit, aut certe quaſi hic liber cum legumnis attollendū pulpitum, ita nunquam & hic erit à natura recedendum. Hanc vero triplicem ſpeciēdi rationem à pictore quiſquis ille fuerit, animaduerti perbelle ſemel adſeruatam. Ita n. is Danaem cōpoſuerat, vt ſi ꝓſpiceres auaram ipſam puellam, ſtupeſcentē

P vide-

videres. Sin ſuſpiceres, Iouem iamiá e nubibus deſcenſurũ impluuio putares. Sin vero deſpiceres, proximas regiones aurea conſperſas grandine mirarere. Sed de vniuerſali pſpectiua hęc ſatis. Altera vero Perſpectiuę pars, quę ſingulas conſiderat rerum paritiones, eſt quidem illa vulgaris, Pictorumq; pueris vſitatiſſima, Sic tamen vt ſummam aſſecutus videri poſſit, quiſq; eam recte tenuerit. Eſt autem nihil aliud hæc Perſpectiua, niſi quę dum in reddendis rerum omnium vtcunq; paruerint ſimilitudinibus verſatur, quæ nõ ita ſunt, ita tamen videri faciat. Id vero ex mentita potiſſimum longitudinis menſione, ſiue hominum, ſiue ædificiorũ, aut cuiuſuis alterius alicuius corporis, cũ ab ſua rectitudine proſpectari debuerit, ſiue rotundã, ſiue triãgularẽ, quadrãgularemue, aut quãuis aliam lateralẽ habuerit formam.

EQVES. Rumpe filũ, nodoſum n. animaduerto, intermitte tuorũ de Perſpectiua dictorũ ſeriẽ & remitte ad eos, quib. plus quam nobis eſt in huiuſmodi phãtaſiis otij. Et ſi quidẽ ad huiuſmodi nænias deuiare vis, ad eas potius deuiandũ, quib⁹ aliquod ſubeſt lucri, quales ſunt, decantatiſſimæ illæ artes: Chymice, Effotmatoria, Exornatio, Cælatura, & ſi quæ his ſunt ſimiles, quæ omnimodas rerum efformationes variè effingit.

IVVENIS. Nimirum cretam, ſtercora, carbones folleſq; à nobis tractari ſuades. Mouẽda Liparẽſis officina, exercitandi Steropeſq, Pyracmonq;. Quoniã itaq; ſermone hoc meo te nõdum defatigatũ animaduerto, age, per quadrantẽ adhuc horæ ea, quæ innuiſti, paucis perſtringemus. Ad Chymicẽ itaq;, quæ circa metallorũ exalterationẽ verſatur, primũ ꝗ attinet, in duas eam diuido partes, in Formarum cõfectionẽ, & in metallorum Informationẽ. Formas autem nunc eas intelligo, quæ ſpeciem de cera ſuſcipiant, contineantq;, ac poſtremò tandem fideliter reddant. In omnibus cretæ potiſſimum natura cõſideranda, ne ſiet tenax, ne terrea, ne turpis. Mollitur deinde, ſubigiturq; tomento vel vẽtre equino, pari portione, quo ad neutrius diſcretio fiat, additis interdũ cinerib. latericioue puluere. Deſiccatur, eraditur, excribratur, rurſ⁹ perfuſa aqua luteſcat, neque durius, neq; mollius. Dicerem quid prima, quid ſecunda quidue tertia ſit illinitione obſeruandum, quemadmodũ poſtremo ferreis vinculis cogendæ, quemadmodũ decoquendæ humãdæq; ſint formę, niſi cõſulto vos hęc ipſa videre quam audire malim. Atque equidem puto vos in officinis illorum, qui bellicas murorum machinas atq; ęra ſonantia fundunt interfuiſſe. In metallis vero ipſis informandis diligentior prorſus erit ratio adhibẽda, Ne Chimiſtarum elogio, operã ſimul & carbones perdidiſſe videamur, in qua quidem re ſummum erit, metallorũ naturam cogno-

Chemia.

cognoſcere, atque vbi delicuerint ebullierintq́, informare. Neque vero eſt, quod Phyſiologica nunc adducam, volq; ego doceam quæ ſit auri, argenti, æris, ſtagni, ac cæterorum natura. Quidue ex horũ confiat permixtura. Equidem nolo noctuam Athenas, aut videri Chymice ſciẽs. Intelligendum tamen æs temperari ſolere multis modis. Alia enim vtũtur temperatura campanarij, Alia & nos. Illorum temperatura, vicenæ interdum, & ex qualitate æris, trigenæ libræ ſtagni in centenas æris. Noſtra vero aut Statuaria, aut Tabularis, aut Sigillaria. Statuaria hæc, duodenæ ſtagni in centenas libras æris, tertia parte collectanei. Plumbum quidem ipſum æri non admiſcetur. Additur tamen plerunq; ad colorem, nigri plumbi portio decima. Argentarij vero, id enim eſt albo nigroq; pariter mixtis, viceſima, colorem contrahet, quem dixerunt græcanicum. Plumbi nigri duodecima addita Cypreo purpureũ. Tabularis hæc, denæ libræ ſtagni in cẽtenas æris. Sigillaria vero hæc, funditur æs collectaneum longo vſu perdomitum, ſimul & orichalc.[*] pari portione, in ſingulas libras additis interdum binis vnciis ſtagni, interdum ſi rutilus quęratur colos tutia. Nam ſi albus, Sic. Collectaneum æs depurgatum fundito, arſenici, nitrique deſumatorum ternas vncias in binas eius æris libras, fruſtillatim conijcito, obturatum in vaſe percoquito, poſtremum infundito, dealbeſcet ſic in ſpeciem argenti. Si poſt Noricas fornaces nobis ferrum eliquaretur, commodius plurima fieret colorum in ære diuerſitas.

EQVES. Scite equidem Ariſtonidas, qui cum veſani Athamantis filium præcipitare volentis, furorem, & mox præcipitato illo reſidentis pœnitentiam velles exprimere, ferrum & æs miſcuit, vt eius rubigine per nitorem æris relucente, rubor exprimeretur verecundiæ.

IVVENIS. Plerique tamen inuenti, qui affirmarent, Si ferri ſcobem ſubtiliſſime delimatam, arſenico pariter ſaliquę permixtam ardentiſſimis fornacibus diem totum calcinatam feceris, adeo permolliri, vt argento atque ære facilius colliquari poſſit, Rurſuſque obdurari, ſi candens intingatur aqua frigida. Liquatum æs emendatur ſale tartaroque. Ebulliet, ipſoque in iactu depurgabitur à Scoria, iniectis laciniis lini ceratis oleaiſque, Ebullitionis autem præmaturæ ſignum nonnulli dixerunt eſſe furfur iniectum, ſi paraccendi ſtatim non effumando videatur. Plerique dum Scoriam fecerint expectant, fruſtra vero ſperatis, vllo quouis artificio, recte informari metallum poſſe, niſi iam decoctiſſimę prius formæ, ſuas vti, quotue oportebit ſpiramentorum emiſſuras

ſuras habuerit, Sed hæc audiendo aut parum proſunt aut nihil. Igitur ad officinam, Ac ſi qua id ratione verbis explicari poſſet non de vllo melius quam de Poeta cognoſceretis, cum ſic ait:

——— --- Striduntque cauernis,
Stricturæ calybũ, ac fornacibus ignis anhelat.
——— Fluit æs riuis, auriq́, metallũ,
Vulnificuſque calybs vaſta fornace liqueſcit,
Ingentem clybeum informant.

Sed quoniam ſæpius per imprudentiã euenit, medio vt iactu metalla defecerint, multum enim facit ne idipſum accidat, ſi ſcierimus, quota metalli cuiuſque portio correſpondeat Argillæ, ligno ac ceræ.

EQVES. Ponã hoc loco quæ inueni ab aliis tradita. Singulis libris Argillæ correſpõdebunt nouẽ æris, Ligni faginei 14. Ceræ vero 6. Æris albi 8. vncia & ſemis, Cypri 9. drachmę; Orichalchi 9. vncię 2. ac ſemis, Stagni 7. vnciæ 10. drachm. 4. Argẽti 11. vnciæ 6. Plumbi 12. vnciæ 9. Auri 19. vnciæque tres vt drachmæ nouem efficiant vnciã vnam. Nonnulli in quadratas formas cubitalis vndiq; menſionis D I I. mill. pondo æris dixerunt infundi oportet. Sed quiſque ſibi homo prudens rem omnem certam faciet experimento, antequã fundat. Si tamẽ meminerimus, ſemper meliorẽ eſſe cõditionẽ eorũ, quib9 res ſuperſunt, quã quib9 deſunt, multoq; ſemper oportuni9 hoc eſſe, vt demi poſſit, quam vt addi oporteat. Nam quid ego dicã, de commiſſuris, Stultiſſimum quidem exiſtimo, vbi res ſemel integra fieri poterit, in fruſta diſiungere, vt iterũ iungas, Si tamẽ ita neceſſe fuerit, Mihi quidem eis in triangulorũ ſpeciem fieri in hũc modũ ∴ placeret, Nam & pertinacius hærebũt, & diſſoluentur temere nunquam.

IVVENIS. Sed, Iſtud tuum memineris. Quæſo cur infamem fecerunt quidam artem Chimiam?

EQVES. Ferunt pellem illã Arietis auream, ad quam cum delectu Argiuum heroum manu celeri prouectus eſt Iaſon Argo, non pellem ipſam, vti ex hoc eo Poetæ finxerũt, Sed arietinis chartis fuiſſe librum, qui cõficiendi auri & argenti rationem continuerit. Eius vero artis vti & cæterarum omnium innumerabilibus pene ſeculis peritiſſimos dicunt fuiſſe Ægyptios, ac lõgo poſt tempore Diocletianum Cæſarẽ ob proximarum rerum in ea prouincia ſuſpitionem, conquæſitos vndique artis illius libros omneis comburi iuſſiſſe, Nequa diuitias compararent, pecuniarumque copia fidentes, Romanis aliquando Ægyptij bellum inferre auderent, atque ex eo publice ſemper habitam flagitioſam, Sed ſi vnquã, nunc certe flagitioſiſſimam, quæ perfida pleros iam regnaturos, iam mendicare coegit. Nunc autem ad, *Sed*, illud noſtrum reuertamus, iamque ad commotiſ-

motiſſimam Sculpturæ ſpeciem Ἐκτύπωσιν, quæ dici à nobis effor- *Efformatoria.* matoria poteſt, pertranſeamus. Tractatur autem ea quadrifariã. Siquidem Creta, Gypſo, Cera, & puluiſculo conformamus. Creta ſic. Argillam ipſam fictilem accipito, in aquam colliquefacito, quod ſubſederit tenuius, ad ſolem, ad furnum arefacito, in puluerem redigito, Excribatum paulo durius impaſtato, mox quod volueris ſigillum ea ſemel imprimito, & ſiccatum figlina concoquito, Ita capillum etiam efformaueris. Gypſo ſic. Illud vero calcis ſpecies eſt, aiunt in Cypro & Thebis fodi, ſed nil refert, dum Bononienſis Appenninus mirum quàm in ea vrbe Gypſum abundat, dum & Alpes id nobis ſufficiant. Eius autem triplex eſt ſpecies marmoroſa, gleboſa, & aluminoſa. Marmoroſa quidem, vtilior, & ſcalpitur ad Statuas, & ſuum morem decocta pertinacior. Aluminoſa vero ſi pelluxeris, ad id quod volumus, longe commodior, nam de altera nihil oportet, decoquitur furno lente calido, teritur pilis ligneis, excribraturque, ſtatim vt tepeſcente aqua permaduerit, ſuperinfunditur, vbi peraruerit, tolletur. Quod fieri ſalua re nunquam poterit, niſi prius oleo illitum aut plus ſemicirculo fuerit occupatum. Nam primum hoc deinde & illud efformabimus, quo ad integram rem habebimus, Continebunt autem ſeſe fruſtula firmius, ſi quod erat prius, excauatum inueniatur à poſteriore, vt in commiſſuris. Emendabitur autem huiuſmodi formula ad ceream rurſus plumbeamue effigiem hoc pacto. Deſiccato rurſus ſed forno calidiore. Quoties oportuerit intepeſcentem aquam, ſi ſis ceram immiſſurus, immergito. Si cauitas placuerit, poſt paululum vbi infuſa fuerit, effundito. Si vero plumbum proderit, eam optime deſiccari, plumbumque ipſum nigrum albo quod Marchiſitam vocant & Antimonio temperari, XII. portione, Ceram autem efformo, ſic.

Liquefiat primum, mox ad eam rationem quam diximus ſuperfundatur, vel ſi commodius fiet, in eam ipſa re, commergatur emergaturque, donec amictu veſtita fuerit craſſiore, frequentius, deſecetur acie tenuiſſima, adaperiatur, iungaturque. Ad ſoliditatem infunditur Gypſum, Ad cauitatem vero quæ ſola in his admirationem habet, etiam vti docui, cera, ſed ſi prius illam humor circumfluxerit liquidus. Cauitas vero ipſa, vbi cretatum fuerit extrinſecus, accipito tanquam rem ſecretiſſimam, replebitur Argilla, quam edocui tomento & equino ventre ſubacta, mixtis puluere lateritio, interdum molari,

interdum vitreo, ſiue etiam aduſtarum formarum, calce viua, cineribuſue. Puluiſculus vero qui optimus ſit, diu quæritari à multis ſolitum. Is autem aut natiuus eſt, aut factitius. Natiuus, qui per ſe naſcitur, qualis in agro Cremonenſi deprehenditur. Factitius vero qui fit, fit de ea materia, quæ vim ignis omnem ſuſtinere ac pati poſſit. Quare non vnus habetur, alij enim ex pumice, alij ex oſſibus deuſtis, alij ex ſcobe ferri, alij ex colliquato in fornacibus latere, alij ex Smirillo, alij ex rebus alijs. Ego vero omnes modis omnibus expertus aptiſſime vtor, vel ferrugineo, vel lateritio. Ferrugineus fiet ſic: Accipitur Scoria, ſiue etiam ſcobes ferri, ſubtiliter delimata, purgatur, impubis pueri vrina acetoue ſemimenſtri ſpacio perfunditur. Aduritur fornacibus, teriturque pilis. Itemque id rurſus ac rurſus, dum ad eam tenuitatem perveneric, qua tactum effugiet, mox quando opus erit, humectatur aceto aquaue ſalſa.

Lateritius autem ſic. Lateres ardentiſſimis colliquati fornacibus ſimili modo teruntur, ſimili etiam modo minutiſſimus puluis factus inebriatur Conformatur ſtationibus, admoueturque prunæ, vt nihil humoris permaneat, denique perigneſcat. Quod ſi puerilem tantum vrinam ebiberit, nullo fere opus erit igni, vix pauculo calore candenſq; hoc, naturæ miraculum conſiderate infuſum metallum nō ampuleſcet. Non parum autem contuliſſe iudicabitur, antequam metalli factus fiat candelæ fumus ſubiectus, præſertim ſi res ita ſubtiliter celatæ fuerint, vt facile iniuriam pati poſſe videantur.

IVVENIS. Satis tu de his & ad nauſeam fere dixiſſe videris.

EQVES. Dicerem quidem hoc ſatis eſſe, niſi exornandus quoque nobis eſſet & finis. Conſtat autem finis perfectione, perfectio ipſa omnis perficitur, extremorum dimotione, & pulchritudinis inductione, atqui extrema, vt in cæteris rebus ſunt, exceſſus & carentia. Exceſſus ſcapello tolluntur & lima. Carentia vero medicabitur adijcione & adiunctione. Adiicione hoc modo. Terebratis crebro lateribus, inducatur, vti oportuerit, cera, creteтur deinde, mox & emiſſa cera, & Argilla decocta, infundatur ſui generis metallum. Adiunctione vero, cum adglutinamus, Sic. colliquatur vt mos eſt, fictili vaſe oricalchus, additurque ſingulis eius lib. vncia arſenici, teritur deinde in mortario æneo, qui puluis permixtus boraci, inſpergitur commiſſuris, apponiturque igni ad eliquationem. Conglutinantur plerunque æra, ſtagno & pice, induċtis

ctis ferro candenti. Pulchritudo autem omnis perfecta videbitur leuatura & coloratione. Leuatura cum delimationis aſperitatem tollimus cælo, nitoremque ſuperinducimus pumice, ſtylo calybeoúe dente, quem bronitorium vocant. Coloratione vero, cum ſuum cuique parti colorem damus. Ideoque vel iactu ipſo ex ſcientia Chymices, vel poſt iactum, hoc modo. Albus color præcipuus, argento, ſic. Deducitur argentum optimum in brachteolas tenuiſſimas, malagmaturque vino, Deinde cum aqua nitri & aluminis ferreo ſuperinducitur ſtilo, mergitur oleo feruescenti ad aſſationem, imponitur prunæ candenti. Ebullitur in aceto, ſale, lotio, tartaroque, leuaturque rurſus bronitorio. Aureus color ipſe fit præcipuus auro, eadem ratione qua & albus argento, niſi quod in oleo perfrigi non oportet. Id vero ſi temperatura caruerit ſtagnô, aliter enim res agetur, ipſorum brachteis. Fiunt & huiuſmodi colores multis alijs modis, qui quoniam nec ita perpetui, nec meliores, non curo. Croceus autem prouenict in prætextis color. Si per exterſum ſigillum candenti ſuperimponatur laminæ, quoad eum ipſum videbitur colorem contraxiſſe. Frigeſcatque paulatim. Viride ſi perhumectetur aceto ſalſo. Niger, aut ex liquidæ picis vernicatione, aut ex palearum, ſi prius emaduerit, ſuffumatione.

IVVENIS. Sed nunquid Cælaturam ipſam prætcribimus?

EQVES. Non quidem, vt eius rationes omnes explicentur, Sed vt quid ſit, cum cælaturam dicimus, intelligatur. Eſt autem Cælatura, vt vno verbo expediam, cum de plana ſuperficie exculpimus effigiunculas excauando, in quacunque id fiat materia, quæ perſiſtat eadem ſemper, neque imaginem pluſquam ex dimidio prominere videantur. Potiſſimum tamen metallica, atque argento in Scypis ad ſimilitudinem huius, quod circum ſupraque complexu terram continet caui cœli, quod à Pacuuio dictum, vti plemmyrium vndeſum à Vergilio. Sed alterum ornatu dedit appellationem huic parti, alterum obtectu, Decultationi. Species eius: Anaglyphice, quando exculpitur, vt extent imagines. Diaglyphice, quando inſculpitur ad impreſſuram. Encolaptice, quando laminæ cudendo efformantur, quæ maxime ad aurifices pertinent. Item & Toreutice, Cum vaſa, fibulas, candelabra, & eiuſmodi accendimus, Latine vt video proprie dicta politura. Nam quum noſtri à τόρνῳ rotundum feciſſent, quemadmodum ab ἅρπακτος rapacem, Et à μορφὴ *Cælatura.*

for-

formam. Cum deinde τορνεύειν vellent, non rotundare, quod ita oportebat aliam ſignificationem habere. Sed ab ipſis verticibus in quibus circumuoluitur tornus, polire dixerunt. τορεύειν ipſum reddentes, quod plerunque ad elegantiam referri ſolitum, idque & poſteriores tornare. In hac pleroſque nobiliſſimos honeſtiſſime verſatos ſcimus, nam quantum hoc quam muſcas Confectatos noſtris principibus præſtitiſſet? Item & Ἐγκαυστική, quam inuſtoriam appellabimus, quæcunque ea olim fuerit pingendi ratio cera in parietibus poſtquam nec apud Græcos ipſos Grammaticos ſatis conſtat, & iampridem exerceri deſueuit, dehinc eam intelligamus quæ ipſo tractatur Encauſto, quod Smalton vocant, vſitatiſſimam, cum videlicet argentum, æs, vitrumque pingimus, id enim Pantochromaton hoc modo. Teritur ſubtiliſſime in puluerem. Superfunditur deinde aqua, ſtiloque in pingendam partem inducitur. Poſtremo ad eliquationem aduritur. Quid vero plura? Ventum ad ſupremum eſt, Diximus de affinitate quam habeat Sculptura cum literis, Aperuimus qualis eſſe deberet Sculptor, Recenſuimus, vnde, vbi, aut qua de cauſa cœpiſſe potuerit, Declarauimus materiam Statuarum, oſtendimus quot eſſent Statuariæ ſpecies, Diximus de Symmetria, de Lineamentis, de Phyſiognomonia, de Perſpectiua, de Chimica, Efformatoria, Exornatione, poſtremo & de Cælatura, & de quibus non!

EQVES. Non Sculptoriæ modo vnius artis, ſed totius fere Statuariæ rationes explicauerim, Nempe huc tendunt, huc referuntur & reliquæ non aliter quam ſcientiæ & artes cæteræ ad ipſam philoſophiam. Plauſtice ſic. Fiunt de Argilla in eum quem diximus morem effigies, Areſcunt, ſiglina decoquuntur. Poſtremo quoniam id membratim conglutinantur colla è viua calce & albumine ouorum, continuo ſtatim inducuntur & nouiſſime colores linaceo nuceoue oliuo, quanquam, nec Pictoribus debere cœperint in Ethuria Plaſtæ, Encauſto enim deuitrant. Proplaſtice autem dicitur, cum futuri operis formam Plaſtes creta fingit, veluti cum Sculptor cera, protypus & Architectus ligno modulus, Maximo hæc olim in vſu, nihil fere moliebatur, niſi ex Proplaſtice, ex ea enim & futura depræhenduntur errata, & nullo priuſquam fiant incommodo caſtigantur. Tomice vero, ſimpliciſſima omnium ſpecies, vt quæ ipſa tantummodo ſectione Glutino & picturatione perficiatur. Glutinum autem eius Ichthiocolla, Item calx maſtice caſeuſque pari portione, ſimul omni-

Plauſtice *Tomice.*

omnibus contritis. Paradigmatice itidem, Exprimuntur creta ceraue liquenti effigies, Gypſum mox infunditur, Deinde calida aqua, vbi diſſolutum ſaponem feceris, ad marmorei nitoris gratiam inebriatur, Defectus autem Gypſo rurſus addito caſtigatur. Colaptice itidem Scalpello perficitur lima terebroque, ad nitorem poſtremo ipſum lympha & pumice. Glutinum vero ſi quid forte acciderit hoc, manſam maſticem, atque in ceræ modum perdomitam ſtatim adapplicato. Item & ſi picem, armenium, ceram admiſceto, & concalfactis frontibus admoueto.

Colaptice.

Sed quo res expeditior fiat, In Colaptice hæc obſeruanda, lapidem, dimetiri in longum ſeptempeda, perpendiculari quam diſcriminatricem appellamus, linea medietatem definiri. Ex interſecatu ſemicirculorum planum deſignari. Hinc atque inde pedali menſione corpus in latum definiri. Circino & oris & oculorum poſituram deprehendi, altero pede ſtatuto in perpendiculari, & altero ad extrema perducto.

IVVENIS. Obiter hic quæro, quiſnam abſtruſarum huiuſmodi inuentionum primus fuerit autor?

EQVES. Harum originem ſane quondam olim de Ægyptio ſacerdote Solonem accepiſſe, quidam tradunt. Plaſticen tamen ipſam Chaldæus Moſes antiquiſſimam eſt teſtatus, haud equidem inepte, cuius author Deus ipſe primus extiterit, neque vero aliter videri debet, quam optimum eum fuiſſe Plaſtam, qui hos tam admirabiliter mundos ita formauit. Tanta vero Plaſtices huius authoritas, vt eam nonnulli Sculpturæ matrem appellarint, Fertur & à Dibutade Sicyonio Corinthi adinuenta, deamantis filiolæ beneficio. Floruerunt autem in ea Prometheus ob artis excellentiam dictus, raptum de cœlo vitalem igniculum limo immiſiſſe. Rhætus, Ideochus, & qui primus inuenit ferrum fundere atque ex eo ſtatuam facere Theodorus Samij. Plaſtices etiam inuentores exiſtimati, Eucirapus, Eugrammus, Lyſiſtratus Lyſippi frater, Demophilus Gorgaſus, Calchoſtenes cuius officina ceramico vico nomen dedit, Poſſunius qui piſces finxiſſe dicitur, ita vt à veris non facile diſcerneres. Arceſilaus cuius Proplaſticen pluris aiunt veniſſe ſolitam, quam cæterorum opera. In Italia laudatiſſimus quondam Turanius Fregellanus.

Ebore nunquam ſatis elaudatus Phidias, & ſi fabulæ credimus Pigmalon. Gypſo autem ob tenue artificium, nullus. Marmore quidem innumerabiles, ſed quorum mihi

memoria potior, hic Attalus Atheniensis primus, vt putatur, in Græcia Statuarius.

IVVENIS. Conſtat initio multis antea ſeculis & templa & Statuas à Danao dedicatas, Dipœnus, Scyllis, horumque diſcipulus Dorcylidas, Mædon Dorcylidæ frater, Theocles, cum Egylo patre Lacedæmonij, Dionyſius Argiuus, Simo Æginenſis, Cleon, Sicyonius, Malas Chiu, cum Miciade filio, & Antermo nepote, Phidias ipſe Athenienſis, Alcmam, & Agoracritus diſcipuli, Ceſarides Calaber, & Bupalus, vti opinor, Pharæates templa Deorum Architectari & Statuas bonas effinxere. Fortunæ ſimulachrum Smirnæis faciens, in vertice polum, in altera manu Amalthiæ cornu ab Græcis habentem fecit. Tantum eius Deæ vim & facta declarans, quantum non ipſe Homerus intellexit, qui connumerans eam in Cereris hymno tanquam vnam filiarum Oceani, nihil præterea aliud addidit, quantum ne deinde vix Pindarus, qui alia multa in Fortunam dicens Pherepolin appellauit. Scopas, Timotheus, Bryax, Leocares, in Mauſolæo cælando æmuli, Praxiteles infinitis prope operibus. Sed potiſſimum Venere Cupidineque deamatis clariſſimis Archeſitas, Cleomenes, Mneſtratus, Eurychides, Philiſcus, Timarchides, Policarmus, Heliodorus, Lyſias, Ageſander, Polydorus, Athenodorus, Craterus, Pythodorus, Polidectes, Hermolaus, Artemon, Timomachus, cæterorumque innumera multitudo. Sed elegantiſſimo Græco Epigrammate celebratur Timomachi huius Medæa, quæ videlicet amore ſaucia, natorum ſanguine patris iniuriam vlciſcens, & ſeruare & occidere velle videbatur. Id autem opinor huiuſmodi:

Quod natos feritura ferox Medæa moratur,
Præſtitit hoc magni dextera à Timomachi.
Tardat amor facinus ſtrictum dolor incitat enſem,
Vult non vult, natos perderet ipſa ſuos.

In minimis autem operibus Myrmecides, & Callicrates admirandi, vlterius quadrigulam alis muſcæ coopertam, alterius formicarum pedes, ita ſubtiliſſime ſcalptos traditum eſt, vt vix intenta propius acie peruideri potuerint.

SENEX. Si non perſpectus mihi eſſet ex diutina hac & tantum non vmbratili conuerſatione veſter animus, morari vos, id eſt moros agere exiſtimarem, non equidem quod exiſtimem, vos ab Orco aut Saturno aut Iapeto aut alio id genus obſoletorum ac putrium deorum prognatos eſſe, quippe quos ex Pluto (id eſt diuitiis,) & Neotete (id eſt, Iuuentute) Nympha

ſpha multo omnium venuſtiſſima pariter ac feſtiuiſſima, progenitos vos eſſe, ad id quod ipſum etiam humores veſtri feſtiui admodum præ ſe ferunt, auguror. Quibus tamen etiam hoc, ſit venia dictis addo, videri vos duarum lepidiſſimarum equidem, ſed ingloriarum nympharum, quarum vna Methe, id eſt, temulentia, altera Apædia, id eſt, imperitia dicitur, mammis alitos eſſe atque enutritos. Videre mihi inſuper quanquam caligantibus oculis videor, habere eaſdem quas iam dixi Nymphas in conſortio ſuo, imo quaſi pediſſequas, in veſtrum interim non emolumentum ſed demolimentum, alias inſuper Nymphas: φιλαυτίαν nimirum (id eſt, amorem ſui,) quæ ſublatis ſupercilijs ſtultam atque inconſultam quandam arrogantiam præfert: κολακείαν (id eſt, adulationem,) quam velut arridentibus oculis ac plaudentem manibus videre mihi videor: ſemiſomnem inſuper ac dormitanti ſimilem, λήθην, (id eſt, obliuionem:) quinetiam cubito vtroque innitentem, conſertiſque manibus μισοπονίαν, (id eſt, odium laborum:) ſed & roſeo reuinctam ſerto, & vndique vnguentis delibutam ἡδονὴν, (id eſt voluptatem:) præterea lubricis & huc atque illuc errantibus ἄνοιαν, (id eſt, amentiam:) nitida quinetiã cute probeque ſaginato corpore incedentem τρυφὴν, (id eſt, delitiã:) quibus inſuper adnixos videre videor duos deos, haud ſane honorificos; κῶμον [illegible]rum, quem Græci olim fecerunt deum temulentiæ & intemperantiæ, ac iuuenilium compotationum: & νήγρετον ὕπνον, id eſt, altiſſimum ſomnum, ſic enim vocat Homerus Somnum, vnde quis expergefieri non poſſit. Hoc nimirum eſt genus veſtrum, hæc educatio, hi comites; vtrobiq; egregia ſcilicet.

IVVENIS. Quid ſibi vult Senior cum ſemiuiro hoc comitatu? Stoicus hic ſe dijs proximum autumat. At enim etiamſi barbam, inſigne nimirum illud ſapientiæ, vel cum hircis habeat commune, & vel ſexcenties agat ſtoicum, nos tamen frontem explicabimus libere, hoc tamen adhibito moderamine, vt neminem læſiſſe gloriari honeſte queamus. Et ſane, quis non iſtiuſmodi hominem ceu portentum ac ſpectrum fugitet, horreatque, qui ceu lynceus quiſpiam nihil nõ perſpiciat, nihil ignoſcat, qui ſolus ſeipſo ſit contentus, ſolus ſapiens, breuiter omnia ſolus, ſed ſuo ipſius iudicio, qui nullum moretur amicum, ipſe amicus nemini, qui dijs quoque ipſis non dubitet mandare laqueum, qui quicquid in omni vita geritur, velut inſanum damnet rideatque? Atq; huiuſmodi animal eſt omnibus ſcilicet numeris abſolutus hic noſter Senex. Quæſo ſi res agatur ſuffragijs,

quæ ciuitas iſtiuſmodi magiſtratum ſibi velit? aut quis exercitus talem optet ducem? imo quæ mulier id genus maritum? quis conuiuator eiuſmodi conuiuam? quis ſeruus talibus moribus dominum vel optet vel ferat?

EQVES. Condona aliquid Senectuti, & audi Senem, iuuenis, qui olim Senex identidem à iuuenibus audiri expetis. Non enim, quod eſt in prouerbio, temere latrat canis vetulus. Amico nunc Senem valere iubebimus.

Bene valere te iubemus venerande Senex, & ſi quid temere atque inconſulte à nobis dictum fuit, noſtrę imperitiæ vt id adſcribas, rogamus.

SENEX. Identidem & vos valere, non tamen μακρὰν χαίρειν, id eſt, longum valere, iubeo; craſtino namque denuo conueniamus, & quæ dicere iam non patitur mora, craſtina compenſabit hora.

IVVENIS. Viue & vale. Anna & perenna. Vtrobique feliciter.

FINIS primi Colloquij.

COLLOQVIVM SECVNDVM,

In qua præludium quaſi Gigantomiomachiæ aduerſus omnium ſtatuum ac conditionum homines inſtruitur.

SENEX. EQVES. IVVENIS.

PRæuia fœcũda ſimul ac facunda ſalutatione, votoq; ſenili integerrimi indole ſimul ac reapſe viri, quum ꝓbè meminerim, me heſterno die amarulenta quædam, quibus dira aliqua videbatur ineſſe acrimonia, in medium protuliſſe, iiſque vos non leuiter affectos atq; offenſos fuiſſe, haud leuibus indiciis animaduerterim; proinde, vt ſi quid de me ſiniſtri animo concepiſtis, comprimis vobis eximerem, duxi operæ pretium. Admonere vos volui, non mordere: prodeſſe, nõ lædere; conſulere veſtris moribus, non officere. Cur namque notarim carbone eos, quibus ſuum candorem, etiamſi promereantur, non poſſim reſtituere? Homerus ſanè ſuum in Therſitem odium moleſta carminis hypotypoſi vltus eſt. Plato quàm multos nominatim perſtrinxit ſuis dialogis? Cui pepercit Ariſtoteles, qui nec Platoni pepercit, nec Socrati? Habuit ſuum Demoſthenes Aeſchinem, in quem ſtylo debacchatetur. Habuit ſuum Cicero Piſonem, habuit Vatimum, habuit Saluſtium, habuit Antonium. Quam multos nominatim & ridet & carpit Seneca? Quod ſi recentiores expendas, & Petrarchæ in medicum quendam, & Laurentio in Pogium, & Politiano in Scalam ſtilus teli vice fuit. Quem ex omnibus mihi dabitis tam mo-

deſtum, qui non amarulentius in aliquē ſcripſerit? Ipſe Hieronymus, vir tam pius & grauis, aliquoties non ſibi temperat, quin in Vigilantium incandeſcat acrius, in Iouinianum inſultet immoderatius, in Rufinum amarulentius inuehatur. Semperque hic eruditis mos fuit, quicquid dolet aut delectat, chartis ceu fidis ſodalibus committere, in harum ſinum omne pectoris æſtus effundere. Imò deprehendatis quoſdam, non alio conſilio libros ſcribendos ſuſcipere, quam vt in his obiter animi ſui motus infulciant, atque hac ratione tranſmittant in poſteros. Abſit autem à me, vt eodem exemplo auriculas veſtras mordaci rodere vero mecũ conſtituerim. Sanè ſi putatis, nullo pacto liberè loquendum eſſe, nec vnquam promēdam eſſe veritatem, niſi cum non offendit, cur medici Pharmacis medentur amaris, & ἱερὰν πικρὰν, inter laudatiſſima ponunt remedia? Quod ſi illi faciunt, corporum medentes vitiis, quanto magis par eſt nos idem facere in ſanandis animorum morbis? Obſecra, inquit Paulus, argue, increpa, opportune, importune.

EQVES. Noli quæſo, venerande ſenex, eo nomine eſſe ſolicitus. Tantum enim abeſt, vt quicquam ſermone tuo exquiſitiſſimo, ſententiiſque verborum atque antiquitatum refertiſſimo fuerimus offenſi, vt poſt hac nobis cęperis multo eſſe charior, cum ſemper fueris chariſſimus: adeo ſyncerè conſulis, mones amicè, obiurgas amanter.

IVVENIS. Habet nimirum hoc Chriſtiana charitas, vt etiam cum ſæuit maxime, tamen genuinæ ſuæ dulcedinis guſtum obtineat. Hinc verè dictum eſt à D. Paulo, charitatem non peccare; ſiue quid adulatur, ſtudet prodeſſe, ſiue ſtomachatur, non aliud agit. Interim non parum me mordebat, quod in mororum, id eſt, ſtultorum, ordinem nos referre velle videbatur.

SENEX. Ringeris, an rides, num res tibi mira videtur? Catonem Cēſorium agere vis? Nimium ſapere, deſipere plerunque eſt. An non ad voluptatem à natura fuiſti procliuis, & adhucdum es? Voluptas quid aliud eſt, quam vanitas; vanitas quid aliud eſt quam ſtultitia. Qui ergo voluptuoſus eſt, idem & vanus; qui vanus, idem & ſtultus. Nũc accommodo. Nimirum egregie Stoicum agis. Is namque voluptatem, id eſt, ſtultitiam aſpernatur, milleque conuitiis eam apud vulgꝰ dilacerat, nimirum, vt deterritis aliis ipſe prolixius fruatur. Age verò propius ad rem accedemus; nimirum Infantiam, Adoleſcentiam, Virilem ætatem, ipſam quinetiam Senectutem, atque annon ſingulis hiſce ætatibus aliquid inhęreat ſtultitiæ, conſiderabimus.

IVVENIS. Moriones ſanè, ſtulti, fatui ac blitei, & ſi quæ ſunt nomi-

nomi-

minum pulcherrima ſcil. cognomina, paſſim per orbem ſunt diſperſi.

Bliteí. SENEX. Ne quem moretur vocabulum Bliteí, ſciendum hoc verbo inſigniter delectatum fuiſſe Octauium Auguſtum. Bliton autem Græcè betan ſonat; ea herba, quoniam inſipida eſt ac diluta, fatua vocatur apud Martialem:

Vt ſapiant fatuæ fabrorum prandia beta,
O quàm ſæpe coquus vina piperque petet.

Sed nũc quæ dicturus es de hoc hominũ genere ridiculo proſequere.

Moriones. IVVENIS. Huiuſmodi Moriones, inquam, optimã videntur aſſecuti primo intuitu, vitæ conditionẽ. Principio namq; omni mortis metu, non mediocri certè malo. Vacant conſcientiæ carnificina, nõ territantur manium fabulamentis, nõ expaueſcunt ſpectris aut lemurib*, non torquentur metu impendentium malorum, non ſpe futurorum bonorum diſtenduntur. In ſumma non dilacerãtur millibus curarum, quibus hæc vita obnoxia eſt, nõ pudeſcunt, non verentur, non ambiunt, non inuident, non amant. Denique ſi propius etiam ad brutorum animantium inſipientiam acceſſerint, ne peccant quidem, auctoribus Theologis. Adde huc, quod non ſolum ipſi perpetuo gaudent, ludunt, cantillant, rident verumetiam cæteris omnibus, quocunque ſeſe verterint, voluptatem, iocum, luſum, riſumque adferunt, velut in hoc ipſum à deorum indulgentia dati, vt humanæ vitæ triſtitiã exhilararent. Vnde fit vt quum aliis, in alios varius ſit affectus, hos omnes ex æquo tanquam ſuos agnoſcant, expetant, paſcant, foueant, complectantur, ſuccurrant. Si quid acciderit, impune permittant, quicquid vel dixerint vel fecerint. Adeoque nemo illis nocere cupit, vt feræ quoque belluæ ab illorum iniuria temperent, ſenſu quodam innocentiæ naturali.

EQVES. Mirum hoc eſt, nec facile quis crederet, niſi id experientia conſtaret, in canibus præſertim, qui in pueros & natura fatuos non facile ſæuiunt, agnoſcere namque videntur naturæ ſimplicitatem.

IVVENIS. Quid quod ſummis etiam Regibus adeo ſunt in deliciis Moriones vt nonnulli ſine his, neque prandere, nec ingredi, nec omnimo vel horam durare poſſint. Neque vero paulo interuallo, hos bliteos ſuis illis tetricis ſophis anteponunt, quos tamen ipſos aliquot honoris gratia ſolent alere.

EQVES. Cur autem anteponant, nec obſcurum arbitror, nec mirum videri debet, cum ſapientes illi nil niſi triſte ſoleant adferre principibus, ſuaque doctrina freti, non vereantur aliquoties auri-

auriculas teneras mordaci radere vero. Moriones autem id præſtant, quod vnum vndecunque principes modis omnibus aucupantur iocos, riſus, cachinnos, delitias. Iam accipite & hanc non aſpernandam ſtultorum dotem, quod ſoli, ſimplices ac veridici ſunt.

SENEX. Fatuus quicquid habet in pectore, id & vultu præ ſe fert & oratione promit. At ſapientum ſunt duæ illæ linguæ (vt meminit Euripides) quarum altera verum dicunt, altera, quæ pro tempore iudicarint opportuna. Horum eſt nigrum in candida vertere, & eodem ex ore frigidum pariter & calidum efflare, longeque aliud conditum habere in pectore, aliud ſermone fingere.

IVVENIS. Alludis, opinor, ad apologũ Aniani fabulatoris huiuſmodi: Satyrus quidã, quũ hyberno gelu vehemẽter ſæuiente, à ruſtico quopiã in hoſpitiũ induct⁹ eſſet, videns hominem inflare in manus ori admotas, rogauit, cur ita faceret. Is reſpõdit, vt manus frigidas, anhelit⁹ tepore calefaceret. Deinde mẽſa appoſita cum in pultem feruentẽ rurſus inflaret, admirat⁹ Satyrus ſciſcitatus eſt, cur id faceret? Vt pultem, inquit, refrigerẽ. Tum Satyrus ſurgẽs: Quid audio, inquit, tune ex eodem ore calidũ & frigidũ educis? nõ mihi cum talib⁹ habendum cõmercium eſt, idque dicens abiit. Sed proſequere ſermonem inſtitutum.

SENEX. In tanta, quam cernimus felicitate, hoc nomine Principes mihi videntur infeliciſſimi, quod deeſt à quo verũ audiant, & aſſentatores pro amicis habere coguntur.

EQVES. An neſcitis abhorrere plerumq; à veritate Principum aures? & hac ipſa de cauſa ſapiẽtes fugitant, quod vereantur, ne quis forte liberior exiſtat, qui vera magis quam iucunda loqui audeat.

IVVENIS. Ita quidem res habet, inuiſa Regibus plerunque eſt veritas. Sed tamen hoc ipſum mire in fatuis vſu venit, vt nõ vera modo, verumetiã aperta conuicia cum voluptate audiantur. Adeo vt idem dictum, quod ſi à ſapientis ore proficiſcatur, capitale fuerat futurum, à Morione profectum, incredibilem voluptatem pariat. Habet enim genuinam quandam delectandi vim veritas, ſi nihil accedat quod offendat. Verum id quidem ſolis fatuis dij dederunt. Iiſdem ferme de cauſis, hoc hominum genere, mulieres gaudere ſolent impenſius, vtpote ad voluptatem & nugas natura propenſiores. Proinde quicquid cum huiuſmodi factitarint, etiam ſi nonnunquam ſerium nimis, illæ tamen iocum ac luſum interpretantur, vt eſt ingenioſus, præſertim ad prætexanda commiſſa ſua, ſexus ille. Demum autem Morione iſti, multa cum iucunditate peracta vita, nullo mortis vel metu, vel ſenſu, recta in cam-

pos

pos elyſios demigrant, illic pias atque otioſas animas luſibus ſuis oblectaturi.

Fatui & ſapientis diuerſitas.

EQVES. Quam miſera è conuerſo eſt artium humaniorum ſtudioſi conditio. Fingite, quod Morionum vitæ opponamus exemplar ſapientię, hominem qui totam pueritiam atque adoleſcentiam, in perdiſcendis diſciplinis contriuerit, & ſuauiſſimam vitę partem, perpetuis vigiliis, curis, ſudoribus perdiderit, ne in reliqua quidem omni vita, vel tãtillum voluptatis deguſtarit, ſemper parcus, pauper, triſtis, tetricus, ſibiipſi iniquus ac durus, aliis grauis & inuiſus, pallore, macie, valitudine, lippitudine confectus, ſenio canicieque multo ante diem contracta, ante diem fugiens è vita.

SENEX. Apud illos certe, qui intentiſſime meditantur, oportet vehementem ſpirituum fieri agitationem, quam calor cõſequitur, caloris autem comes eſt reſolutio, cõſumptio, & exiccatio. Spiritus autẽ ſic reſolutos, oportet ex optimo ſãguine inſtaurari, vnde ſanguinem paucum euadere neceſſe eſt, ſic ſubinde in ſpiritus reſolutum. Ad hæc in ſtudioſis, propter cerebri agitationem, & ex agitatione ortum calorem, oportet ex corde ſpiritus copioſos, qui fiunt animales, aſcendere, ſiquidem vbi agitatio, eo ſpiritus & calor vergunt, ſpiritus igitur naturales, qui in ventriculo & iocinore concoctioni ſeruiunt, diminuuntur, quib. diminutis ſanguis & paucus & pituoſus generatur. Quocirca ſtudioſos neceſſum eſt, ὀλιγαίμους euadere, τὰ δ' ὀλίγαιμα ἤδη, vt ait Ariſtoteles, in ſecundo libro de partib⁹ animalium, προοδοποιεῖται πρὸς τὴν φθορὰν, ἡ γὰρ φθορὰ ὀλιγαιμία ἐστί. καὶ τὸ ὀλίγον παθητικὸν καὶ ὑπὸ ψυχροῦ τοῦ τυχόντος, καὶ ὑπὸ θερμοῦ. id eſt, *Quæ pauci ſanguinis ſunt, iam faciunt viam ad corruptionem. Corruptio enim paucitas ſanguinis eſt, & quod paucum eſt, facile patitur, à quouis & frigore & calore.* Galenus quoque autor eſt, eos qui paucum habent ſanguinem, ſenium accelerare.

IVVENIS. Inſanire propemodum nos exiſtimet quiſpiam, ſi morionum nos cauſas agere inaudierit.

Inſania duplex.

EQVES. Non eſt iſthæc inſania, verè ſic dicta. Et ſanè, ſi, quod intendis, Dialecticus videri cupis, inſaniam ab inſania, ſi modò ſanus videri voles, vt diſtinguas neceſſe eſt. Eſt enim duplex inſaniæ genus; alterum quod ab inferis diræ vltrices ſubmittunt, quoties immiſſis anguibus, vel ardorem belli, vel inexplebilem auri ſitim, vel dedecoroſum ac nefarium amorem, vel parricidium, inceſtum, ſacrilegium, aut aliam id genus peſtem aliquam in pectora mortalium inuehunt, ſiue cum nocentem & conſcium animum furiis ac terriculorum facibus agunt. Eſt alterum huic longe diſſimile.

mile. Id accidit quoties iucundus quidam mentis error ſimul & anxiis illis curis animum liberat, & multiiuga voluptate delibutum reddit. Atque hunc mentis errorem, ceu magnum quoddam deorum munus, ad Atticum ſcribens optat Cicero. Nimirum quo tantorum malorum ſenſu carere poſſet, neque perperam ſenſit Argiuus ille, qui hactenus inſaniebat, vt totos dies ſolus deſideret in theatro, ridens, plaudens, gaudens, quod crederet illic miras agi tragœdias, cum nihil omnino ageretur. Cum in cæteris vitæ officiis probe ſeſe gereret, iucundus amicis.

Comis in vxorem, poſſetque ignoſcere ſeruis.

Et ſigno læſa non inſanire lagena,

Hunc vbi cognatorum opera datis pharmacis morbo leuaſſet, ſibique iam totus eſſet redditus, hunc in modum cum amicis expoſtulans,

Pol me occidiſtis amici

Non ſeruaſtis ait, cui ſic extorta voluptas

Et demptus per vim mentis gratiſſimus error.

Et merito quidem, errabant enim ipſi atque elleboro magis opus habebant, qui tam fœlicem ac iucundam inſaniam, ceu malum aliquod exiſtimarent potionibus expellendam.

IVVENIS. Noli mihi impropera re Philoſophiā. Philoſophus ſum, id eſt, ſapientiæ ſtudioſus, & tametſi ad apicem ſapientiam me nondum aſcendiſſe ingenue fateor, tamen me non omnino Philoſophiæ rudem eſſe noris. Probe ego noui, inſaniam ab inſania eſſe diſtinguendam. Sed & illud noui, non omnem inſaniam eſſe calamitoſam; alioquin non dixiſſet Homerus:

An me ludit amabilis inſania.

Neque Plato Poëtarum, vatum & amantium inſaniam inter præcipua vitæ bona collocaſſet. Hinc Socrates *in Phædro Platonis*, amorem laudaturus, negansque amorem eſſe vituperandum, quod inſaniæ ſiue furoris eſſet ſpecies, quadruplicem facit furorem, quorum vnumquēq; fœlicem videri vult. Primum vatum, quem μαντικὴν μανίαν, quaſi μανικὴν, interpoſitione ταῦ vocari ait. Secūdum, myſterialem, qui per expiationes propiciationesq;, morborum remedia inuenit. Tertium, poeticū, de quo dicit, ὅς δ' ἄνζυ μουσῶν μανίας ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηλς, πεισθεὶς ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανῶς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε, καὶ ἡ ποίησις, ὑπὸ τῆς τῶν μαινομένων, ἡ τοῦ σωφρονοῦντος ἠφανίσθη. id eſt, *Qui autem ſine muſarum furore, ad poeticas fores ſe confert, perſuaſus quod arte ſufficienter poeta fit euaſurus, imperfectus quidem tum ipſe, tum poeſis eius, præ illa, quæ ex furore procedit, quæ quidem hæc, quæ à prudētia fit, euaneſcit.* Quartum furorem facit amatorium, qui

ἀπ' αὐτῆς ῥώμης ἐπωνυμίαν λαβὼν ἔρως ἐκλήθη. id eſt, *Qui ab ipſo robore, cognomen ſumens, amor quaſi robur dicitur.*

SENEX. Iuuenes, aurigante feruore iuuenili, facile excandeſcunt atque irritantur. Itaque quod ab initio huiuſce noſtri ſermonis à me factitatum meminiſtis, moderandus eſt vtrinq; ſermo noſter, ne quem data opera offendamus; ſed ita tamẽ quilibet etiam attemperabit mentẽ ſuam, vt ſi ꝙ alterutri excidat verbũ aliquod, ne id, inaudito interprete, ſubito in peiorem trahat partem. Quilibet enim, quod etiam ſcholæ triuiales loquuntur, eſt verborum ſuorum interpres. Nunc ad rem. Dixi paulò ante, infantiam, adoleſcentiam, virilem ætatem, ipſam quinetiam ſenectutem aliquid participare de ſtultitia. Imò, quod magis eſt, cùm Iſocrate dico: *Nullum magnum ingenium eſt ſine mixtura dementiæ.* Imò quod maximum eſt: Vbiuis ſeſe exerit ſtultitia, vſq; adeò vt qui ſtultorum omnia eſſe plena dixit, haud inconcinne dixerit.

IVVENIS. Dura ſunt, imò duriſſima quæ dixiſti, ſubeunda tibi erit Gigantomiomachia, aduerſus omnium artium & ſcientiarum propugnatores robuſtiſſimos, cæteros iam libens ſilentio prætereo, habebis namque quibus cum ad rauim vſq; decertes. Sed facias id tuomet periculo. Nos interim otioſi erimus auditores.

SENEX. De hominum, quas dixi, ætatibus, primum loquar. Quid quæſo eſt illud in infantibus, quod ſic exoſculamur, ſic amplectimur, ſic fouemus, vt hoſtis etiam huic ætati ferat opem, niſi ſtulticiæ lenocinium, quod data opera prudens natura, recens natis adiunxit, vt aliquo voluptatis velut auctoramento, & educantium labores delinire queant, & tuentium fauores ablandiantur? *Infantia ſtultitia.* Deinde quæ ſuccedit huic adoleſcentia, quam eſt apud omnes gratioſa, quam candide fouent omnes, quam ſtudioſe prouehunt, quam officioſe porrigunt auxiliares manus? Hinc eſt ꝙ huic ætati tam facile etiam ignoſcitur, qui nimirum ſtultitiæ quaſi beneficio quam minimum ſapere iudicatur: Ac tametſi progreſſu temporis, grandiores facti, per rerum vſum ad diſciplinas virile quiddã ſapere occipiunt, tandem tamen, omnibus reb⁹ tentatis, & vix decima earum parte feliciter peracta, cũ Cicerone clamãt ac queruntur: *O me nunquam ſatis ſapientem!* Hinc pedetentim defloreſcit formæ nitor, langueſcit alacritas, frigeſcit lepos, labaſcit vigor, donec tãdem ſuccedat τὸ χαλεπὸν γῆρας, id eſt, moleſta ſenectus, quæ ad pueritiam, id eſt, ſtultitiam denuo reuocat. Vnde non abs re vulgus eos παλίμπαιδας, id eſt, iterum puellos appellare conſueuit.

IVVENIS. At iſti delirare dicuntur, id eſt, ad inſtar liræ, ea quæ

dicunt, ſæpius repetere atque continuare, id quod euenit ex ægritudine memoriæ.

SENEX. Rectè; ſed iſtuc ipſum eſt repueraſcere. An vero aliud eſt, puerum eſſe, quam delirare. An non hoc vel maximè delectat in ea ætate, quod nihil ſapit. Quis enim non ceu portentum oderit atque execretur, puerum virili ſapientia. Cui aſtipulatur & vulgò iactatum prouerbium: *Odi puerulum præcoci ſapientia.* His addo, quod pueris quoque gaudeant impenſius ſenes, ac pueri viciſſim ſenibus delectantur, ὡς ἀεὶ τὸν ὅμοιον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον. id eſt, *Et ſemper ſimilem ducit Deus ad ſimilem.* Quid enim inter illos non conuenit, niſi quod hic rugioſior, & plures nummerat natales? Alioqui capillorum albor, os edentulum, corporis motus minor, lactis appetentia, balbuties, garrulitas, ineptia, obliuio, incogitãtia, breuiter omnia cętera congruunt. quoque magis accedunt ad ſenectam, hoc propius ad pueritiæ ſimilitudinem redeunt, donec puerorum ritu, citra vitæ tædium, citra mortis ſenſum, emigrant è vita.

EQVES. Fertur communi eoque feſtiuo dicterio, ſtultitiã vnam eſſe rem quæ & iuuentam alioqui fugaciſſimam remoretur, & improbam ſenectam procul arceat, vt non temere de Brabantis populari ſermone iactatum ſit: Cum cæteris hominibus ætas prudentiã adferre ſoleat, hos quo propius ad ſenectam accedunt, hoc magis atque magis ſtulteſcere. Atqui hac gente non eſt alia vel ad communem vitæ conſuetudinem feſtiuior, vel quæ minus ſentiat ſenectutis triſticiam. His quidem, vt loco ita & vitæ inſtituto confines ſunt Hollandi.

Brabantini.

EQVES. Nulla ferè natio nec humanior eſt, nec melior, quam Brabantorum; verum ob perpetuam hilaritatem, quam illis nec ſenecta adimit, ioco vulgari dicitur: Brabantus quo natu grandior, hoc ſtultior. Sed & Hollandi gens laudatiſſima eſt, tamen ob ingenij priſcam illam ſimplicitatem & mores minimè fucatos, vulgò ſtulti ab antiquis vocati fuerunt, prouerbio iocoſo. Sed quid hæc particularia ad hominum vniuerſitatem. quã per illud *Stultorum omnia plena,* paulò ſupra innuebas?

SENEX. Ex ipſa hominis natura, quæ dixi, euincam. Ipſa natura parens & humani generis opifex, illud præcipuè cauit, ne vſquã deeſſet ſtultitię condimentum. Etenim quũ Stoicis definitorib⁹, nihil aliud ſit ſapientia, quam duci ratione; cõtrà ſtultitia, affectum arbitrio moueri, ne planè triſtis ac tetrica eſſet hominum vita; Natura, quanto pl⁹ indidit affectuum quã rationis? Nimirũ quaſi ſemivnciam cõpares ad aſſem. Præterea rationem in anguſtum capitis angulũ relegauit, reliquum

Stultitia homini naturalis.

quum omne corpus perturbationibus reliquit. Deinde duos quaſi tyrannos violentiſſimos vni oppoſuit. Iram quæ præcordiorum arcem obtinet, atque adeo ipſum vitæ fontem cor, & concupiſcentiam, quæ ad imam vſque pubem latiſſime imperium occupat. Aduerſus has geminas copias, quantum valeat ratio, communis hominum vita ſatis declarat. Cum illa, quod vnum licet, vel vſq; ad rauim reclamat, & honeſti dictat formulas, verum hi laqueum regi ſuo remittunt, multoq; odioſius obſtrepunt, donec iam is quoque feſſus, vltro cedit ac manus dat.

EQVES. Tu admodum ſubtiliter cauſam ſtultitiæ agis, ego craſſiore Minerua, quæque magis incurrat in oculos atque intellectus hominum, proponam, exemplo ducto à viro & fœmina, cuius hoc eſto axioma: Si qua forte fœmina ſapiens haberi velit, ea nihil aliud agit, quam vt bis ſtulta ſit. Atque equidem ſi rem recta reputent via, hoc ipſum ſtulticiæ debent acceptum ferre, quod ſint viris multis calculis fortunatiores. Primum formæ gratia, quam illi marito rebus omnibus anteponunt, cuiuſque præſidio in tyrannos etiam ipſos tyrannidem exercent, alioqui vndenam horror ille formæ, hiſpida cutis, & barbæ ſylua, plane ſenile quiddam in viro, niſi à prudentiæ vitio; cum fœminarum ſemper læ-

Fœminarum ſtultitia.

ues malæ, vox ſemper exilis, cutis mollicula, quaſi perpetuam quandam adoleſcentiam imitentur? Deinde quid aliud optant in hac vita, quam vt viris quam maxime placeant? Nonne huc ſpectant tot cultus, tot fuci, tot balnea, tot compturæ, tot vnguenta, tot odores, tot componendi, pingendi, fingendique vultus artes? Iam num alio nomine viris magis commendatæ ſunt quam ſtultitiæ? Quid enim eſt quod illi mulieribus non permittunt? At quo tandem auctoramento, niſi voluptatis? Delectant autem non alia re, quam ſtulticia. Id eſſe verum, non ibit inficias quiſquis ſecum reputarit, quas vir cum muliere dicat ineptias, quas agat nugas, quoties fœminea voluptate decreuerit vti.

IVVENIS. Deum immortalem, quæ non diuortia, aut etiam diuortijs deteriora paſſim acciderent, niſi viri fœminæque domeſtica conſuetudo, per adulationem, per iocum, per facilitatem, errorem, diſſimulationem, fulciretur, aleretur que? Pape, quam pauca coirent matrimonia, ſi ſponſus prudenter exquireret, quos luſus delicata illa, ſicuti videtur, ac pudens virguncula, iam multo ante nuptias luſerit? Tum quanto pauciora cohærerent inita, niſi plurima vxorum facta, per viri vel negligentiam, vel ſtuporem laterent? Atque hæc quidem merito ſtultitiæ tribu-

untur, verum ea interim præſtat, vt marito iucunda ſit vxor, vxori iucũdus maritus, vt tranquilla domus, vt maneat affinitas.

Belli cauſa, ſtultitia. EQVES. Belle loqueris, ſed non bella crepas. Sed enim, dic obſecro. An non omnium laudatorum facinorum ſeges ac fons eſt bellum? Porro quid ſtultius quam ob cauſas neſcio quas, certamen eiuſmodi ſuſcipere, vnde pars vtraque ſemper plus aufert incommodi quam boni? Nam eorum qui cadunt veluti Megarenſium οὐδεὶς λόγος, id eſt, nulla ratio, deinde cum iam vtrinque conſtitere ferratæ acies, & rauco crepuerunt cornua cantu, quis oro ſapientum iſtorum vſus? Qui ſtudijs exhauſti, vix tenui frigidoque ſanguine ſpiritum ducunt. Craſſis ac pinguibus opus eſt, quibus quam plurimum adſit audaciæ, mentis quam minimum, niſi ſi quis Demoſthenem militem malit, qui Archilochi ſecutus conſilium, vix conſpectis hoſtibus, abiecto clypeo fugit, tam ignauus miles, quam orator ſapiens.

IVVENIS. Concinne admodum loqueris ex Ariſtotelis ſententia, quippe qui putat, eos qui minime valent ingenio, plus pollere audacia. Nam craſſus ſanguis, quo abundant robuſti, vt robur auget, ita ingenium craſſum efficit. Contra ſanguis tenuis, ex quo ſpiritus tenues exhalant, vt corpuſculum imbecillum & meticuloſum, ita ingenium acutum timidumque efficit. Demoſthenem quem allegaſti, quod attinet, is abiecto clypeo fugit, vnde Rhipſaſpis dictus, vt Plutarchus in eius vita memorat. Archilochum Poëtam quod attinet, hunc Lacedæmonij finibus ſuis excedere coëgerunt, quod in Epigrammate quodam gloriatus eſſet, ſe clypeum abieciſſe, quaſi id conſultius ſit quam mori in pugna. Videatẽ deſuper Plutarchus in Apophthegmatis Laconicis, & Prouerbium, in Chiliadibus: *Abiecit haſtam.*

EQVES. Præclara nimirum, ſi diis placet eſt illa Platonis ſententia, beatas tum demum fore reſpublicas, ſi aut imperent philoſophi, aut ſi philoſophantur Imperatores. Conſulite hiſtoricos, reperietis omnino, nullos reipublicæ peſtilentiores fuiſſe principes quam ſi quando in philoſophaſtrum aliquem, aut literis addictum inciderint imperium.

SENEX. Serio iſthæc à vobis dici minime ſuſpicor. Ne qua tamen ſiniſtri aliquid ſuſpicandi anſa ſubſit, ad alia potius tranſeundum, quam hiſce odioſis inhærendum cenſeo. Vt enim nihil eſt ſtultius præpoſtera ſapientia, ita peruerſa prudentia nihil impudentius.

EQVES. Ita nimirum compa-

tarum

ratum eſt in vita humana, vt ſæpenumero, qui ſapere ſibi admodum videntur, maxime deſipiant. Quæ quidem deſipientia, apud eos nimirum, qui ſeſe ſapientiæ ſtudio dediderunt, cum cæteris in rebus, tum præcipue in liberis propagandis plerumque ſeſe exerit, qua quidem in re hoc hominum genus ſolet eſſe infeliciſſimum. De Cicerone Oratore ſapientiſſimo teſtatur Seneca, quod habuerit filium temulentum, ignauum, moroſum, nulla in re ſimilem patri, niſi in feſtiuitate. Et de Socrate ſcribit Gellius, quod habuerit liberos matri ſimiliores quam patri. Habuit autem Socrates vxorem moroſam & rixoſam.

Ad conuiuium adhibe ſapientem, aut triſti ſilentio, aut moleſtis quæſtiunculis obturbabit. Ad chorum aduoca, camelum ſaltare dices. Ad publicos ludos trahe, ipſo vultu, populi voluptatibus obſtabit, & cogetur è theatro migrare ſapiens Cato, quandoquidem ſupercilium non poteſt ponere; In colloquium inciderit, repente lupus in fabula. Si quid emendum, ſi contrahendum, breuitèr ſi quid eorum agendum ſine quibus hæc quotidiana vita tranſigi non poteſt, ſtipitem dicas ſapientem iſtum, non hominem, vſque adeo nec ſibi, neque patriæ, neque ſuis vſque vſui eſſe poteſt,

Philoſophi rerum communiũ ſunt imperiti.

propterea quod communium rerum ſit imperitus, & à populari opinione, vulgaribuſque inſtitutis longe lateque diſcrepet. Qua quidem ex re, odium quoque conſequatur neceſſum eſt, nimirum ob tantam vitæ atque animorum diſſimilitudinem. Interim, quod à me dictum eſt, diuerſi omnino ingenij ac morum progenerant liberos, ipſo quaſi naturæ luſu cuius alioquin ductu ſimile ſibi generat ſimile.

SENEX. Hoc ipſum eſt quaſi naturæ priuilegium. Sane ſi quis hiſtrionibus in ſcœna fabulam agentibus, perſonas detrahere conetur, ac ſpectatoribus veras natiuaſque facies oſtendere, nonne is fabulam omnem peruerterit, dignuſque habeatur, quem omnes è theatro veluti lymphatum, ſaxis eiiciant? Exorietur autem repente noua rerum ſpecies, vt qui modo mulier, nunc vir, qui modo iuuenis, mox ſenex, qui paulo ante rex, ſubito Dama, qui modo Deus, repente homunculus appareat. Verum eum errorem tollere, eſt fabulam omnem perturbare. Illud ipſum figmentum & fucus eſt, quod ſpectatorum oculos detinet. Porro mortalium vita omnis, quid aliud eſt, quam fabula quæpiam? in qua alij aliis obtecti perſonis, procedunt, aguntque ſuas quiſque partes, donec choragus educat è proſcœnio, qui

ſæpe

ſæpe tamen eundem diuerſo cultu prodire iubet, vt qui modo regem purpuratum egerat, nunc ſeruulum pannoſum gerat. Adumbrata quidem omnia, ſed hæc fabula non aliter agitur. Hic ſi mihi ſapiens aliquis cœlo delapſus, ſubito exoriatur, clamitetque hunc, quem omnes vt deum ac dominum ſuſpiciunt, nec hominem eſſe, quod pecudum ritu ducatur affectibus, ſeruum eſſe infimum, quod tam multis tamque fœdis dominis ſponte ſeruiat. Rurſum alium qui parentem extinctum luget, ridere iubeat, quod iam demum ille viuere cœperit, cum alioqui vita hæc nihil aliud ſit quam mors quædam. Porro alium ſtemmatis gloriantem, ignobilem ac nothum appellet, quod à virtute longe abſit, quæ ſola nobilitatis ſit fons, adque eundem modum de cæteris omnib. loquatur, quæſo quid is aliud egerit, niſi vt demens, ac furioſus omnibus eſſe videatur?

IVVENIS. Tu ex tuomet vitam humanam metiris ingenio, dum tanquam in Comædia perſonatos inducis homines, qui ſubinde alias atque alias perſonas induunt. Videmus paſſim ſenes, quibus iam ne ſpecies quidem hominis ſupereſt, balbos, deliros, edentulos, canos, caluos, vel vt magis Ariſtophanicis eos deſcribam verbis ῥυπῶντας κυφοὺς ἀθλίους ῥυσοὺς μαδῶντας νωδοὺς καὶ ψωλούς. id eſt, ſordentes, curuos, miſeros, rugoſos, caluos, edentulos & recutitos vel impudentes, tamen vſque adeo vita delectari, adeoque νεανίζειν, vt alius tingat canos, alius appoſiticia coma caluitium diſſimulet, alius dentibus vtatur mutuo fortaſſis à ſue quopiam ſumptis, hic in puellam aliquam miſere depereat, & amatorijs ineptijs quemuis etiam ſuperet adoleſcentulum. Nam vt capulares iam, meraque ſilicernia, teneram aliquam iuuenculam ducant vxorem, eamque & indotatam, & alijs vſui futuram, id adeo frequens, vt propemodum, & laudi detur.

Senum mores & ingenia.

Sed multo etiam ſuauius, ſi quis animaduertat anus longo iam ſenio mortuas, adeoque cadaueroſas vt ab inferis rediiſſe videri poſſint, tamen illud ſemper in ore habere φῶς ἀγαθὸν, id eſt lumen bonum, adhuc catullire, atque vt Græci dicere ſolent, κασωρεύειν, id eſt cõcitare ad luxum, & magna mercede conductum aliquem Phaonem inducere, fucis aſſidue vultum oblinere, nuſquam à ſpeculo diſcedere, infimæ pubis ſyluam vellere, ac putres oſtentare mammas, tremuloque gannitu, languentem ſollicitare cupidinem, potitare, miſcerj puellarum choris, literas amatorias ſcribere. Ridentur hæc ab omnibus tanquam (vti ſunt) ſtultiſſima. At ipſæ ſibi placent, & in ſummis interim verſantur

ſantur delicijs, totaſque ſeſe melle perungunt, hoc ſcilicet nomine admodum fœlices.

EQVES. Vera ſunt quæ recenſes. Nulli enim iuuenes inſaniunt impotentius, quam ſenex ſi cœperit amare. Nam ferrum, cui ſenex ſimilis eſt, ob membrorum ſiccitatem & frigiditatem, vt haud facile incaleſcit, ita ſi ſemel incaluerit, omniū tardiſſime frigeſcit, caletque maxime. Nihil autem turpius amatore cano, vel Ouidio teſte, *Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.* Nunc & militant, & amant paſſim ſenes, etiamſi ſint ſilicernij, id eſt, incurui cernant ſilices, moxque ſilentibus vmbris cernendi ſint.

Vetula hirciſſans.

IVVENIS. Id vero magis ridiculum eſt in vetulis hirciſſantibus, quæ Phaonem, id eſt, formoſum aliquem adoleſcentulum ambiunt. Phaon enim adamatus fuit à Saphone, nec mutuo tamen adamabat. Ita anus præter ætatis decorum libidinoſæ pecunia conducunt amatorem. Hinc Iuuenalis:

——— ——— Optima certè
Nunc via proceſſus vetulæ veſica beatæ.

SENEX. Philoſophaſtrum audio, Poëtam, Grammaticum, & quem non! quod genus hominum Theutus ille humano generi infenſus genius, in ſummam perniciem excogitauit, adeo non vtiles ad felicitatem, vt illi quoque officiant, ad quid proprie repertæ dicuntur, vt eleganter arguit apud Platonem rex ille prudentiſſimus de literarum inuento. Igitur diſciplinæ cum reliquis humanæ vitæ peſtibus irrepſerunt, iiſdem auctoribus à quibus omnia flagitia proficiſcuntur, puta dæmonibus, quibus hinc nomen etiam inuentum, quaſi δαήμονας, hoc eſt, ſcientes, appelles. Siquidem ſimplex illa aurei ſæculi gens, nullis armata diſciplinis, ſolo naturæ ductu inſtinctuque viuebat. Quorſum enim opus erat grammatica, cum eadem eſſet omnibus lingua, nec aliud ſermone petebatur, niſi vt alius alium intelligeret? Quis vſus dialecticæ, vbi nulla erat pugnantium inter ſe ſententiarum dimicatio? Quis Rhetoricæ locus, cum nullus alteri negociū faceſſeret? Quorſum requireretur legum prudentia, cum abeſſent mali mores, ex quibus haud dubie bonæ leges prognatæ ſunt? Porro religioſiores erant, quam vt impia curioſitate arcana naturæ, ſyderum menſuras, motus, effectus, abditas rerum cauſas & ſimilia ſcrutarentur, nefas eſſe rati, ſi homo mortalis vltra ſortem ſuam ſapere conaretur. Iam quid extra cælum eſſet, inquirendi dementia, ne in mentem quidem veniebat. At labente paulatim ætatis aureæ puritate, primum à malis vt dixi, geniis inuentæ ſunt artes, ſed paucæ, atq; hæ quidem à paucis

Artium humaniorum vanitas.

receptæ, Poſtea ſexcentas addidit. Chaldæorum ſuperſtitio, & Græcorum ocioſa leuitas, meras ĩgeniorum cruces, adeo vt vel vna grãmatica, abunde ſatis ſit ad perpetuam vitæ carnificinam. Quanquam inter has ipſas diſciplinas, hæ potiſſimum in precio ſunt, quæ ad ſenſum communem, quam proxime accedunt. Eſuriunt theologi, frigent phyſici, ridentur aſtrologi, negliguntur dialectici. Solus *ἰατρὸς ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἀνδρῶν* id eſt, ſolus vir medicus multis viris æquipollet. Atque in hoc ipſo genere, quo quiſque indoctior, audacior, incogitantiorque, hoc pluris fit etiam apud torquatos iſtos principes. Atqui medicina (ſi Platoni credimus nihil aliud eſt, quam quinta aſſentationis particula. Secundum hos proximus datur locus leguleis, & haud ſcio an primus, quorum profeſſionem philoſophi magno conſenſu ridere ſolent. Sed tamen horum arbitrio, maxima minimaque negocia tranſiguntur. His latifundia creſcunt, cum theologus interim excuſſis totius diuinitatis ſcrinijs, lupinum arrodit, cum cimicibus ac pediculis aſſidue bellum gerens. *Leguli.*

EQVES. Vide te animo eſſe exacerbatum; liberius fortaſſe quam decebat, de ſenum vitijs locuti ſumus. Atqui cum inter bonos bene agier oporteat, atque apud eos lingua ſit libera; proinde in præſenti nolumus ea quæ iam dixiſti, exagitare, ſed differemus alio. Interim Theutus, cuius facis mentionem, quis fuerit, breuiter nobis ediſſere.

SENEX. Quis fuerit, quidue egerit, dicam vobis ex Socrate. Is itaque apud Platonem *in Phædro* de Theuto ita loquitur: Audiui equidem, circa Naucratim Ægypti, priſcorum quendam fuiſſe deorũ, cui dicata ſit auis, quam Ibim vocant, Dæmoni autẽ ipſi nomen Theuth, hunc primum numerum, geometriã, aſtronomiamq; inueniſſe, præterea luſus talorum, alearum, litteraſque. Erat tunc totius Ægypti rex Thamus, & in ampliſſima eminentiſſimaq; ciuitate, quas Græci Ægyptios Thebas vocant, & deũ ipſum Ammonẽ vocant. Ad hunc Theuth profectus, artes demonſtrauit ſuas, dixitq; eas diſtribui Ægyptijs cæteris oportere. In hunc fere modum Plato. De eodem extat apud Platonem. Rex enim rogabat Theut, ad quid conducerent litteræ, quibus ſcribitur? Reſpondit, valere ad memoriæ ſubſidiũ. At ille demonſtrauit litteras officere memoriæ, dum homines his freti, non inſcriberent animo, quæ audiſſent, ſed chartis. *Theutꝰ quis*

EQVES. Medicorum & Iuriſconſultorum agmina pupugiſti; veruntamen non Medicina probe peritos, ſed nec Iuris bene peritos, verum agyrtas circumforaneos atque Iuriſperitos, quos leguleios nuncu-

nuncupas, intelligis. Et mirum profecto eſt, Magnates etiam ſępenumero vitam ſuam committere malle mulierculis, Idiotis, erronibus, quam vere medicis. Adeo homines amant decipi. Nimirum, niſi Medicus ſtatim procul inſpecto lotio, pronunciet ſexum, ætatem, morbum, & morbi cauſam, Medicum non credunt.

Medicina. IVVENIS. Plato in Gorgia duas ponit artes, Gymnaſticam & medicinam ad corpus, duas item ad animam pertinentes, nomotheticam gymnaſticæ, & iuſtitiam iudiciariã, medicinæ correſpondentem. Has quatuor corpus & animam, ait optime curare. Aſſentatoria vero id ſentiẽs, quadrifariam ſe diuidit in quatuor illas artes, dumque ſic ſemper, non quod optimum eſt, ſed quod dulciſſimum præbet, plurimos illaqueat. Porro coquinariam medicinam ait ſubire, eiuſq; eſſe veluti ſimiam, fucatoriam, gymnaſticam imitari, ſophiſticam item legalem, rhetoricam iudiciariam iuſtitiam. Verum ſi ad medicos noſtri ſæculi reſpexerimus, iuxta prouerbium, ipſa medicina magis aſſentationis, quam artis particula eſſe videbitur.

SENEX. Itaque nimirum ex vnoquoque animantium genere feliciſſime degunt ea, quę ſunt à diſciplinis alieniſſima? nec vllius magiſterio niſi naturæ ducuntur? *Apum laus.* Quid apibus aut fœlicius, aut mirabilius? [illegible] corporis quidem omnes ſenſus adſunt. Quid ſimile in extruendis ædificijs reperiat architectura? Quis vnquam philoſophus ſimilem inſtituit rempublicam? Rurſum equus, quonam humanis ſenſibus affinis eſt, & in hominum contubernium demigrauit, humanarum item calamitatum eſt particeps. Quippe qui non raro dum vinci pudet in certaminibus, ducit ilia, & in bellis dum ambit triumphum, confoditur, ſimulque cum ſeſſore terram ore momordit. *Equi infelices.* Vt ne commemorem interim, lupata frena, aculeata calcaria, ſtabuli carcerem, ſcuticas, fuſtes, vincula, ſeſſorem, breuiter omnem illam ſeruitutis tragædiam, cui ſe vltro addixit, dum fortes viros imitatus, impenſius hoſtem vlciſci ſtudet. Quanto optabilior muſcarum & auicularum vita ex tẽpore, ſoloq; naturæ ſenſu degentium, modo per hominum inſidias liceat, quæ ſi quando caueis incluſæ, aſſueſcant humanas ſonare linguas, mirũ quam à natiuo illo nitore degenerent. *Auicularum vita optabilis.* Adeo modis omnibus lætius eſt, quod natura condidit, quam quod fucauit ars. Proinde nunquam ſatis laudarim, gallum illum Pythagoram, qui cum vnus omnia fuiſſet, philoſophus, vir, mulier, rex, priuatus, piſcis, equus, rana, opinor etiam ſpõgia, tamen nullum animal iudicauit calamitoſiùs homine, propterea

auriculas teneras mordaci radere vero. Motiones autem id præſtant, quod vnum vndecunque principes modis omnibus aucupantur iocos, riſus, cachinnos, delitias. Iam accipite & hanc non aſpernandam ſtultorum dotem, quod ſoli, ſimplices ac veridici ſunt.

SENEX. Fatuus quicquid habet in pectore, id & vultu præ ſe fert & oratione promit. At ſapientum ſunt duæ illæ linguæ (vt meminit Euripides) quarum altera verum dicunt, altera, quæ pro tempore iudicarint opportuna. Horum eſt nigrum in candida vertere, & eodem ex ore frigidum pariter & calidum efflare, longeque aliud conditum habere in pectore, aliud ſermone fingere.

IVVENIS. Alludis, opinor, ad apologũ Aniani fabulatoris huiuſmodi: Satyrus quidã, quũ hyberno gelu vehemẽter ſæuiente, à ruſtico quopiã in hoſpitiũ induct⁹ eſſet; videns hominem inflare in manus ori admotas, rogauit, cur ita faceret. Is reſpõdit, vt manus frigidas, anhelit⁹ tepore calefaceret. Deinde mẽſa appoſita cum in pultem feruentẽ rurſus inflaret, admirat⁹ Satyrus ſciſcitatus eſt, cur id faceret? Vt pultem, inquit, refrigerẽ. Tum Satyrus ſurgẽs: Quid audio, inquit, tunc ex eodem ore calidũ & frigidũ educis? nõ mihi cum talib⁹ habendum cõmercium eſt, idque dicens abiit. Sed proſequere ſermonem inſtitutum.

SENEX. In tanta, quam cernimus felicitate, hoc nomine Principes mihi videntur infeliciſſimi, quod deeſt à quo verũ audiant, & aſſentatores pro amicis habere coguntur.

EQVES. An neſcitis abhorrere plerumq; à veritate Principum aures? & hac ipſa de cauſa ſapiẽtes fugitant, quod vereantur, ne quis forte liberior exiſtat, qui vera magis quam iucunda loqui audeat.

IVVENIS. Ita quidem res habet, inuiſa Regibus plerunque eſt veritas. Sed tamen hoc ipſum mire in fatuis vſu venit, vt nõ vera modo, verumetiã aperta conuicia cum voluptate audiantur. Adeo vt idem dictum, quod ſi à ſapientis ore proficiſcatur, capitale fuerat futurum, à Morione profectum, incredibilem voluptatem pariat. Habet enim genuinam quandam delectandi vim veritas, ſi nihil accedat quod offendat. Verum id quidem ſolis fatuis dij dederunt. Iiſdem ferme de cauſis, hoc hominum genere, mulieres gaudere ſolent impenſius, vtpote ad voluptatem & nugas natura propenſiores. Proinde quicquid cum huiuſmodi factitarint, etiam ſi nonnunquam ſerium nimis, illæ tamen iocum ac luſum interpretantur, vt eſt ingenioſus, præſertim ad prætexanda commiſſa ſua, ſexus ille. Demum autem Morione iſti, multa cum iucunditate peracta vita, nullo mortis vel metu, vel ſenſu, recta in campos

·pos elyſios demigrant, illic pias atque otioſas animas luſibus ſuis oblectaturi.

Eqves. Quam miſera ècontrario eſt artium humaniorum ſtudioſi conditio. Fingite, quod Morionum vitæ opponamus exemplar ſapientię, hominem qui totam pueritiam atque adoleſcentiam, in perdiſcendis diſciplinis contriuerit, & ſuauiſſimam vitę partem, perpetuis vigiliis, curis, ſudoribus perdiderit, ne in reliqua quidem omni vita, vel tãtillum voluptatis deguſtarit, ſemper parcus, pauper, triſtis, tetricus, ſibiipſi iniquus ac durus, aliis grauis & inuiſus, pallore, macie, valitudine, lippitudine confectus, ſenio canicieque multo ante diem contracta, ante diem fugiens è vita.

Fatui & ſapientis diuerſitas.

Senex. Apud illos certe, qui intentiſſime meditantur, oportet vehementem ſpirituum fieri agitationem, quam calor cõſequitur, caloris autem comes eſt reſolutio, cõſumptio, & exiccatio. Spiritus autẽ ſic reſolutos, oportet ex optimo sãguine inſtaurari, vnde ſanguinem paucum euadere neceſſe eſt, ſic ſubinde in ſpiritus reſolutum. Ad hæc in ſtudioſis, propter cerebri agitationem, & ex agitatione ortum calorem, oportet ex corde ſpiritus copioſos, qui fiunt animales, aſcendere, ſiquidem vbi agitatio, eo ſpiritus & calor vergunt, ſpiritus igitur naturales, qui in ventriculo & iocinore concoctioni ſeruiunt, diminuuntur, quib. diminutis ſanguis & paucus & pituoſus generatur. Quocirca ſtudioſos neceſſum eſt, ὀλιγαίμους euadere, τὰ δ' ὀλιγαίμα ἤδη, vt ait Ariſtoteles, in ſecundo libro de partib⁹ animalium, προοδοποιεῖται πρὸς τὴν φθορὰν, ἡ γὰρ φθορὰ ὀλιγαιμία ἐστί. καὶ τὸ ὀλίγον παθητικὸν καὶ ὑπὸ ψυχροῦ τοῦ τυχόντος, καὶ ὑπὸ θερμοῦ. id eſt, *Quæ pauci ſanguinis ſunt, iam faciunt viam ad corruptionem. Corruptio enim paucitas ſanguinis eſt, & quod paucum eſt, facile patitur, à quouis & frigore & calore.* Galenus quoque autor eſt, eos qui paucum habent ſanguinem, ſenium accelerare.

Ivvenis. Inſanire propemodum nos exiſtimet quiſpiam, ſi morionum nos cauſas agere inaudierit.

Eqves. Non eſt iſthæc inſania, verè ſic dicta. Et ſanè, ſi, quod intendis, Dialecticus videri cupis, inſaniam ab inſania, ſi modò ſanus videri voles, vt diſtinguas neceſſe eſt. Eſt enim duplex inſaniæ genus; alterum quod ab inferis diræ vltrices ſubmittunt, quoties immiſſis anguibus, vel ardorem belli, vel inexplebilem auri ſitim, vel dedecoroſum ac nefarium amorem, vel parricidium, inceſtum, ſacrilegium, aut aliam id genus peſtem aliquam in pectora mortalium inuehunt, ſiue cum nocentem & conſcium animum furiis ac terriculorum facibus agunt. Eſt alterum huic longe diſſimile.

Inſania duplex.

mile. Id accidit quoties iucundus quidam mentis error ſimul & anxiis illis curis animum liberat, & multiiuga voluptate delibutum reddit. Atque hunc mentis errorem, ceu magnum quoddam deorum munus, ad Atticum ſcribens optat Cicero. Nimirum quo tantorum malorum ſenſu carere poſſet, neque perperam ſenſit Arginus ille, qui hactenus inſaniebat, vt totos dies ſolus deſideret in theatro, ridens, plaudens, gaudens, quod crederet illic miras agi tragœdias, cum nihil omnino ageretur. Cum in cæteris vitæ officiis probe ſeſe gereret, iucundus amicis.

Comis in vxorem, poſſetque ignoſcere ſeruis.

Et ſigno læſa non inſanire lagenæ,

Hunc vbi cognatorum opera datis pharmacis morbo leuaſſet, ſibique iam totus eſſet redditus, hunc in modum cum amicis expoſtulans,

Pol me occidiſtis amici

Non ſeruaſtis ait, cui ſic extorta voluptas

Et demptus per vim mentis gratiſſimus error.

Et merito quidem, errabant enim ipſi atque elleboro magis opus habebant, qui tam fœlicem ac iucundam inſaniam, ceu malum aliquod exiſtimarent potionibus expellendam.

IVVENIS. Noli mihi impropeṙare Philoſophiã. Philoſophus ſum, id eſt, ſapientiæ ſtudioſus, & tametſi ad apicem ſapientiam me nondum aſcendiſſe ingenue fateor, tamen me non omnino Philoſophiæ rudem eſſe noris. Probe ego noui, inſaniam ab inſania eſſe diſtinguendam. Sed & illud noui, non omnem inſaniam eſſe calamitoſam; alioquin non dixiſſet Homerus:

An me ludit amabilis inſania.

Neque Plato Poëtarum, vatum & amantium inſaniam inter præcipua vitæ bona collocaſſet. Hinc Socrates *in Phædro Platonis*, amorem laudaturus, negansque amorem eſſe vituperandum, quod inſaniæ ſiue furoris eſſet ſpecies, quadruplicem facit furorem, quorum vnumquẽq; fœlicem videri vult. Primum vatum, quem μαντικὴν μανίαν, quaſi μανικὴν, interpoſitione ταῦ vocari ait. Secũdum, myſterialem, qui per expiationes propiciationeſq;, morborum remedia inuenit. Tertium, poeticũ, de quo dicit, ὅς δ' ἄνευ μουσῶν μανίας ἐπὶ ποιητικὰς θύρας ἀφίκηται, πεισθεὶς ὡς ἄρα ἐκ τέχνης ἱκανὸς ποιητὴς ἐσόμενος, ἀτελὴς αὐτός τε, καὶ ἡ ποίησις, ὑπὸ τῆς τῶν μαινομένων, ἡ τοῦ σωφρονοῦντος ἠφανίσθη. id eſt, *Qui autem ſine muſarum furore, ad poeticas fores ſe confert, perſuaſus quod arte ſufficienter poeta ſit euaſurus, imperfectus quidem tum ipſe, tum poeſis eius, præ illa, quæ ex furore procedit, quæ quidem hæc, quæ à prudẽtia ſit, euaneſcit.* Quartum furorem facit amatorium, qui

ἀπ' αὐτῆς ῥώμης ἐπωνυμίαν λαβὼν ἔρως ἐκλήθη. id eſt, *Qui ab ipſo robore, cognomen ſumens, amor quaſi robur dicitur.*

SENEX. Iuuenes, aurigante feruore iuuenili, facile excandeſcunt atque irritantur. Itaque quod ab initio huiuſce noſtri ſermonis à me factitatum meminiſtis, moderandus eſt vtrinq; ſermo noſter, ne quem data opera offendamus; ſed ita tamē quilibet etiam attemperabit mentē ſuam, vt ſi ꝙ alterutri excidat verbū aliquod, ne id, inaudito interprete, ſubito in peiorem trahat partem. Quilibet enim, quod etiam ſcholæ triuiales loquuntur, eſt verborum ſuorum interpres. Nunc ad rem. Dixi paulò ante, infantiam, adoleſcentiam, virilem ætatem, ipſam quinetiam ſenectutem aliquid participare de ſtultitia. Imò, quod magis eſt, cum Iſocrate dico: *Nullum magnum ingenium eſt ſine mixtura dementiæ.* Imò quod maximum eſt: Vbiuis ſeſe exerit ſtultitia, vſq; adeò vt qui ſtultorum omnia eſſe plena dixit, haud inconcinne dixerit.

IVVENIS. Dura ſunt, imò duriſſima quæ dixiſti, ſubeunda tibi erit Gigantomiomachia, aduerſus omnium artium & ſcientiarum propugnatores robuſtiſſimos, cæteros iam libens ſilentio prætereo, habebis namque quibus cum ad rauim vſq; decertes. Sed facias id tuomet periculo. Nos interim otioſi erimus auditores.

SENEX. De hominum, quas dixi, ætatibus, primum loquar. Quid quæſo eſt illud in infantibus, quod ſic exoſculamur, ſic amplectimur, ſic fouemus, vt hoſtis etiam huic ætati ferat opem, niſi ſtulticiæ lenocinium, quod data opera prudens natura, recens natis adiunxit, vt aliquo voluptatis velut auctoramento, & educantium labores delinire queant, & tuentium fauores ablandiantur? Deinde quæ ſuccedit huic adoleſcentia, quam eſt apud omnes gratioſa, quam candide fouent omnes, quam ſtudioſe prouehunt, quam officioſe porrigunt auxiliares manus? Hinc eſt ꝙ huic ætati tam facile etiam ignoſcitur, qui nimirum ſtultitiæ quaſi beneficio quam minimum ſapere iudicatur: Ac tametſi progreſſu temporis, grandiores facti, per rerum vſum ad diſciplinas virile quiddā ſapere occipiunt, tandem tamen, omnibus reb⁹ tentatis, & vix decima earum parte feliciter peracta, cū Cicerone clamāt ac queruntur: *O me nunquam ſatis ſapientem!* Hinc pedetentim defloreſcit formæ nitor, langueſcit alacritas, frigeſcit lepos, labaſcit vigor, donec tādem ſuccedat *τὸ χαλεπὸν γῆρας*, id eſt, moleſta ſenectus, quæ ad pueritiam, id eſt, ſtultitiam denuo reuocat. Vnde non abs re vulgus eos *παλίμπαιδας*, id eſt, iterum puellos appellare conſueuit.

Infantia ſtultitia.

IVVENIS. At iſti delirare dicuntur, id eſt, ad inſtar liræ, ea quæ

dicunt, ſæpius repetere atque continuare, id quod euenit ex ægritudine memoriæ.

SENEX. Rectè; ſed iſtuc ipſum eſt repueraſcere. An vero aliud eſt, puerum eſſe, quam delirare. An non hoc vel maximè delectat in ea ætate, quod nihil ſapit. Quis enim non ceu portentum oderit atque execretur, puerum virili ſapientia. Cui aſtipulatur & vulgò iactatum prouerbium: *Odi puerulum præcoci ſapientia.* His addo, quod pueris quoque gaudeant impenſius ſenes, ac pueri viciſſim ſenibus delectantur, *ὡς αἰεὶ τὸν ὅμοιον ἄγει θεὸς ὡς τὸν ὅμοιον.* id eſt, *Et ſemper ſimilem ducit Deus ad ſimilem.* Quid enim inter illos non conuenit, niſi quod hic rugioſior, & plures nummerat natales? Alioqui capillorum albor, os edentulum, corporis motus minor, lactis appetentia, balbuties, garrulitas, ineptia, obliuio, incogitãtia, breuiter omnia cętera congruunt. quoque magis accedunt ad ſenectam, hoc propius ad pueritiæ ſimilitudinem redeunt, donec puerorum ritu, citra vitæ tædium, citra mortis ſenſum, emigrant è vita.

EQVES. Fertur communi eoque feſtiuo dicterio, ſtultitiã vnam eſſe rem quæ & iuuentam alioqui fugaciſſimam remoretur, & improbam ſenectam procul arceat, vt non temere de Brabantis populari ſermone iactatum ſit: Cum cæteris hominibus ætas prudentiã adferre ſoleat, hos quo propius ad ſenectam accedunt, hoc magis atque magis ſtulteſcere. Atqui hac gente non eſt alia vel ad communem vitæ conſuetudinem feſtiuior, vel quæ minus ſentiat ſenectutis triſticiam. His quidem, vt loco ita & vitæ inſtituto confines ſunt Hollandi.

Brabantini.

EQVES. Nulla ferè natio nec humanior eſt, nec melior, quam Brabantorum; verum ob perpetuam hilaritatem, quam illis nec ſenecta adimit, ioco vulgari dicitur: Brabantus quo natu grandior, hoc ſtultior. Sed & Hollandi gens laudatiſſima eſt, tamen ob ingenij priſcam illam ſimplicitatem & mores minimè fucatos, vulgò ſtulti ab antiquis vocati fuerunt, prouerbio iocoſo. Sed quid hæc particularia ad hominum vniuerſitatem, quã per illud *Stultorum omnia plena,* paulò ſupra innuebas?

SENEX. Ex ipſa hominis natura, quæ dixi, euincam. Ipſa natura parens & humani generis opifex, illud præcipuè cauit, ne vſquã deeſſet ſtultitię condimentum. Etenim quũ Stoicis definitorib9, nihil aliud ſit ſapientia, quam duci ratione; cõtrà ſtultitia, affectum arbitrio moueri, ne planè triſtis ac tetrica eſſet hominum vita; Natura, quanto pl9 indidit affectuum quã rationis? Nimirũ quaſi ſemivnciam cõpares ad aſſem. Præterea rationem in anguſtum capitis angulũ relegauit, reliquum

Stultitia homini naturalis.

quum omne corpus perturbationibus reliquit. Deinde duos quaſi tyrannos violentiſſimos vni oppoſuit. Iram quæ præcordiorum arcem obtinet, atque adeo ipſum vitæ fontem cor, & concupiſcentiam, quæ ad imam vſque pubem latiſſime imperium occupat. Aduerſus has geminas copias, quantum valeat ratio, communis hominum vita ſatis declarat. Cum illa, quod vnum licet, vel vſq; ad rauim reclamat, & honeſti dictat formulas, verum hi laqueum regi ſuo remittunt, multoq; odioſius obſtrepunt, donec iam is quoque feſſus, vltro cedit ac manus dat.

EQVES. Tu admodum ſubtiliter cauſam ſtultitiæ agis, ego craſſiore Minerua, quæque magis incurrat in oculos atque intellectus hominum, proponam, exemplo ducto à viro & fœmina, cuius hoc eſto axioma: Si qua forte fœmina ſapiens haberi velit, ea nihil aliud agit, quam vt bis ſtulta ſit. Atque equidem ſi rem recta reputent via, hoc ipſum ſtulticiæ debent acceptum ferre, quod ſint viris multis calculis fortunatiores. Primum formæ gratia, quam illi marito rebus omnibus anteponunt, cuiuſque præſidio in tyrannos etiam ipſos tyrannidem exercent, alioqui vndenam horror ille formæ, hiſpida cutis, & barbæ ſylua, plane ſenile quiddam in viro, niſi à prudentiæ vitio; cum fœminarum ſemper læues malæ, vox ſemper exilis, cutis mollicula, quaſi perpetuam quandam adoleſcentiam imitentur? Deinde quid aliud optant in hac vita, quam vt viris quam maxime placeant? Nonne huc ſpectant tot cultus, tot fuci, tot balnea, tot compturæ, tot vnguenta, tot odores, tot componendi, pingendi, fingendique vultus artes? Iam num alio nomine viris magis commendatæ ſunt quam ſtultitiæ? Quid enim eſt quod illi mulieribus non permittunt? At quo tandem auctoramento, niſi voluptatis? Delectant autem non alia re, quam ſtulticia. Id eſſe verum, non ibit inficias quiſquis ſecum reputarit, quas vir cum muliere dicat ineptias, quas agat nugas, quoties fœminea voluptate decreuerit vti.

Fœminarum ſtultitia.

IVVENIS. Deum immortalem, quæ non diuortia, aut etiam diuortijs deteriora paſſim acciderent, niſi viri fœminæque domeſtica conſuetudo, per adulationem, per iocum, per facilitatem, errorem, diſſimulationem, fulciretur, alereturque? Pape, quam pauca coirent matrimonia, ſi ſponſus prudenter exquireret, quos luſus delicata illa, ſicuti videtur, ac pudens virguncula, iam multo ante nuptias luſerit? Tum quanto pauciora cohærerent inita, niſi plurima vxorum facta, per viri vel negligentiam, vel ſtuporem laterent? Atque hæc quidem merito ſtultitiæ tribu-

untur, verum ea interim præſtat, vt marito iucunda ſit vxor, vxori iucũdus maritus, vt tranquilla domus, vt maneat affinitas.

Belli cauſa, ſtultitia. EQVES. Belle loqueris, ſed non bella crepas. Sed enim, dic obſecro. An non omnium laudatorum facinorum ſeges ac fons eſt bellum? Porro quid ſtultius quam ob cauſas neſcio quas, certamen eiuſmodi ſuſcipere, vnde pars vtraque ſemper plus aufert incommodi quam boni? Nam eorum qui cadunt veluti Megarenſium οὐδεὶς λόγος, id eſt, nulla ratio, deinde cum iam vtrinque conſtitere ferratæ acies, & rauco crepuerunt cornua cantu, quis oro ſapientum iſtorum vſus? Qui ſtudijs exhauſti, vix tenui frigidoque ſanguine ſpiritum ducunt. Craſſis ac pinguibus opus eſt, quibus quam plurimum adſit audaciæ, mentis quam minimum, niſi ſi quis Demoſthenem militem malit, qui Archilochi ſecutus conſilium, vix conſpectis hoſtibus, abiecto clypeo fugit, tam ignauus miles, quam orator ſapiens.

IVVENIS. Concinne admodum loqueris ex Ariſtotelis ſententia, quippe qui putat, eos qui minime valent ingenio, plus pollere audacia. Nam craſſus ſanguis, quo abundant robuſti, vt robur auget, ita ingenium craſſum efficit. Contra ſanguis tenuis, ex quo ſpiritus tenues exhalant, vt corpuſculum imbecillum & meticuloſum, ita ingenium acutum timidumque efficit. Demoſthenem quem allegaſti, quod attinet, is abiecto clypeo fugit, vnde Rhipſaſpis dictus, vt Plutarchus in eius vita memorat. Archilochum Poëtam quod attinet, hunc Lacedæmonij finibus ſuis excedere coëgerunt, quod in Epigrammate quodam gloriatus eſſet, ſe clypeum abiecisse, quaſi id conſultius ſit quam mori in pugna. Videat deſuper Plutarchus in Apophthegmatis Laconicis, & Prouerbium, in Chiliadibus: *Abiecit haſtam.*

EQVES. Præclara nimirum, ſi diis placet eſt illa Platonis ſententia, beatas tum demum fore reſpublicas, ſi aut imperent philoſophi, aut ſi philoſophantur Imperatores. Conſulite hiſtoricos, reperietis omnino, nullos reipublicæ peſtilentiores fuiſſe principes quam ſi quando in philoſophaſtrum aliquem, aut literis addictum inciderint imperium.

SENEX. Serio iſthæc à vobis dici minime ſuſpicor. Ne qua tamen ſiniſtri aliquid ſuſpicandi anſa ſubſit, ad alia potius tranſeundum, quam hiſce odioſis inhærendum cenſeo. Vt enim nihil eſt ſtultius præpoſtera ſapientia, ita peruerſa prudentia nihil impudentius.

EQVES. Ita nimirum comparatum

ratum eſt in vita humana, vt ſæpenumero, qui ſapere ſibi admodum videntur, maxime deſipiant. Quæ quidem deſipientia, apud eos nimirum, qui ſeſe ſapientiæ ſtudio dediderunt, cum cæteris in rebus, tum præcipue in liberis propagandis plerumque ſeſe exerit, qua quidem in re hoc hominum genus ſolet eſſe infeliciſſimum. De Cicerone Oratore ſapientiſſimo teſtatur Seneca, quod habuerit filium temulentum, ignauum, moroſum, nulla in re ſimilem patri, niſi in feſtiuitate. Et de Socrate ſcribit Gellius, quod habuerit liberos matri ſimiliores quam patri. Habuit autem Socrates vxorem moroſam & rixoſam.

Ad conuiuium adhibe ſapientem, aut triſti ſilentio, aut moleſtis quæſtiunculis obturbabit. Ad chorum aduoca, camelum ſaltare dices. Ad publicos ludos trahe, ipſo vultu, populi voluptatibus obſtabit, & cogetur è theatro migrare ſapiens Cato, quandoquidem ſupercilium non poteſt ponere; In colloquium inciderit, repente lupus in fabula. Si quid emendum, ſi contrahendum, breuitêr ſi quid eorum agendum ſine quibus hæc quotidiana vita tranſigi non poteſt, ſtipitem dicas ſapientem iſtum, non hominem, vſque adeo nec ſibi, neque patriæ, neque ſuis vſque vſui eſſe poteſt, propterea quod communium rerum ſit imperitus, & à populari opinione, vulgaribuſque inſtitutis longe lateque diſcrepet. Qua quidem ex re, odium quoque conſequatur neceſſum eſt, nimirum ob tantam vitæ atque animorum diſſimilitudinem. Interim, quod à me dictum eſt, diuerſi omnino ingenij ac morum progenerant liberos, ipſo quaſi naturæ luſu cuius alioquin ductu ſimile ſibi generat ſimile.

Philoſophi rerum communiũ ſunt imperiti.

SENEX. Hoc ipſum eſt quaſi naturæ priuilegium. Sane ſi quis hiſtrionibus in ſcœna fabulam agentibus, perſonas detrahere conetur, ac ſpectatoribus veras natiuaſque facies oſtendere, nonne is fabulam omnem peruerterit, dignuſque habeatur, quem omnes è theatro veluti lymphatum, ſaxis eiiciant? Exorietur autem repente noua rerum ſpecies, vt qui modo mulier, nunc vir, qui modo iuuenis, mox ſenex. qui paulo ante rex, ſubito Dama. qui modo Deus, repente homunculus appareat. Verum eum errorem tollere, eſt fabulam omnem perturbare. Illud ipſum figmentum & fucus eſt, quod ſpectatorum oculos detinet. Porro mortalium vita omnis, quid aliud eſt, quam fabula quæpiam? in qua alij aliis obtecti perſonis, procedunt, aguntque ſuas quiſque partes, donec choragus educat è proſcœnio, qui

ſæpe tamen eundem diuerſo cultu prodire iubet, vt qui modo regem purpuratum egerat, nunc ſeruulum pannoſum gerat. Adumbrata quidem omnia, ſed hæc fabula non aliter agitur. Hic ſi mihi ſapiens aliquis cœlo delapſus, ſubito exoriatur, clamitetque hunc, quem omnes vt deum ac dominum ſuſpiciunt, nec hominem eſſe, quod pecudum ritu ducatur affectibus, ſeruum eſſe infimum, quod tam multis tamque fœdis dominis ſponte ſeruiat. Rurſum alium qui parentem extinctum luget, ridere iubeat, quod iam demum ille viuere cœperit, cum alioqui vita hæc nihil aliud ſit quam mors quædam. Porro alium ſtemmatis gloriantem, ignobilem ac nothum appellet, quod à virtute longe abſit, quæ ſola nobilitatis ſit fons, adque eundem modum de cæteris omnib. loquatur, quæſo quid is aliud egerit, niſi vt demens, ac furioſus omnibus eſſe videatur?

IVVENIS. Tu ex tuomet vitam humanam metiris ingenio, dum tanquam in Comædia perſonatos inducis homines, qui ſubinde alias atque alias perſonas induunt. Videmus paſſim ſenes, quibus iam ne ſpecies quidem hominis ſupereſt, balbos, deliros, edentulos, canos, caluos, vel vt magis Ariſtophanicis eos deſcribam verbis ῥυπῶντας κυφοὺς ἀθλίους ῥυσοὺς μαδῶντας νωδοὺς καὶ ψωλούς. id eſt, ſordentes, curuos, miſeros, rugoſos, caluos, edentulos & recutitos vel impudentes, tamen vſque adeo vita delectari, adeoque νεανίζειν, vt alius tingat canos, alius appoſiticia coma caluitium diſſimulet, alius dentibus vtatur mutuo fortaſſis à ſue quopiam ſumptis, hic in puellam aliquam miſere depereat, & amatorijs ineptijs quemuis etiam ſuperet adoleſcentulum. Nam vt capulares iam, meraque ſilicernia, teneram aliquam iuuenculam ducant vxorem, eamque & indotatam, & alijs vſui futuram, id adeo frequens, vt propemodum, & laudi detur.

Senum mores & ingenia.

Sed multo etiam ſuauius, ſi quis animaduertat anus longo iam ſenio mortuas, adeoque cadaueroſas vt ab inferis rediſſe videri poſſint, tamen illud ſemper in ore habere φῶς ἀγαθὸν, id eſt lumen bonum, adhuc catullire, atque vt Græci dicere ſolent, καπριᾶν, id eſt cõcitare ad luxum, & magna mercede conductum aliquem Phaonem inducere, fucis aſſidue vultum oblinere, nuſquam à ſpeculo diſcedere, infimæ pubis ſyluam vellere, ac putres oſtentare mammas, tremuloque gannitu, languentem ſollicitare cupidinem, potitare, miſcerj puellarum choris, literas amatorias ſcribere. Ridentur hæc ab omnibus tanquam (vti ſunt) ſtultiſſima. At ipſæ ſibi placent, & in ſummis interim verſantur

ſantur delicijs, totaſque ſeſe melle perungunt, hoc ſcilicet nomine admodum fœlices.

EQVES. Vera ſunt quæ recenſes. Nulli enim iuuenes inſaniunt impotentius, quam ſenex ſi cœperit amare. Nam ferrum, cui ſenex ſimilis eſt, ob membrorum & ſiccitatem & frigiditatem, vt haud facile incaleſcit, ita ſi ſemel incaluerit, omniũ tardiſſime frigeſcit, caletque maxime. Nihil autem turpius amatore cano, vel Ouidio teſte, *Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.* Nunc & militant, & amant paſſim ſenes, etiamſi ſint ſilicernij, id eſt, incurui cernant ſilices, moxque ſilentibus vmbris cernendi ſint.

Vetula hirciſſans.

IUUENIS. Id vero magis ridiculum eſt in vetulis hirciſſantibus, quæ Phaonem, id eſt, formoſum aliquem adoleſcentulum ambiunt. Phaon enim adamatus fuit à Saphone, nec mutuo tamen adamabat. Ita anus præter ætatis decorum libidinoſæ pecunia conducunt amatorem. Hinc Iuuenalis:

——— ——— *Optima certè*
Nunc via proceſſus vetulæ veſica beatæ.

SENEX. Philoſophaſtrum audio, Poëtam, Grammaticum, & quem non? quod genus hominum Theutus ille humano generi infenſus genius, in ſummam perniciem excogitauit, adeo non vtiles ad felicitatem, vt illi quoque officiant, ad quid proprie repertæ dicuntur, vt eleganter arguit apud Platonem rex ille prudentiſſimus de literarum inuento. Igitur diſciplinæ cum reliquis humanæ vitæ peſtibus irrepſerunt, iiſdem auctoribus à quibus omnia flagitia proficiſcuntur, puta dæmonibus, quibus hinc nomen etiam inuentum, quaſi δαήμονας, hoc eſt, ſcientes, appelles. Siquidem ſimplex illa aurei ſæculi gens, nullis armata diſciplinis, ſolo naturæ ductu inſtinctuque viuebat.

Artium humaniorum vanitas.

Quorſum enim opus erat grammatica, cum eadem eſſet omnibus lingua, nec aliud ſermone petebatur, niſi vt alius alium intelligeret? Quis vſus dialecticæ, vbi nulla erat pugnantium inter ſe ſententiarum dimicatio? Quis Rhetoricæ locus, cum nullus alteri negociũ faceſſeret? Quorſum requireretur legum prudentia, cum abeſſent mali mores, ex quibus haud dubie bonæ leges prognatæ ſunt? Porro religioſiores erant, quam vt impia curioſitate arcana naturæ, ſyderum menſuras, motus, effectus, abditas rerum cauſas & ſimilia ſcrutarentur, nefas eſſe rati, ſi homo mortalis vltra ſortem ſuam ſapere conaretur. Iam quid extra cælum eſſet, inquirendi dementia, ne in mentem quidem veniebat. At labente paulatim ætatis aureæ puritate, primum à malis vt dixi, geniis inuentæ ſunt artes, ſed paucæ, atq; hæ quidem à paucis rece-

nuncupas, intelligis. Et mirum profecto eſt, Magnates etiam ſępenumero vitam ſuam committere malle mulierculis, Idiotis, erronibus, quam vere medicis. Adeo homines amant decipi. Nimirum, niſi Medicus ſtatim procul inſpecto lotio, pronunciet ſexum, ætatem, morbum, & morbi cauſam, Medicum non credunt.

Medicina. IVVENIS. Plato in Gorgia duas ponit artes, Gymnaſticam & medicinam ad corpus, duas item ad animam pertinentes, nomotheticam gymnaſticæ, & iuſtitiam iudiciariã, medicinæ correſpondentem. Has quatuor corpus & animam, ait optime curare. Aſſentatoria vero id ſentiẽs, quadrifariam ſe diuidit in quatuor illas artes, dumque ſic ſemper, non quod optimum eſt, ſed quod dulciſſimum præbet, plurimos illaqueat. Porro coquinariam medicinam ait ſubire, eiuſq; eſſe veluti ſimiam, fucatoriam, gymnaſticam imitari, ſophiſticam item legalem, rhetoricam iudiciariam iuſtitiam. Verum ſi ad medicos noſtri ſæculi reſpexerimus, iuxta prouerbium, ipſa medicina magis aſſentationis, quam artis particula eſſe videbitur.

SENEX. Itaque nimirum ex vnoquoque animantium genere feliciſſime degunt ea, quę ſunt à diſciplinis alieniſſima? nec vllius magiſterio niſi naturæ ducuntur? *Apum laus.* Quid apibus aut fœlicius, aut mirabilius? [illegible] corporis quidem omnes ſenſus adſunt. Quid ſimile in extruendis ædificijs reperiat architectura? Quis vnquam philoſophus ſimilem inſtituit rempublicam? Rurſum equus, quonam humanis ſenſibus affinis eſt, & in hominum contubernium demigrauit, humanarum item calamitatum eſt particeps. Quippe qui non raro dum vinci pudet in certaminibus, ducit ilia, & in bellis dum ambit triumphum, confoditur, ſimulque cum ſeſſore terram ore momordit. *Equi infelices.* Vt ne commemorem interim, lupata frena, aculeata calcaria, ſtabuli carcerem, ſcuticas, fuſtes, vincula, ſeſſorem, breuiter omnem illam ſeruitutis tragœdiam, cui ſe vltro addixit, dum fortes viros imitatus, impenſius hoſtem vlciſci ſtudet. Quanto optabilior muſcarum & auicularum vita ex tẽpore, ſoloq; naturæ ſenſu degentium, modo per hominum inſidias liceat, quæ ſi quando caueis incluſæ, aſſueſcant humanas ſonare linguas, mirũ quam à natiuo illo nitore degenerent. *Auicularum vita optabilis.* Adeo modis omnibus lætius eſt, quod natura condidit, quam quod fucauit ars. Proinde nunquam ſatis laudarim, gallum illum Pythagoram, qui cum vnus omnia fuiſſet, philoſophus, vir, mulier, rex, priuatus, piſcis, equus, rana, opinor etiam ſpõgia, tamen nullum animal iudicauit calamitoſius homine, propterea

quod cætera omnia naturæ finibus eſſent contenta, ſolus homo ſortis ſuæ limites egredi conaretur. Rurſum inter homines, idiotas multis partib. antepenit doctis ac magnis. Et Gryllus ille non paulo plus ſapuit, quam πολυμήτης Ὀδυσσεὺς, id eſt, multi conſilij, Vlyſſes qui maluerit in hara grunnire, quam cum illo tot miſeris obiici caſibus.

EQVES. Quid per Gallum Pythagoram, & quid per ſpongiam intelligas, ediſſere.

Gallus Pythagoras.

SENEX. De Gallo Pythagora extat libellus Luciani ab Eraſmo Latinitate donatus, vbi Lucianus facit Mycillum cum Gallo ſuo loquentem, qui ſe Pythagoram eſſe diceret. Prolixitatis autem euitandæ te eo remitto. Spongiam quod attinet, ſunt qui putant, ſpongiam eſſe animal, vt teſtatur Ariſtoteles *lib. 5. de nat animal.* ſpongiarum tria ponit genera. Nam aliæ inquit raræ, aliæ ſpiſſæ, aliç, quas Achilleas vocant. Naſcuntur omnes ad littus, aut ad ſaxa, nutriunturque luto. Senſum quoq; illis ineſſe creditur, propterea quod ad euulſoris acceſſum contrahuntur. Plinius plane credit ſpongias eſſe animalia.

IVVENIS. Spongia tibi fortaſſe opus erit, quo maculas abſtergas ijs quorum profeſſionibus hactenus quam minimum pepercisti.

SENEX. Et vbi ſpongia opus erit, quo eluas maculas à cruore beluarum, quarum venationibus ſummopere gaudes, veſtibus tuis aſperſas. Es namque ex ordine eorum, qui præ venatu ferarũ omnia contemnunt, atque incredibilem animi voluptatem percipere ſe prędicant, quoties fœdum illum cornuum cantum audierint, quoties canum eiulatus. Opinor etiam cum excrementa canum odorantur, illis cynamomum videri. Hem quæ ſuauitas, quoties fera lanianda eſt, tauros & verueces humili plebi laniare licet, feram niſi à generoſo ſecari nefas. Is nudo capite, inflexis genubus, gladio ad id deſtinato (neque enim quouis idem facere fas eſt) certis geſtibus, certa membra, certo ordine, religioſe ſecat. Miratur interim perinde, vt in re noua circumſtans ac tacita turba. porro cui contigerit è belua non nihil guſtare, is vero exiſtimat, ſibi nõnihil nobilitatis accedere.

Venatores.

IVVENIS. Et tibi ſpongia opus erit ad obſtergendam puluerem quem ex demolitione ſimul & reſtauratione ædificiorum ad pulmonem attraxiſti, totique tuo corpori ac veſtibus vndiquaque inhæret. Tu namque es ex eorum genere qui inſatiabili ædificandi ſtudio flagrant, nunc rotunda quadratis, nũc quadrata rotundis permutantes.

Ædificandi morbus.

SENEX. Longe equidem in hoc erras, non enim niſi coactus, & ineuitabili idipſum exigente neceſſitate, imo impulſu & coactione

ne ſtruxi ædificia. Tu vero quum *Alcumiſta.* deploratæ iſti Alcumiſticæ temere ac ſponte te immerſeris, in fundo tandem fruſtra quæres parſimoniã, vbi cumprimis tibi ſpongia opus erit, qua & cineres & pœnitudinis lachrymas abſtergas. Et ſunt profecto impenſe ridiculi, qui nouis & arcanis artibus, rerum ſpecies vertere moliuntur, ac terra marique quintam quandam eſſentiam venantur. Hos adeo lactat mellita ſpes, vt neque laborum, neque impenſarum vnquam pigeat, miroque ingenio ſemper aliquid excogitant, quo ſeſe denuo fallant, ſibique ipſis gratam faciant impoſturam, donec abſumptis omnibus, non ſit quo iam fornacem inſtruant. Non deſinunt tamen iucunda ſomniare ſomnia, cæteros pro viribus ad eandem fęlicitatem animantes. Cumq; iam prorſus omni ſpe deſtituuntur, ſupereſt tamen vna ſententia, abunde magnum ſolatium, in magnis & voluiſſe ſat eſt. Ac tum vitæ breuitatem accuſant, vt quæ magnitudini negotij non ſuffecerit.

Eqves. Nos propediem Chymicorum phalãgem aduerſus te ablegabim⁹, qui ſatis tibi faceſſent negotij. Cęterum, cum nulli fere hominum profeſſioni parcas, nimirũ ſane, quod non ipſos etiam myſteriorum diuinorum præcones ac diſpenſatores pungas.

Conſicta miracula. Senex. Vituperanda vitupero: Vituperando autem ex myſteriorũ diuinorum pręconibus, ſeu ebuccinatoribus potius, ſunt ij, qui miraculis ac prodigioſis gaudent mẽdaciis, vel audiendis, vel narrãdis. Nec vlla ſatietas talium fabularum, cum portentuoſa quędam de ſpectris, de Lemuribus, de laruis, de infernis, deque id genus millibus miraculorum commemorantur. Quæ quo longius abſunt à vero, hoc & credũtur lubentius, & iucundiore pruritu titillant aures. Atque hæc quidẽ non modo ad leuandum horarũ tedium mire conducunt, verumetiam ad quæſtum pertinẽt. præcipue huiuſmodi ſacrificis & concionatorib. His rurſum adfines ſunt, ij qui ſibi ſtultam quidem, ſed tamen iucundã perſuaſionem induerunt futurum, ſi ligneum aut pictum aliquem Polyphemum Chriſtophorum aſpexerint, eo die non ſint perituri; aut *De S. Chriſtophoro.* qui ſculptam Barbaram præſcriptis verbis ſalutarit, ſit incolumis è prælio rediturus, aut ſi quis Eraſmum *De S. Barbara.* certis dieb⁹, certis ceremoniis, certiſq; preculis conuenerit, breui ſit diues euaſurus. Iam vero Georgiũ *De S. Eraſmo.* etiã Herculem inuenerunt, quemadmodum & Hyppolitum alterum, *De S. Georgio.* huius equum phaleris ac bullis religioſiſſime adornatum tantum non adorant, ac ſubinde nouo quopiam munuſculo demerentur, per huius æream galeam deierare, plane regiũ habetur. Ne quid dicam de iis, qui ſibi factis ſcelerum condonationib⁹ ſuauiſſime blandiuntur, ac purgato-

rij ſpatia veluti clepſydris, metiuntur, ſæcula, annos, menſes, dies, horas, tanquam è tabula Mathematica citra vllum errorem dimetiẽtes.

Indulgẽtiæ. Aut de iis, qui magicis quibuſdam notulis ac preculis quas pius aliquis impoſtor, vel animi cauſa, vel ad queſtum excogitauit freti, nihil ſibi non pollicentur, opes, honores, voluptates, ſaturitates, valetudinem perpetuo proſperam, vitam longæuam, ſenectam viridem: denique proximum Chriſto apud ſuperos conſeſſum, quem tamen nolint niſi admodum ſero contingere, hoc eſt, cum huius vitæ voluptates inuitos eos ac mordicus retinentes tamen deſeruerint, tum ſuccedant illæ cœlitum deliciæ. Hinc mihi puta negotiator aliquis, aut miles, aut iudex, abiecto ex tot rapinis vnico nummulo vniuerſam vitæ lernam ſemel expurgatam putat, totque periuria, tot libidines, tot ebrietates, tot rixas, tot cædes, tot impoſturas, tot perfidias, tot proditiones, exiſtimat velut ex pacto redimi, & ita redimi, vt iam liceat ad nouum ſcelerum orbem de integro reuerti. Quid autem ſtultius iis? imo quid fœlicius? qui ſeptem illis ſacrorum pſalmorũ verſiculis quotidie recitatis, pluſquam ſummam fœlicitatem ſibi promittunt. Atque hos magicos verſiculos dæmon quiſpiam, facetus quidem ille, ſed futilis magis quam callidus, Diuo Bernardo creditur indicaſſe, ſed arte circumuentus. Et hæc tam ſtulta, vt meipſum propemodum pudeat, tamen approbantur, idque non à vulgo modo, verumetiam à religionis profeſſoribus.

VII. Pſalterij verſus S. Bernardo patefacti.

IVVENIS. Vide quid dicas. Sæpe etenim tacuiſſe iuuat, nocet eſſe locutum.

SENEX. Nemini ſum iniurius. Nihil contumelioſũ dixi in ſanctos, ſed in eos, qui nimis ſuperſtitioſe, aut etiam puri puti lucri cauſa eos colunt. Verbi gratia: Nauticum genus, quo vix aliud ſceleratius, cum non mutent vitam, tamen ita ſe domum redituros cõfidunt, ſi ſimulachrum Chriſtophori conſpexerint. Milites perditiſſimum genus, ſi ad Barbaræ procubuerint imaginẽ, & caſtrenſia quędã demurmurauerint precamina, credũt ſe incolumes, ad priſtinam vitam redituros è prælio. Auari in hoc colunt Eraſmum, & id ſuperſtitioſe, vt breui diteſcant.

EQVES. Fabulam illam de ſeptem illis ſacrorũ Pſalmorum verſiculis D. Bernardo per Diabolum reuelatis, integram quaſi nobis recenſe.

SENEX. Fabula hæc eſt: Dæmõ occurrens D. Bernardo, iactauit ſe ſcire ſeptem verſiculos, in Pſalmis Dauidicis, quos qui quotidie recitaſſet, nõ poſſet non ire in cœlum. Inſtabat Bernard⁹, vt indicaret, quinã eſſent. Cumque ille recuſaret. Nihil agis, inquit Bernardus, quandoquidem quotidie totum euoluam Pſalterium.

certum, in quo tui quoq; ſepté verſus inſint, neceſſe eſt. At dæmon veritus, ne tanti boni dediſſet occaſionem, maluit verſiculos ſuos indicare. Atque hoc tantum bonum, quãtum nec in Euangelio legimus, cacodæmoni ferimus acceptum.

EQVES. Plurima ſæpenumero caſu eueniunt, quę deinceps à variis varie imputantur atque accommodantur. Alius enatauit incolumis. Alius ab hoſte perfoſſus vixit. Alius è prælio, pugnantibus cæteris, non minus fœliciter, quam fortiter aufugit. Alius in crucem ſubactus, fauore Diui cuiuſpiam decidit, vt nonnullos etiam male diuitiis onuſtos pergeret exonerare. Alius perfracto carcere fugit. Alius irato medico, à febre reualuit. Alius euerſo plauſtro, equos incolumes domum abegit. Alius oppreſſus ruina vixit. Alius à marito deprehenſus eluſit.

IVVENIS. Parcè de his loquendum nobis. Nam & egomet multa eiuſmodi, quæ tamen ſilentio ſopire malo, cum ſint errata fortunæ, quale eſt illud de vxore quæ maritum veneno voluit necare, de qua extat hoc Epigramma.

Toxica Zelo typo degit vxor mœcha marito.
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum.
Miſcuit argenti letalia pondera viui.
Cogeret vt celerem vis geminata necem.
Diuidat hæc ſi quis, faciunt diſcreta venenum.
Antidotum ſumet, qui ſociata bibet.
Ergo inter ſeſe dum noxia pocula certant,
Ceſſit letalis noxa ſalutiferæ.
Protinus, & vacuos alui petierè receſſus
Lubrica deiectis, qua via nota cibis.
Quam pia cura Deum, pro eſt, crudelior vxor.
Et cum fata volunt, bina venena iuuant.

SENEX. Vide ne toxici iſtius fueris autor. Sed progredior ad alia. Video ego, naturã vt ſingulis mortalibus ſuam, ita ſingulis nationibus ac pene ciuitatib' communem quandam inſeuiſſe Philautiam. Atque hinc fieri vt Britanni præter alia, formam, muſicam, & lautas menſas proprie ſibi vendicent. Scoti nobilitate & regiæ affinitatis titulo, neque non dialecticis argutiis ſibi blandiantur. Galli morum ciuilitatem ſibi ſumant. Pariſienſes Theologicæ ſcientiæ laudem omnibus prope ſubmotis, ſibi peculiariter arrogent. Itali bonas literas & eloquentiam aſſerant, atque hoc nomine ſibi ſuauiſſime blandiantur omnes, quid ſoli mortalium barbari non ſint. Veneti nobilitatis opinione ſunt fœlices. Græci tanquam diſciplinarum autores, ac veteribus illis laudatorum heroum titulus ſeſe venditant. Turcæ tota-

Communis nationum philautia. *Scoti.* *Galli.* *Pariſienſes Theologi.* *Itali.* *Veneti.* *Græci.* *Turcæ.*

totaque illa vere Barbarorum colluuies, etiam religionis laudem ſibi vindicat, Chriſtianos perinde vti ſuperſtitioſos irridens. At multo etiã ſuauius Iudæi, etiam dum Meſſiam ſuum conſtanter expectant, ac Moſem ſuum hodieque mordicus tenent. Hiſpani bellicam gloriã nulli concedunt. Germani corporum proceritate & magiæ cognitione ſibi placent, ac ne ſingula perſequar, plurimum vbique voluptatis parit ſingulis & vniuerſis mortalibus Philautia.

Iudæi. Hiſpani. Germani.

EQVES. Deum immortalem, varius eſt ſtultorum tumultus, qui vbiuis abundanter ſeſe exerit. Hic deperit mulierculam, & quo minus adamatur, hoc amat impotentius, Ille dotem ducit non vxorem, ille ſponſam ſuam proſtituit, alius Zelotypus velut Argus obſeruat, hic in luctu papè quam ſtulta dicit facitque? conductis etiam velut hiſtrionibus, qui luctus fabulam peragant, Ille flet ad nouercæ tumulum, hic quicquid vndecunque poteſt corradere, id totum vẽtriculo donat, paulo poſt fortiter eſuriturus, hic ſomno & ocio nihil putat fœlicius. Sunt qui alienis obeundis negotiis, ſedulo tumultuantur, ſua negligunt. Eſt qui verſuris atque ære alieno diuitem ſe eſſe putant, mox decocturus. Alius nihil arbitratur fœlicius, quam ſi ipſe pauper, heredem locupletet. Hic ob exiguum, idque incertum lucellum, per omnia maria volitat, vndis ac ventis vitam committens, nulla pecunia reparabilem. Ille mauult bello diuitias quærere, quam tutum ocium exigere. Sunt qui captandis orbis ſenibus, putant quam commodiſſime ad opes perueniri. Neque deſunt qui idem malint de amandis beatis aniculis aucupari. Quorum vtrique tum demum egregiam de ſe voluptatem diis ſpectatoribus præbent, cum ab iis ipſis quos captant, arte deluduntur. Eſt omnium ſtultiſſimum ac ſordidiſſimum negociatorum genus. quippe qui rem omnium ſordidiſſimam tractent, idque ſordidiſſimis rationibus, qui cum paſſim mẽtiantur, peierent, furentur, fraudẽt, imponant, tamen omnium primos ſeſe faciũt, propterea quod digitos habeãt auro reuinctos. Nec deſunt adulatores fraterculi, qui mirentur iſtos, ac venerabiles palam appellent, nimirum vt ad ipſos aliqua male partorum, portiũcula redeat. alibi videas, Pythagoricos quoſdã, quibus vſque adeo omnia videntur eſſe communia, vt quicquid vſque incuſtoditum nacti fuerint, id velut hereditate obuenerit, æquo animo tollant. Sunt qui votis tantum diuites ſunt, & iucunda quædam ſibi fingunt ſomnia, idque ad fœlicitatem ſatis eſſe putant. nonnulli foris diuites haberi gaudent, domi gnauiter eſuriunt. Hic feſtinat quicquid habet profundere, ille

De negociatoribus.

per

per fas nefaſque congerit. Hic candidatus ambit populares honores, ille ad focum ſemet oblectat. Bona pars lites nunquam finiendas agitat, & hinc atque hinc certatim cõtendũt, vt protogatorem iudicem, & colluſorem ditent aduocatum. Hic rebus nouandis ſtudet, ille magnum quiddam molitur. Eſt qui Hieroſolymã, Romam, aut diuum Iacobum adeat, vbi nihil eſt illi negotij, domi relictis cum vxore liberis. In ſumma, ſi mortalium innumerabiles tumultus, è Luna, quemadmodum Menippus olim, deſpicias, putes te muſcarum, aut culicũ videre turbam inter ſe rixantium, bellantium, inſidiantium, rapientium, ludentium, laſciuientium, naſcentium, cadentium, morientium. Neque ſatis credi poteſt, quos motus, quas tragœdias cieat tantulum animalculum, tanquam mox periturũ. Nam aliquoties vel leuis belli, ſeu peſtilentiæ procella, multa ſimul millia rapit ac diſſipat.

De litigioſis.

De vagis.

Menippus.

Vita hominum.

Ivvenis. Nimium liberè loqueris. Malim, ſenem iſthæc proferre, ne affect᷑ te victum talia protuliſſe dicaris.

Senex. Probè mones. Ad eos itaque accingor, qui ſapientiæ ſpeciem inter mortales tenent, & aureum illum ramum (vt aiunt) aucupantur; inter quos Grammatici primas tenẽt, genus hominum profectò quo nihil calamitoſius, nihil afflictius. Neq; enim πέντε κατάρας, id eſt, quinq; tantum diris obnoxij ſunt iſti, quemadmodũ indicat epigramma Græcum, apud Homerum *lib. 1. Pallade*: Ἀρχὴ γραμματικῆς πεντάστιχός ἐστι κατάρα· πρῶτος μῆνιν ἔχει δεύτερος· οὐλομένην καὶ μετὰ δ' οὐλομένην Δαναῶν πάλιν ἄλγεα πολλά. ὁ τρίτατος, ψυχὰς εἰς ἀΐδην κατάγει τοῦ δὲ τεταρταίου τὰ ἑλώρια, καὶ κύνες ἀργοὶ πέμπτου, οἰωνοὶ, καὶ χόλος ἐστὶ Διὸς πῶς οὖν γραμματικὸς δύναται μετὰ πέντε κατάρας καὶ πέντε πτώσεις, μὴ μέγα πένθος ἔχειν. id eſt, Principium grammatices, quinque verſibus cõtenta, eſt deuotio. Primus iram habet, ſecundus pernicioſam. Et poſt pernicioſam, Græcorum rurſus dolores multos. Tertius animas in infernum deducit. Quarti autem, tractus, & canes veloces. Quinti, aues, & ira eſt Iouis. Quomodo igitur Grammaticus poteſt quinque execrationes, & quinque caſus, nõ magnum luctum habere?

Grammatici.

Ivvenis. Imò ſexcentis diris ſunt obnoxij, vt qui ſemper famelici ſordidique in ludis illis ſuis, imò in φροντιστηρίοις, vel piſtrinis potius, ac carnificinis, inter puerorum greges, conſeneſcant laboribus, obſurdeſcant clamoribus, fœtore pedoreq; contabeſcant, illi ipſi tamen ſibi primi mortalium eſſe videantur, Adeo ſibi placent, dum pauidã turbam, minaci vultu voceq; territant, dum ferulis, virgis, loriſque cõſcindunt miſeros, dumque modis omnibus ſuo arbitratu, ſæuiunt, aſi-

num illum Cumanum imitantes, Interim ſordes illæ, meræ munditiæ videntur, pædor amaricinum olet, miſerrima illa ſeruitus regnum eſſe putatur, adeo vt tyrannidem ſuam nolint cum Phalaridis aut Dionyſij imperio commutare. Sed longe etiam feliciores ſunt, noua quadam doctrinæ perſuaſione. Siquidem cum mera ſępenumero deliramenta pueris inculcent, tamen dij boni, quem nõ illi Palemonem, quem non Donatum, præ ſeſe contemnunt? idque neſcio, quibus pręſtigiis mirò efficiunt, vt ſtultis materculis & idiotis patribus, tales videantur, quales ipſi ſe faciunt. Iam adde & hoc voluptatis genus, quoties iſtorum aliquis Anchiſę matrẽ, aut voculam vulgo incognitam, in putri quapiam charta deprænhenderit, puta bubſequam, bouinatorem, aut manticulatorem, aut ſi quis vetuſti ſaxi fragmentum, mutilis notatum literis, alicubi effoderit, o Iuppiter quæ tum exultatio, qui triumphi, quæ encomia, perinde quaſi vel Africam deuicerint, vel Babylonas cœperint. Quid autem cum frigidiſſimos, & inſulſiſſimos verſiculos ſuos paſſim oſtentant, neque deſunt qui mirentur, iam plane Maronis animam in ſuum pectus demigraſſe credunt. At nihil omniũ ſuauius, quam cum ipſi inter ſeſe mutua talione, laudant ac mirantur viciſſimque [illegible]. Quod ſi quis alius verbulo lapſus ſit, idque forte fortuna, hic oculatior deprehenderit, νεφέλαις, quæ protinus Tragœdiæ quæ digladiationes, quæ conuicia, quæ inuectiuæ?

SENEX. Experto crede Ruperto. Non enim dubito, te huiuſmodi inſulſorum Pręceptorum ſeu deceptorum potius rigorem deguſtaſſe: ſed nunc ad Poëtas tranſeo, liberum illud hominum genus, quorum omne ſtudium non alio pertinet, quam ad demulcendas ſtultorum aures, idque meris nugamentis, ac ridiculis fabulis. Et tamen his freti, dictu mirum, vt cum ſibi polliceãtur immortalitatem, & diis parem vitam, tum aliis eandem promittant. Huic ordini præ cæteris familiares φιλαυτία καὶ κολακεία id eſt, Amor ſui & adulatio. Nec ab vllo mortalium genere color neq; ſimplicius, neque conſtantius. Huius farinæ ſunt & iſti, qui libris edendis famam immortalem aucupantur, ij nimirum qui meras nugas chartis illinunt. Nam qui eruditè ad paucorum doctorum iudicium ſcribunt, quiq; nec Perſium, nec Lelium iudicem recuſant, mihi quidem miſerandi magis quam beati videntur, vt qui ſeſe perpetuo torqueãt. Addũt, mutant, adimunt, reponunt, repetunt, recudunt, oſtẽdunt nonum in annum premunt, nec vnquam ſibi ſatisfaciunt, ac futile præmiũ, nempe laudem, eamque perpaucorum tanti [illegible] tot vigiliis, ſomniq; rerum omniũ dulciſſimi, tãta iactura,

Poetæ.

Scriptores librorum.

tot

tot ſudoribus, tot crucibus. Adde nunc valetudinis diſpendium, formæ perniciem, lippitudinem, aut etiam cæcitatem, paupertatem, inuidiam, voluptatum abſtinentiam, ſenectutem præproperam, mortem præmaturã, & ſi quæ ſunt eiuſmodi. Tantis malis ſapiens ille redimẽdum exiſtimat, vt ab vno aut altero lippo probetur.

EQVES. Et tu fortaſſis es ex eorum numero, qui nulla præuia lucubratione, vtrumque viſum eſt animo, quicquid in calamum incidit, vel ſomnia etiam, ſtatim literis produnt, leui duntaxat chartarum iactura, non ignarus futurum, vt quo nugaciores nugas ſcripſeris, hoc à pluribus ſtultis & indoctis probetur.

SENEX. Noſti vulgatum illud, quod mundus vult decipi. Cæterum cum librorum editio magno conſtet labore ac vigiliis, illi admodum ſapiunt, qui aliena pro ſuis edunt, & alieno magno partam labore, gloriam verbis in ſe tranſmouent, hoc videlicet freti quid arbitrentur futurum, vt etiam ſi maxime coarguantur plagij, tamen aliquanti temporis vſurã ſint interim lucri facturi. videre eſt operæ precium quam hi ſibi placeãt, cum vulgo laudantur, cum digito oſtenduntur in turba, οὗτός ἐστιν ὁ δεινὸς ἐκεῖνος, hic eſt, grauis & doctus ille, cum apud bibliopolas proſtant, cum in omnium paginarũ frontib. legũtur.

IVVENIS. Illud autem lepidiſſimum, cum mutuis epiſtolis, carminibus, encomiis ſeſe viciſſim laudant ſtulti ſtultos, indoctos indocti. Hic illius ſuffragio diſcedit Alceus, ille huius Callimachus. ille huic eſt M. Tullio ſuperior, ille Platone doctior. Nonnunquam etiam antagoniſtam quærunt, cuius æmulatione famam augeant. Hinc ſcinditur incertum ſtudia in contraria vulgus, donec vterque dux re bene geſta, victor diſcedit, vterque triumphum agit.

SENEX. Inter eruditos Iure-Conſulti ſibi vel primum vendicant locum, neque quiſquam alius æque ſibi placet, dum Siſyphi ſaxum aſſidue voluunt, ac ſexcentas leges eodem ſpiritu contexunt. nihil refert quam ad rem pertinentes, dumque gloſſematis gloſſemata cumulantes, efficiunt vt ſtudium illud omnium difficillimum eſſe videatur. Quicquid enim laborioſum, idem protinus & præclarum exiſtimant. Adiungamus his dialecticos ac ſophiſtas hominũ genus, quouis ære Dodonęo loquaci*, vt quorum vnuſquiſq; cum vicenis delectis mulieribus garrulitate decertare poſſit, fœliciores tamẽ futuri, ſi tantum linguaces eſſent, nõ etiam rixoſi, adeo vt de lana caprina pertinaciſſime digladiantur, & nimium altercando, plerumq; veritatẽ amittãt. Hos tamen ſua φιλαυτία beatos reddit, dũ trib⁹ inſtructi ſyllogiſmis

De Iureconſultis.

De Logicis.

incunctanter audent quauis de re, cum quouis manum conſerere. Cęterũ pertinacia reddit inuictos, etiã

Stentor.

ſi Stentorem cuius vox tanta fuit, quãta quinquaginta hominum opponas.

De philoſophis.

Sub hos prodeunt philoſophi, barba, pallioque verendi, qui ſe ſolos ſapere prædicant, reliquos omnes mortales vmbras volitare. Quam vero ſuauiter delirant, cum innumerabiles ædificant mundos, dum ſolem, dum lunam, ſtellas, orbes, tãquam pollice filoue metiuntur, dum fulminum, vẽtorum, eclipſium, ac cæterarum inexplicabilium rerum cauſas reddunt, nihil vſquã hæſitantes, perinde quaſi naturæ rerum architectrici, fuerint à ſecretis, quaſiue è deorum conſilio nobis aduenerint. Quos interim natura, cum ſuis coniecturis, magnifice ridet. Nam nihil apud illos eſſe comperti, vel illud ſatis magnũ eſt argumentum, quod ſingulis de rebus, inexplicabilis inter ipſos eſt digladiatio, Ii, cum nihil omnino ſciant, tamen omnia ſe ſcire profitentur, cumque ſeipſos ignorent, neque foſſam aliquoties, aut ſaxum obuium videant, vel quia lippiunt plerique, vel quia peregrinantur animi, tamen ideas, vniuerſalia, formas ſeparatas, primas materias, quidditates, ecceitates videre ſe prædicant, res adeo tenues, vt neque lynceus (opinor) poſſit perſpicere, Tum vero præcipue prophanũ vulgus aſpernantur, quoties triquetris, & tetragonis circulis, atque huiuſmodi picturis Mathematicis, aliis ſuper alias inductis, & in labyrinthi ſpeciem confuſis, præterea litteris velut in acie diſpoſitis ac ſubinde alio, atque alio repetitis ordine, tenebras offundunt imperitioribus.

Mathematici.

Neque deſunt ex hoc genere qui futura quoque prædicant conſultis aſtris, ac miracula pluſquam magica polliceantur, & inueniunt homines fortunati, qui hæc quoque credant.

Prognoſtici.

IVVENIS. Iſta verborum portenta, quidditates nimirum, formalitates, ecceitates, & ſi quæ ſunt his ſimilia, ego ſemper execratus ſum. Quorſum enim attinet, rem per ſe facilem huiuſmodi difficultatibus inuoluere? Cæterũ formalitates eas vocãt, quæ recipiuntur in ſubiecto, quidditates autem quæ recipiunt. Ecceitates quod attinet, ſomniant λεπτολόγοι iſti quaſdã differẽtias indiuiduales & indiuiduationes, quarum Thomas ſecundi ſcripti *diſt.* 3. principium eſſe vult materiam & quantitatem, cui tamen Scotus *ſuper eadem diſt.* refragatur. Has differentias quidã ecceitates, quidã ſorteitates vocãt, portẽta inaudita mõſtroſis & inauditis vocib. appellantes. Sed perge in ſermone inſtituto.

Theologi.

SENEX. Theologos ſilentio tranſire fortaſſe præſtiterit, quippe quorum ſummopere faueo ſtudiis, in iiſque noctes dieſque verſor. Arguam tamen craſſos quoſdã Theologos.

[illegible]

ſogos, & nihil minus quam theologos, qui vel ineptas quæſtiunculas conſectantur, vel arroganter magis quam pie docti ſunt. Sed verendum mihi, quum hoc genus hominum mire ſit ſuperciliolum atque irritabile, ne forte turmatim ſexcentis concluſionibus me adoriantur, & ad palinodiam adigant, quod ſi recuſem, protinus hæreticum clamitent. nam ilico ſolent hoc terrere fulmine, ſi cui ſunt parum propitij. Inſuper perinde quaſi ipſi tertium incolant cœlum, ita reliquos mortales omneis vt humi reptantes pecudes, è ſublimi deſpiciunt, ac prope commiſerantur, dum tanto concluſionum, corrollariorum, propoſitionum explicitarum & implicitarum agmine ſepti ſunt, tot exuberant κρησφυγέτοις, id eſt refugijs, vt nec Vulcanijs vinculis ſic poſſint irretiri, quin elabantur diſtinctionibus, quibus nodos omnes adeo facile ſecant, vt non Tenedia bipennis melius; tot nuper excogitatis vocabulis, ac prodigioſis vocibus ſcatent. Præterea dum arcana myſteria ſuo explicant arbitratu, qua ratione conditus ac digeſtus ſit mundus, per quos canales labes illa peccati in poſteritatem deriuata ſit, quibus modis, qua menſura, quantulo tempore in virginis vtero ſit abſolutus Chriſtus, quemadmodum in Synaxi accidentia ſubſiſtant ſine domicilio, ſed hæc protrita. Illa demum magnis & illuminatis (vt vocant) theologis digna putant, ad hæc ſi quando incidunt expergiſcuntur. Num quod inſtans, in generatione diuina? num plures in Chriſto filiationes? num Deus poterit ſuppoſitare mulierem, id eſt, perſonam mulieris aſſumere, num diabolum? num aſinum, num cucurbitam? num ſilicem? Tum quemadmodum cucurbita fuerit concionatura, editura miracula figenda cruci? Et quid conſecraſſet Petrus eo tempore, quo corpus Chriſti pendebat in cruce? & num eodem tempore Chriſtus homo dici potuerit? Et num poſt reſurrectionem edere aut bibere licebit? Video, rides iam dudum tam friuolas theologorum argutias. At ipſi fœliciſſime ſibi placent adeo vt his nænijs nocte dieque occupatis, ne tantulum quidem ocij ſuperſit, vt Euangelium, aut Paulinas epiſtolas, vel ſemel liceat euoluere. Atque interim dum hæc nugantur in ſcholis, exiſtimāt ſeſe vniuerſam eccleſiam, alioqui ruituram, non aliter fulcire humeris, quam Atlas cælum ſuſtinet apud Poëtas.

IVVENIS. Neminem opinor tam bardum eſſe, qui harum nugarum aliquid eſſe putet, & tamen mirum eſt, quam nihil aliud, quam de ſecundis intentionibus, naturis communibus, quidditatibus, reſpectibus, ecceitatibus, atque id genus alijs ſexcentis, his nugatoribus.

bus nugis diſputent. Cumque hæc monſtra ſomniant, ſubtiles ſibi videntur, grauique ſupercilio eos qui his contemptis, ad ipſas res penetrant, præ ſe contemnunt.

SENEX. Sunt innumerabiles λεπτολεσχίαι, id eſt ſubtilia argumenta, (vox eſt compoſita, vt id obiter dicam à λεπτὸς, quod tenuis eſt, & λέσχη, quod nugas ſignificat,) de inſtantibus de formalitatibus, de quidditatibus, ecceitatibus, quas nemo poſſit oculis aſſequi, niſi tam lynceus, vt ea quoque per altiſſimas tenebras videat, quæ nuſquam ſunt. His accedunt γνῶμαι illæ adeo paradoxæ, vt illa ſtoicorum oracula, quæ paradoxa vocent, craſſiſſima præ his videantur & circumforanea, veluti leuius eſſe crimen, mille homines iugulare, quam ſemel in die Dominico calceum pauperi conſuere. Et potius eſſe committendum vt vniuerſus orbis pereat, vna cum victu & veſtitu, quod aiunt ſuo, quam vnicum quantum quantumlibet leue mendaciolum dicere. Iam has ſubtiliſſimas ſubtilitates, ſubtiliores etiam reddunt, tot ſcholaſticorum viæ, vt citius è Labyrinthis ſeſe quis explicet, quam ex inuolucris, Realium, nominalium, Thomiſtarum, Albertiſtarum, Occaniſtarum, Scotiſtarum, & quorum non? Atque has ſubtilitates nemo poteſt aſſequi, niſi triginta ſex annos totos in Phyſicis & vltramundanis Ariſtotelis contriuerit.

EQVES. Meo iudicio ſaperent Principes Chriſtiani, ſi clamoſiſſimos iſtos Scotiſtas, & pertinaciſſimos Occaniſtas, & inuictos Albertiſtas, vna iam tota Sophiſtarum manu mitterent in Turcos & Saracenos, ſpectarent opinor & conflictum omnium lepidiſſimum & victoriam ante non viſam.

IVVENIS. Sunt inter ipſos theologos plurimi, melioribus literis inſtituti, qui ad has friuolas, Theologorum argutias, nauſeant. Sunt qui velut ſacrilegij genus execrentur, ſummamque ducant impietatem, de rebus arcanis, & adorandis magis, quam explicandis,, tam illoto ore loqui, tam prophanis ethnicorum argutijs diſputare, tam arroganter definire, ac diuinæ theologiæ maieſtatem, tam frigidis, imo ſordidis verbis ſimul & ſententijs conſpurcare.

SENEX. At interim ipſi feliciſſime ſibi placent, imo plaudunt, adeo vt his ſuauiſſimis nænijs, nocte dieque occupatis, ne tantulum quidem ocij ſuperſit, vt euangelium, aut Paulinas epiſtolas, vel ſemel liceat euoluere. Atque interim dum hæc augantur in ſcholis, exiſtimant ſeſe vniuerſam eccleſiam, alioqui ruituram, non aliter ſyllogiſmorum fulcire tibicinibus, quam Atlas cœlum hu-

humeris ſuſtinet apud Poëtas.

SENEX. Non reprehendimus theologos doctos & pios, ſed eos qui totam vitam, in huiuſmodi conſumunt quæſtiunculis cum in primis oporteat theologum ipſos imbibiſſe fontes, & in lege Domini, noctes ac dies meditatum eſſe, vt aſſiduitas vertatur in naturam, vt non ſolum intelligat humano more, ſed etiam afficiatur & rapiatur. Nemo vere intelligit Chriſtum, niſi tractus à Chriſto. Tantum abeſt, vt ab his comprehendatur, qui impij propter ſophiſticas nænias, nihil omnino vel ſciunt, vel legunt. Noui permultos theologos, doctores, vt vocant, qui ante quinquageſimum annum, nondum euoluerant omnes epiſtolas Pauli, vt per familiaritatem mihi fatebantur. Iſti quoties ad interpretandum ſacras litteras accedũt, Dij boni, quam frigent, quam ſordent omnia, quam nihil adferunt Chriſto dignum.

EQVES. Illud quoque nonnunquam ridere ſoleo, cum ita demum maxime ſibi videntur Theologi, ſi quam maxime barbare ſpurceque loquantur, cumque adeo balbutiunt, vt à nemine, niſi balbo poſſint intelligi, acumen appellant, quod vulgus non aſſequatur. Negant enim è dignitate ſacrarum litterarum eſſe, ſi grammaticorum legibus parere cogantur. Mira vero maieſtas Theologorum, ſi ſolis illis fas eſt, mendoſe loqui, quanquam hoc ipſum habent, cum multis cerdonibus commune.

IUUENIS. Hoc quod ais, nimis verum eſt in multis, qui nihil exiſtimant, eruditum, nihil acutum, quod non ſit barbaris, ac ſpurcis dictum verbis. Quicquid elegans, id, vt grammaticum aſpernantur. Simplicitas ſermonis probe decet theologum, ſpurcicies minime, quæ non nudam, vt ipſi iactant, oſtendit, ſed oblitam & ſordidatam.

SENEX. Interim admodum grandia de ſeipſis ſomniant, cumprimis autem, quoties quaſi religioſe, magiſtri noſtri ſalutantur, in quo quidem nomine tale quiddam ſubeſſe putant, quale eſt apud Iudæos, τετραγράμματον. Itaque nefas aiunt eſſe, MAGISTER NOSTER, ſecus quam maiuſculis ſcribere litteris. Quod ſi quis, præpoſtere, Noſter magiſter dixerit, is ſemel omnem theologici nominis peruerterit maieſtatem.

IVVENIS. Sed quid de numeroſa illa Monachorum ſiue religioſorum turba ſentis?

SENEX. Hoc hominum genus multi vſque adeo execrantur, vt fortuitum etiam occurſum, ominosũ eſſe perſuaſum ſit, interim tamẽ ipſi ſibi magnifice blandiuntur.

Pri-

Primum ſummam exiſtimant pietatem, ſi vſque adeo nihil attigerint literarum, vt ne legere quidem poſſint. Deinde cum pſalmos ſuos numeratos quidem illos, at non intellectos ſtentoreis vocibus in templis derudiunt, tum vero ſe putant diuorum aures multa voluptate demulcere. Et ſunt ex ijs nonnulli, qui ſordes ac mendicitatem magno vendunt, proque foribus magno mugitu panem efflagitant. Quid autē iucundius, quam cū omnia faciunt ex præſcripto, quaſi mathematicis vtentes rationibus, quas præterire piaculum ſit, quot nodos habeat calceus, quo colore ſingula veſtis, quot diſcriminibus varieganda, qua materia, quotque culmis latum cingulum, qua ſpecie, & quot modiorum capax cucullus, quot digitis latum capillitium, quot dormiendum horis. Atque hæc quidem æqualitas, in tanta corporum & ingeniorum varietate, quam ſit inæqualis, nemo non perſpicit. Et tamen his nugis non alios modo præ ſe naucifaciunt, verum inuicem alij alios contemnunt, atque homines apoſtolicam charitatem profeſſi, ob aliter cinctam veſtem, omnia miris tragœdiis miſcent. Ex his videas quoſdam adeo rigide religioſos, vt ſumma veſte non niſi cilicina vtantur, intima Mileſia, alios contra, qui ſuperne linei ſint, intime lanei. Rurſum alios qui pecuniæ contactum ceu aconitum horreāt, nec à vino interim, nec à mulierum contactu temperantes. Denique mirum omnibus ſtudium, ne quid in ratione vitæ conueniat. Porro magna fœlicitatis pars eſt in cognomentis, dum hi funigeros appellari ſe gaudent, & inter hos alij coletas, alij minores, alii minimos, alii bulliſtas. Rurſum hi Benedictinos, hi Brigidenſes illi Auguſtinenſes, hi Guilhelmitas, illi Iacobitas, quaſi parum ſit eſſe Chriſtianos. Horum magna pars in tantum ſuis nititur ceremoniis, & hominum traditiunculis, vt putet vnum cœlum, parum dignum eſſe tantis meritis, præmium, haud cogitantes futurum, vt Chriſtus contemptis his omnibus ſuum illud ſit exacturus præceptum, nempe charitatis. Alius oſtentabit aqualiculum, omni piſcium genere diſtentum. Alius pſalmorum centum effundet modios. Alius ieiuniorum myriadas annumerabit, & toties vnico prandio pene diruptam imputabit aluum. Alius tantum cerimoniarum aceruum proferet, quantum vix ſeptem onerariis nauibus vehi poſſit. Alius gloriabitur ſexaginta annos nunquam attactam pecuniam, niſi digitis duplici chirotheca munitis. Alius cucullam ingeret, adeo ſordidam & craſſam, vt nullus nauta ſuo dignetur corpore. Commemorabit alius, ſe pluſquam vndecim luſtris ſpongiæ vitam egiſſe

giſſe ſemper eidem affixum loco. Alius raucam aſſiduo cantu vocem adducet. Alius lethargum ſolitudine contractum. Alius linguam iugi ſilentio torpentem, & quid non!

EQVES. Magnam ſcilicet apud hoc hominum genus inibis gratiam.

SENEX. Meminiſti quid ab initio dixerim. Interim tamen meam in dicendo libertaté comprimam, verendum enim, ne in popularibus ſuis concionibus me perſtringant, & obliquis dictis ita me notent, vt nemo non intelligat, niſi qui nihil intelligit.

IVVENIS. Sunt in concionibus ſuis plerunque admodum rigidi, itaque vobis à verborum acrimonia temperandum erit.

Ridicula fabula de theologo quodã.

EQVES. Sunt etiam ſæpenumero (de indoctis & inſulſis loquor) admodum ſubtiles. Audiui quendam, qui in concione celeberrima diuinæ triadis myſterium explicaturus, quo & doctrinam ſuam non vulgarem oſtentaret, & theologicis ſatisfaceret auribus, noua prorſus ingreſſus eſt via, nimirum à litteris, ſyllabis, & oratione, tum à concordia nominis & verbi, adiectiui nominis & ſubſtantiui, mirantibus iam plæriſque, ac nonnullis Horatianum illud apud ſe muſſitantibus, *Quorſum hæc tam putida tẽdunt?* Tandem huc rem deduxit, vt in grammaticorum rudimentis, ſic expreſſum oſtenderet totius triadis ſimulacrum, vt nemo mathematicorum, in puluere poſſet euidentius depingere. Atque in hac oratione θεολογώτατος ille, totos octo menſes, ita deſudarat, vt hodie quoque magis cæcutiat quam talpæ, nimirum tota luminum acie, ad ingenij cuſpidem auocata. Auditus eſt à nobis alius quidam octogenarius, adeo theologus, vt in hoc Scotum ipſum renatum putes, Is explicaturus myſterium nominis Ieſu, mira ſubtilitate demonſtrauit, in ipſis litteris latere, quicquid de illo dici poſſit. Etenim, quid tribus duntaxat inflectitur caſibus, id manifeſtum eſſe ſimulacrum diuini ternionis, Deinde quod prima vox Ieſus, deſinat in s, ſecunda Ieſum in m, tertia Ieſu in u, in hoc ἄῤῥητον ſubeſſe myſterium, Nempe tribus litterulis indicantibus, eum eſſe ſummum, medium, & vltimum. Reſtabat myſterium his quoque retruſius, Mathematica ratione, Ieſus ſic in duas æquales diffidit portiones, vt ſcilicet penthemimeres in medio reſideret. Deinde docuit eam litteram apud Hebræos eſſe ש, quam illi Syn appellent, porro ſyn Scotorum opinor lingua, peccatum ſonat, Atque hinc palam declarari, Ieſum eſſe qui peccata tolleret mundi.

IVVENIS. Quid vero ſentis de Epiſcopis & Cardinalibus? *Epiſcopi Cardinales.*

V SENEX.

SENEX. Si quidem Epiſcopi animo ſecum perpendant, quid ſibi velit mitra bicornis, vtrunque faſtigium eodem cohibente nodo, puta noui pariter ac veteris teſtamenti abſolutam ſcientiam. Quid manus chirothecis communitæ, puram & ab omni rerum humanarum contagio immunem, ſacramentorum adminiſtrationem. Quid pedum, nimirum crediti gregis vigilantiſſimam curam? Quid prælata crux, videlicet omnium humanorum affectuum victoriam. Hæc inquam atque id genus multa ſi ſecum perpendat, triſtem ac ſollicitam vitam agerent. Ad Cardinales, quidem illi ſi ita ſecum cogitent, quid ſibi vult hic veſtitus candor? nonne ſummam & eximiam vitæ innocentiam? Quid interior purpura? nonne flagrantiſſimum in deum amorem? Quid rurſus exterior ſinuoſa capacitate diffluens, ac totam etiam reuerendiſſimi complectens mulam, quamquam vna vel camelo contegendo ſuffecerit. Nonne charitatem latiſſime ſeſe pandentem, ad ſubueniendum omnibus, hoc eſt ad docendum, exhortandum, conſolandum, increpandum, admonendum, componenda bella, reſiſtendum improbis principibus, & vel ſanguinem libenter impendendum gregi Chriſtiano, nedum opes? Hæc ſi perpenderent, nec eum locum ambirent, & libenter relinquerent. Aut certe vitam plane laborioſam ac ſollicitam agerent.

IVVENIS. Quid vero de ſummo Pontifice cenſes?

SENEX. Is certe ſi conetur Chriſti vitam æmulari, nempe paupertatem, labores, doctrinam, crucem, vitæ contemptum, ſi vel Papæ, id eſt, patris nomen, vel ſanctiſſimi cognomen cogitet, quid erit in terris afflictius? aut quis eum locum omnibus emat facultatibus, emptum, omni vi tueatur? Papa.

IVVENIS. Quid vero ſentis de priuatis Sacerdotibus?

SENEX. Illi nimirum vbiuis gentium militariter pro iure decimarum, enſibus, iaculis, ſaxis, omnique armorum vi belligerantur, quam hic oculati, ſi quid ex veterum litteris poſſint elicere, quo plebeculam territeant, & plus quam decimas deberi commuincant. At interim non venit in mentem, quam multa paſſim legantur de officio, quod illi viciſſim præſtare populo debeant. Verum non eſt huius inſtituti, pontificum ac Sacerdotum vitam excutere, ne cui videar Satyram texere.

IVVENIS. Prudenter ſane. Nec enim caret periculo, ipſorum temere attingere infulas.

EQVES. Quandoque tamen

et-

etiam impune, quamuis raro. Exemplo ſit Eraſmus ille Roterodamus. Is namque, gliſcente bello Gallico, tempore Ludouici regis Galliæ, cum Querelam pacis (is erat libelli titulus,) ſcripſiſſet, Iulius Pontifex, cum varia hominum iudicia deſuper audiiſſet, Eraſmum accerſijt. Etſi autem Eraſmus vultu Pontificis perterrefactus eſſet, & valde ſibi metueret, tamen præter opinionem, Pontifex placide eum monuit, ne de regum negotijs ſcriberet, Tu, inquit, talia non intelligis, vt Phalaris Simonidi dixit, μέλοιεν δὲ σοι μυσῶν ἀκλεεῖς τίνες. Cæterum cum de Eccleſiaſticis hactenus; nunc etiam de politicis magiſtratibus, Principibus nimirum, ipſorumque Seruitoribus, vt dicas, audire aueo.

SENEX. Nemo ſane Imperium facile aucuparetur, qui ſecum perpenderit, quam ingens onus ſuſtineat humeris, qui vere principem agere velit. Eum qui rerum gubernacula ſuſceperit, publicum, non priuatum negocium gerere, nihil niſi de commodis publicis oportere cogitare. A legibus, quarum ipſe & auctor & exactor eſt, nec latum digitum diſcedere. Officialium omnium & magiſtratuum, integritatem ſibi præſtandam eſſe. Seſe eſſe vnum, omnium oculis expoſitum, qui vel ceu ſydus ſalutare, morum maximam rebus humanis ſalutem poſſit adferre, vel veluti cometa lætalis ſummam perniciem inuehere. Aliorum vitia neque perinde ſentiri, neque tam late manare. Principem eo loco eſſe, vt ſi quid vel leuiter ab honeſto deflexerit, grauis protinus ad quam plurimos homines vitæ peſtis ſerpat. Tum quod multa ſecum adferat principum fortuna, quæ ſoleant à recto deducere, quod genus, deliciæ, libertas, adulatio, luxus, hoc acrius enitendum, ac ſollicitius aduigilandum, nec vbi vel deceptus ceſſet in officio. Poſtremo vt inſidias, odia, cæteraque vel pericula vel metus omittã, capiti imminere, verum illum regẽ qui paulo poſt ab eo ſit, etiam de minimo quoque commiſſo, rationem exacturus, idq; tanto ſeuerius, quanto præſtantius geſſit imperiũ. Hæc inquam atq; huiuſmodi plurima, ſi princeps ſecum perpenderet (perpendit aũt ſi ſapit) is nec ſomnum, nec cibum opinor, iucunde capere poſſet.

Principis boni forma.

EQVES. Eſt inſignis iſthæc boni principis idea, ad quam, ſiquidem ſe quiſq; conformaret, næ ille boni principis perſonam ageret.

SENEX. At ſunt tamen etiam quandoq;, qui has omnes curas diis permittunt, ipſi vero interim ſeſe molliter curant, neque quenquam ad aurem admittunt, niſi qui iucunda loqui norit, ne quid ani-

Principum malorum ſtudia.

animo ſollicitudinis oboriatur. Se probe principis partes omneis impleuiſſe credunt, ſi venentur aſſidue, ſi bellos alant caballos, ſi ſuo commodo vendiderint magiſtratus ac præfecturas, ſi quotidie nouæ rationes excogitentur, quibus ciuium opes attenuent, & in ſuum conuertant fiſcum. Verum id appoſite repertis titulis, vt etiam ſi ſit iniquiſſimum, aliquam tamen æquitatis ſpeciem præ ſe ferat. Addunt data opera nonnihil adulationis, quo populares animos vtcunque ſibi deuinciant. Fingite mihi nunc (quales ſunt nonnunquam) hominem legum ignarum, publicorum commodorum pene hoſtē, priuatis intentum commoditatibus, addictum voluptatibus, oſorem eruditionis, oſorem libertatis ac veri, nihil minus quam de reip. ſalute cogitantem, ſed omnia ſua libidine ſuiſque vtilitatibus metientem. Deinde addite huic torquem aureum, omnium virtutum cohærentium conſenſum indicantem, cum coronam gemmis inſignitam, quæ quidem admoneat, eum heroicis omnibus virtutibus, oportere cæteris antecellere. Præterea ſceptrum, iuſticiæ, & vndecunque incorrupti pectoris ſymbolum. Poſtremo purpuram eximiæ cuiuſdam in remp. charitatis indicium. Hæc geſtamina, ſi princeps malus cum ſua vita conferret, equidem futurum arbitror, vt plane pudeſcat ornatus ſui, vereaturq; ne quis importunus interpres, totum hunc tragicum cultum, in riſum, iocumque vertat.

Proceres aulici.

EQVES. Quid vero de proceribus aulicis ſtatuis?

SENEX. Boni principes bonis delectantur aulicis, curantque vt ſi qui mali ipſorum aulis ſeſe inſinuarunt, protinus auerruncentur. Exemplo regij Prophetæ Dauidis, qui quam pia ſedulitate aulæ ſuæ proſpexerit de proceribus ac famulis piis atque vitæ integritate conſpicuis, *Pſalmo 101.* per totum exponit atque deprædicat. Quod vero ad malorum Principum Proceres aulicos attinet, illi ad ſuorum principum in quorum viuunt ſeruitijs, nutum ac mores ſeſe accommodant. Atque his quidem, tametſi nihil ſit ſeruilius, inſulſius, abiectius, tamen omnium rerum primos, ſeſe videri volunt. Hac vna in re tamen modeſtiſſimi, quod contenti aurum, gemmas, purpuram, reliquaq; virtutum ac ſapientię inſignia corpore circumferre, rerum ipſarum ſtudiū omne concedunt alijs. Hoc abunde felices ſibi vidētur, quod regem herum vocare liceat, quod tribus verbis ſalutare didicerint, quod norint ciuiles titulos ſubinde inculcare: Serenitatem, dominationem, & magnificentiam. Quod egregie perfricuerint faciem, quod feſtiuiter adulentur. Nam hæ ſunt artes, quæ ſcilicet vere nobilem & auli-

aulicum deceant. Cæterum ſi vitæ rationem omnem propius inſpicias, nimirum Sponſos Penelopes dixeris.

IVVENIS. Sponſos Penelopes Homerus nulli rei præterquam epulis, choreis, cantilenis, & Veneri ſtuduiſſe dixit. Vnde de procis loquens ait, Αὐτὰρ ἐπὶ πόσιος καὶ ἐδητύος δ' ἔρον ἕντο μνηστῆρες, τοῖσιν μὲν ἐνὶ φρεσὶν ἄλλα μέμηλε μολπή τ' ὀρχηστύς τε τὰ γάρ τ' ἀναθήματα δαιτός. id eſt, Cæterum vbi potu ciboque ſatiati fuerunt proci, his quidem animo alia curæ fuerunt, cantus, ſaltatioque, hæc enim ſunt additamēta conuiuij. Nunc porro illorum laudes decanta.

SENEX. Dormitur deinde in medios dies. Ibi ſacrificulus mercenarius ad lectum paratus, qui propemodum cubantibus adhuc ſacrum expeditè peragat. Mox ad ientaculum; quo vix peracto, iam interpellat prandium. Sub id alea, latrunculi, ſortes, ſcurræ, Moriones, ſcorta, luſus, inficetiæ, Interim vna aut altera merenda. Rurſum, cœna, poſt hanc repotia, Atque ad hunc modum, citra vllum vitæ tædium, elabuntur horæ, dies, mēſes, anni, ſæcula. Quod ad Nymphas aulicas attinet, hem quantopere videmus illas μεγαλορρημονεῖν, id eſt, oſtentantes ſeſe, dum vnaquæque hoc ſibi videtur diis propior, quo caudam longiorem trahit. Sed & proceres itidem ſeſe oſtentantes, alius alium cubito protrudit, quo Ioui vicinior eſſe videatur, dum quiſque ſibi hoc magis placet, quo grauiorem catenam collo baiulat, vt robur etiam, non opes tantum oſtentent.

Nymphæ aulicæ.

EQVES. Vſque adeo inſanis iſtis ac monſtroſis centauris pluſquā viris probis & ſapientibus fauere ſæpenumero fortunam cernimus, vt his fuerit plerunq; inimiciſſima, illis vero etiam dormiētibus omnia ſæpenumero adduxerit commoda. Atque hinc etiam vulgo enatum videtur prouerbium: Quo quiſq; eſt ſtultior, eò eſt fortunatior. Quocirca etiam olim Sotades pleroſque omnes triſtem habuiſſe exitum, indignatus ſcripſit: Σωκράτην ὁ κόσμος πεποίηκε σοφὸν εἶναι, καὶ κακῶς ἀνεῖλε τὸν Σωκράτην ὁ κόσμος. Ἐν τῇ φυλακῇ κώνειον ὅτι πιὼν τέθνηκεν. Πουλυπόδα φαγὼν ὁ Διογένης ὠμὸν τέθνηκεν. Αἰσχύλῳ γράφοντι ἐπιπέπτωκε χελώνη. Σοφοκλῆς ῥᾶγα φαγὼν σταφυλῆς πνιγεὶς τέθνηκε. Κύνες οἱ κατὰ Θρᾴκην, Εὐριπίδην ἔτρωγον τὸν θεῖον Ὅμηρον, λιμὸς κατεδαπάνησεν. id eſt, Socratem mundus fecit ſapientem eſſe. Et male ſuſtulit Socratem mundus. In carcere cicutam, quoniam bibens mortuus eſt. Polypedem comedens Diogenes crudum mortuus eſt. Aeſchylo ſcribenti incidit teſtudo. Sophocles acinum comedens vuæ, ſuffocatus periit. Canes Thracij Euripidem vorauerunt. Diuinum Homerum fames confecit. Contra Timo-

Fortunæ fauor & aduerſitas.

motheus dux Athenienſium, longe omnium fuit fortunatiſſimus, de quo Suidas ſic ſcripſit· Ἐποίησι τε αὐτὸν ἐν εἰκόσιν οἱ ζωγράφοι κοιμώμενον, καὶ τὰς τύχας φερούσας αὐτῷ εἰς δίκτυα πόλεις, καὶ περιθοῦντα αὐτὰς, αἰνιττόμενοι τὴν εὐδαιμονίαν αὐτοῦ, ἀλαζονευόμενος δὲ ἐπὶ εὐτυχίᾳ ὁ Τιμόθεος, ἔφη αὐτοῦ εἶναι μᾶλλον, ἢ τῆς τύχης τὰ κατορθώματα. διὸ καὶ ἠτύχησεν ὕστερον, νεμεσησάσης αὐτῷ τῆς τύχης. id eſt, Finxerunt ipſum in imaginib⁹ pictores dormientem, & fortunas ferentes ipſi in retia ciuitates, & populātem eas, innuentes felicitatem ipſius, ſuperbiens autē propter bonam fortunam Timotheus, dixit, ipſius magis quā fortunæ eſſe, egregie facta. Quocirca infelicior euaſit poſtea, indignante ipſi fortuna.

IVVENIS. Hinc nimirum vulgo videmus, ſapientibus iſtis cum paupertate, cum fame, cum fumo rem eſſe, neglectos, inglorios, inuiſos viuere. Stultos affluere nummis admoueri Reipubl. gubernaculis, breuiter florere modis omnibus. Hinc eſt, quod ſæpenumero etiam ipſi negotiatores lucrū facturi periurio minus offendantur, nec ſi in mēdacio deprehendātur, facile erubeſcant. Et ipſa teſte experientia, ſi honores atque opes ambiuntur Eccleſiaſticæ, ad eas vel aſinus vel bubalus citius plerunq; penetrat, quā ſapiēs. Vſque adeo in fortunæ arbitrio ſitam eſſe hominum felicitatē aut infelicitatem vulgo autumant.

SENEX. Nimis itaque vera eſt illa vel pueris nota Ciceronis ſententia, qua ſtultorum omnia plene eſſe dictitat, dum omnia fortunæ nutui atq; arbitrio ſubeſſe vulgo exiſtimāt; quæ quidem etiā rudioribus illis ſeculis de fortuna, fuit hominum opinio; cum n. tum bona tum mala plurima repente obiicerētur, præterq; rationem atq; agendi propoſitū ac rationem, magiſq; omnino cōtingerēt, quam ordine ac lege proficiſcerentur ſui, aut electioni cōſentirēt, adeoq; ꝑ libito magis, quam ratione, aut ex concepta ſententia, cōſtitutoq; nūc proſperos afferret, nunc contrarios euentus: nec tamen præuiſos ante, nec etiā, vt dixi, expectatos, ac ſępenumero parum meritos, non raro iniquos iniuſtoſq;, & quorum fortuna ipſa accuſari iure quidē poſſit in vtramq; partem, ſiue proſper ſucceſſus ipſe fuerit, ſiue aduerſus. Nam & prudenter adminiſtratę res, actioneſq;, ac ſecundum rectam progredientes rationem, non raro propter fortunæ ipſius impetus infelicitẽr cedunt. Ignauiter verò interterque, ac præter rationem negotia reſque ipſas adminiſtrātibus, feliciſſime ſupraq; ſententiam atque conſiliū per quam frequēter ſuccedit. Quid quod eadem ipſa bonis viris aduerſa plerūq; obiicit plurima, prauis autem, ac maxime flagitioſis ſecunda offert & læta? De fortuna itaque antequam colloquium hoc finiamus, paucis diſſeremus.

IVVE-

IVVENIS. Scio quid velis. Nimis libere ſuperius quædam dixiſti, dum in ſtultorũ numerum maximã ferè totius generis humani partem referre voluiſti. Sed enim ſatisfiat à nobis tuæ voluntati. Ac ſane rudioribꝰ illis ſeculis eam quã de fortuna in medium ꝓtuliſti, fuiſſe hominũ opinionẽ, haud eo inficias. Quid vero ſapiẽtiores de fortuna ſenſerint, indagandum nobis eſt.

Fortuna quid.

EQVES. Ariſtoteles ſane, potiꝰ quid non ſit, quàm quid ſit fortuna, definiuit, dum fortunam nec Deũ, nec naturam, minime vero intellectum aut rationem eſſe, expreſſit. Quomodo enim Deus erit, ſi tã ſæpe, tam incõſiderate, tam etiam inique atq; ex opinato extollit ignauos, locupletat immeritos, vexat atq; affligit inſontes, bonos in calamitatẽ adducit, ac ſeruitutẽ, prauos ſtatuit in ſolio, liberat à periculis peruerſos; moderatos & honeſtos viros laboribus, periculis, ęrumnis ac miſeriis conficit? Tyrannorum hęc ſunt, non Dei, cuius eſt ſumma bonitas, abſoluta iuſtitia, rectiſſimum iudicium, æquiſſima rerum omniũ diſpenſatio. Naturam quoque nõ eſſe fortunam, hæc ipſa liquido ſatis docent, quod fortuna ipſa quidẽ incõſtans eſt, inordinata, varia, repẽtina, incerta. Cõtrà vero quid natura ipſa ordinatius, conſtantius, certius? cuius is eſt ordo, ea lex ac regula, vt non niſi certis, cõſtitutiſque è principus ſuo tempore, ſuis progreſſionibus menſuriſq; tum vniuerſa proueniant, tum etiam ſingula, quarũcunque ipſa rerum, effectionum, operum autor eſt & cauſa. Pergit natura ordine ſuo, graditur ſuis paſſibus, diſpenſat actiones ſuas cũ temporibus, viribꝰ opibuſque ſuis vtitur cum menſura & penſo, non fluitat, non mutat, ſtabilis eſt in officio ſuo, ſibique ſemper conſtat. Cum ſecus hæc omnia cernantur in fortuna, quippe quæ obiiciat potius quam det aut offerat: ruat potius quam incedat: profundat veriꝰ quam diſpenſet: atque vt repentina & improuiſa tanquam ex inſidiis prodit, ſic abit, vel deſerit potius, inſalutato quod dici ſolet hoſpite. Sed neq; cũ intellectu vix aliquid habere eam cõmune, illud docet, ꝙ intellectus in iis verſatur, quæ intelligibilia ipſa quidẽ ſunt: fortuna vero in iis quæ ab eadẽ ipſa dicantur fortuita, habeanturq; externa. Quin ea ipſa videtur intelligentiæ potius, mentique hominis aduerſari. Nam ſi fortunæ effectiones, operaq; præter propoſitum cõtingunt, ſecuſq; quam ante & elegerimus, & decreuerimꝰ, quonam modo intellectus idem erit ipſum ꝙ fortuna? Cum electiones, conſtitutioneſque, ac propoſita noſtra ab intelligẽtia ꝓficiſcãtur, deq; cogitationũ, ac meditationũ fontib. manent. Quibus è rebus efficitur, vt eadẽ hæc forma abſit à ratione etiã quam lõgiſſime. Quid enim ratione ordinatius? Rurſus, quid fortuna

minus.

minus compoſitum? Rationis quidem proprium eſt, modum adhibere, ac menſuram, regulamque in cunctis ſequi. At fortunæ exceſſus plerunque eſt, aut defectus. Hæc vbique mutabilis, atque inconſtans: illa ſtabilis, ac certa, à rato enim ratio dicta. Ad hæc ratio cuncta metitur, diſponitque, atq; aptat ſingula, fortuna vero minime circunſpecta eſt. Illius quoq; æquabilitas propria eſt, ac perpenſio, huius inæquabilitas atq; inconſideratio. Præterea quorum ratio moderatrix eſt, eadē ipſa aut vbique ſunt, aut plerunque. Ad fortunam autem nihil certum, nihil ſibi conſtans, cōtinuatumque, nihil denique quod in futurum ſibi hæreat, referendum.

EQVES. Interim tamen fortunam cauſam aliquam eſſe & bonorum & malorum plurimorum, ac valentiſſimam quidem cauſam vel maximi etiam Philoſophi tradunt.

SENEX. Nos qui ſumus diuinæ Maieſtatis ſtudioſi, id quod Fortunam alij, Dei nutum voluntatemque dicemus; cuius quidem conſtituta decretaque ſint hominibus incōperta, nec fas ſit nobis legem, ac metam Deo præſcribere, nec occultam eius citari velle ſententiam. Nam & boni, & maximè officioſi in ſubiectos populos reges multa quidem agunt, quorum cauſæ ipſis ſint popularibus parum notæ, vtiliter tamen prudenterque & excogitata ab illis, in parentum vſum ſunt, & conſtituta ſummo etiam ſtudio & ratione. Itaque Dei hæc, quę ad fortunam referantur, ſecreta eſſe, cauſamque cur ita ſit illi placitum, vel cum bonum improbo, vel malum bene inſtituto viro offertur aliquod nullo eſſe pacto perſcrutādam: permittendumque illi eſſe res noſtras omnes, quę imperio eius ſubiaceāt, pro arbitrio diſpenſare, ſuaq; è ſententia: ab illius verò voluntate, præſcriptoque minime diſcedendum, aut ei tergiuerſandum eſſe. Quorū opinioni tantum abeſt, vt repugnemus (Chriſtiani enim ſum⁹) vti noſtra omnia ad ſupremi illius numinis voluntatem conſtitutionemq; referenda cenſeamus: & quicquid vel decretū ab illo, vel permiſſum, aut conceſſum videatur, illud & iuſtum, & rectum, ac maxime etiam ſanctum & habendum, & iudicandum.

EQVES. Variæ vbiuis extant Fortunæ viciſſitudines, quibus ſi quos proſpere vti cōtingit, eos fortunatos, quibus econtrario, eos miſeros iudicemus. Exemplis quod dixi, faciam magis illuſtre. Perſei regis filium, eius quidem Perſei, quē Paulus Æmilius in triumphum duxit, ferrariam exercuiſſe officinam legimus, figuli filium Agathoclem regnaſſe in Sicilia. Valerianus Romanorum Imperator captus à Parthis, in teterrima ſeruitute, & vixit multos annos, & tandem mortuus eſt. Apud hos eoſdem Parthos, qui pri-

primus ex Arſacidum regnauit familia, eius conditio haud alia initio quam mulionis fuit. Pupieni Maximi, quem Senatus publico conſenſu in Auguſtum euexit, pater rhedarius fuit faber, vtque alij tradidere, ferrarius. Maximini Auguſti patria vicus fuit Thraciæ planè ignobilis, pater Gotthus, mater Alana, quorum nomina vix etiam fuere memoriæ prodita. Mutium Sphortiam ab aratro, atque ab aſino, quæ nam ratio, quodve ratiocinandi ſtudium maxime adoleſcentem euocauit ad militiam? Catamelata furnarij Narnienſis filius, cum lignatum puer à patre miſſus eſſet, amiſſa in ſylua falce lignaria, dū patris iram veretur, prætereuntem ſecutus eſt militem, breui autem is euaſit dux, vt à Veneto Senatu, virtutis ergò, ſtatuam equeſtrem in maximè celebri Patauij loco poſitam ſolus meruerit. Atque hæc quidem omnia cum ad fortunam referantur, eorumque ſit cauſa initio quidem nobis ignota, quæ poſtmodum progreſſionibus ſeſe ſuis & aperit, & declarat. Itaque qualis ea ſit, & quam etiam pollens, ac valida eius vis, vita ipſa planè docet noſtra. Cum ſingulis pene diebus videamus, temere res ſuas adminiſtrantibus feliciſſime tamen eis ſuccedere: prudenter verò, ac ratione recta ſeſe moderantibus, non parum modò proſpere, verumetiã maxime infeliciter. Quo fit, vt fortuna ipſa prudentiæ potiſſimum videatur aduerſari, quæ cum ab intellectu, cogitationeque ortũ ducat, quis erit qui fortunam ad intelligentiam, ac mentem referat? Cum illa prudentiam exuſcitet, hæc illi maxime aduerſetur, & à fine ſæpiſſime diuertat optato.

Ivvenis. Hic nimirũ eſt Fortunæ campus, hæc paleſtra, vbi nimirum negotia ſæpius prudentiſſime ſuſcepta, adminiſtrataq; ſumma etiam cum ratione, & vſu quam accommodatiſſimo, infeliciter tandẽ cedunt. Contrà verò parum conſiderate incepta, minimeque prudẽter, quin etiam vel maxime incompoſite, inordinateque tractata, fortunatiſſimos habent euentus.

Eqves. Interim tamen negandum non eſt, Fortunam ipſam haud rarò inſtrumẽtum quaſi quoddam exercendo muneri ſibi comparare, quæ ratione conſtant atque prudẽtia, verbi gratia, è legib. ac teſtamentis, quibus condendis ciuiles conſtitutiones prudentiſſime conſulũt, cõſenſuſque accedit hominum, ratione ſuadẽte. Non paucos enim ſatis longo interuallo, extinctis ꝓpioribus heredibus, cum ipſi magna etiam premerentur egeſtate, repente tamen hereditatis ac legum beneficio, locupletatos videmus, vt ipſi ſibi magis videantur repentinum id bonum ſomniare, quam initio credere, tantum diuitiarum tam ex inſperato à fortuna eſſe obiectum. *Hereditates fortuitæ.* Refert Antonius Panhormita lite-

ratorem quẽdam Germanum,quo puer ipſe vſus eſſet magiſtro, conſeniiſſe Panhormi in Sicilia, profitendis literis. Cumque & ſenio iam & inopia contabeſceret, ex inſpirato profectos è Germania nobiles viros,qui eum reduxerunt in patriam, mortuis iam agnatis omnibus, qua via non illorum bonis tantum domeſticis hæres ſucceſſit, verum aliquot etiam oppidorum dominatui, quibus maiores eius præfuiſſent. Itaque humanarum perſepe conſtitutionum opera, legumque patrocinio, quæ ciuilis ratio eſt, fortuna ipſa vtitur. Sed & Franciſcus Mutij Sfortiæ filius,iure vxorio in Ducatu Mediolanenſi ſurrepſit: nam patre mortuo, qui ex agaſone ad maximè clarum Imperatorem peruaſiſſet, cum ei in re militari & gloria ſucceſſiſſet Franciſc⁹, ob virtutem gener à Philippo Maria Mediolanenſium duce aſcitus eſt, collocata ei Blanca è concubina filia, quæ poſt patri ſucceſſit, cum ille deceſſiſſet, nullis legitimis liberis ſuperſtitibus. Quem dominatum ipſis diebus Ludouicus fili⁹ per ſummam ignauiam amiſit. Nãque aduentu Ludouici Gallorum regis in Italiam deterritus, impellente metu, exanimatuſque formidine,nocturnam fugam populis pariter militibuſque ignorantibus, in Rhetos turpiſſime arripuit: quo ignauius ne quippiam, neſciam, an ſol viderit.

IVVENIS. Conſueuit nimirum Fortuna, quod quidem eius naturæ propriũ eſt,variare,quare incõſtans merito dicta, & dona etiam ſua cõfundere, nullũ aut ordinem ſeruás, aut regulam, indeque temeraria, vt ventorum imitari incõſtantiam videatur atq; impetum. Sed tamen & hęc ipſa,quanquam rarenter admodum, ſecuſq; quam conſueuit, conſtantior tamen aliquando exiſtit, & tenorem ſemel conferendis bonis cœptũ cõtinuat,eademq; pergit via. Quod quibus contigit,fortunæ eos filios appellare conſueuimus. Itaq; vt bona & mala,proſpera vel aduerſa. pro merito ſuo dicitur: ſic modo parũ ſibi omnino cõſtat, modo ſtabiliorem ſeſe oſtendit, minuſq; variabilem,ꝙ ventorum quoque proprium,ac ſolitum munus eſt.Eiuſdẽ quoq; peculiare eſt munus, nullam retinere aut menſuram, aut modũ, nullumque habere diſcrimen. Nam quoties ei videbitur,ac placitum fuerit, fies tu quidem, vt Satyricus loquatur ille, de rhetore conſul: atque haud ita multo poſt,de conſule rhetor. Maximin⁹ Auguſtus,è ſordidiſſimo Thraciæ tugurio, ignobiliſſimis parentibus, nullis omnino maioribus ad Imperium Romanum à fortuna profectus eſt. quid rarius? Florianus Auguſtus è maximo imperio in ſeruitutẽ corruit. cuius ſeruit⁹ eõ fuit indignior,quod quoties Parthorum rex equum aſcendebat, de lumbis proſtrati eius ad equi latera

Fortuna nec menſuram nec modum retinet.

cera ſuſſultabat equeſtrem in ſellā. quid miſerabilius? C. Marij rebus quid inopinabilius, aut variantius? Quid denique illatum incōſtantia, magnitudine, proſtratione, quid ei⁹ victoriis aut cladibus admirabilius? magiſq; incogitatū, ante quam contingerent, aut inexpectatum? Quid contra L. Sullæ felicitatibus, ac ſecundis rebus accumulatius? vt inde Felix ſit agnominatus. Ex his igitur eos proprie magis, atq; vſitati⁹ fortunatos dicimus, quib⁹ fortuna ipſa diutius arriſerit, appartueritque fouendis eis firmior ac ſtabilior: quorum etiam merita vix aliqua antecedunt quæ dignos iis beneficiis illos faciant, non aſſiduę prudenteſq; cogitationes atque conſilia, non ingenij validæ vires, ſolertiaque per magna & rara non maioribus denique in rebus diuturnior exercitatio, ac rerum plurimarum vſus?

SENEX. Quoſnam verò vel tādem vere fortunatos nuncupandos antumatis?

IVVENIS. Eos nimirum, quibus vt peruulgatè loquuntur, fortuna vigilātibus obuenit. Sunt autem hi non multi, cum omnes tamē cupiant fortuna ſecunda vti. Atque his ipſis, quos verè fortunatos dixiſti, ſæpenumero vſu venit, vt pręter prudentium hominum conſilia, præter experiētium ſenum monita, aduerſuſque ſapientiſſimorum virorum exempla, neglectis, deſpectis, repudiatis amicis atq; conſiliariis omnibus, negotium aggrediantur aliquod, quod periculoſiſſimum maximeq; exitioſum omni è parte appareat: & tamen ipſi ſoli illud ſibi agendum ſuſcipiant, eique adminiſtrando modum quoque adhibeant, à cæteris omnibus improbatum, alienumque vtique ab aliis iudicatum, ac nihilominus feliciter illud perficiant, præter omnium aliorum mentes ac iudicia. Atq; vt Poetas ipſos peculiaris illa cōmotio maiorq; mentis exagitatio alios in Heroo, in Elegiacō alios ſiue Tragicis aut Comicis ſeu Lyricis in numeris claros atque illuſtres facit: ſic fortuna alios diuitiis præter modū, alios victoriis, alios potentia, magiſtratib⁹, præfecturis, Imperijs, vt diuerſis etiam modis alios atque alios ditet, honeſtet, amplificet, altiuſque etiā euehat, cum ſecundam ſeſe exhibet atq; fauorabilem. Qua via fortunatio ipſa eſt etiam diuerſimoda, efficiturque vt fortunatorum hominū non vnum, ſed multiplex ſit genus. Fortunauit alios vis hæc ac natura in bellicis, alios in pacis ocijque rebus, alios paſcendis gregibus atque armentis, hos commutandis mercibus, nunc mari, nunc terra, illos exercendis agris, quoſdam comparandis literis: non paucos, dum in procerum ac regum aulis verſantur, permultos etiam colenda religione, vt multiplicibus modis fortuna, quos idoneos nacta eſt, quodque libido ejus fert, eos & locupleter

Vere fortunati qui.

Diuerſa fortunatorum genera.

pletet, & extollat. Qua è re id efficitur, cum fortuna impetus ſit, ipſe autem impetus parum obſequatur rationi, vt mirum minime ſit, ſi vulgus in id quoque conſentit. Quo in negotio, quaque in re amplior datur ac maior fortunæ locus, in iis aut nullum, aut omnino per quam exiguum dari rationi aditum. Atque ex aduerſo, vbi rationis maxima ſit autoritas, illic fortunæ aut certe nullam, aut omnino minimã fore. Quodſi aliquando in vnũ forte conueniant, inde ipſum proficiſcitur, quod fortunæ nihil inſit perpetuum: quę vt plerunq; aduerſatur rationi, ſic interdũ illi quaſi inſidiãs blãdiatur, & vultum quam maxime benignum offerat, vt non fauor ille magis, quam dol⁹, aut pallacia quaſi quædã dici iure debeat. Etenim maris atque aquarum propria cum ſit agitatio, iiſque innatum ſit, æquæ atque aëri, nunquam vt conſiſtant, tamen & mare quandoque motum illum ſiſtit ſuum, & aquæ ipſæ reſtagnant, aërque ſic interdum conquieſcit, vt recte de iis dicatur.

Cum venti poſuere, omniſque repente reſedit

Flatus, & in lento luctantur marmore tonſæ.

Et vero de fortuna non recte minus ac proprie, quam de mari Lucretianum illud dici poteſt.

Placidi luſit pellacia ponti.

Nam quantopere inſidioſa fortunæ ſit blandita, ac ſecundior eius flatus, docuit venenoſus ille Annibalis tandem annulus, docuit ſceleratus atque infelix Pompeij exitus in Ægyptio litore, Iulij item Cæſaris in curia Pompeiana, Alexandri Seueri in patenti & libero militibus prætorio, necnon & Marci Antonij in eius ipſius ac Cleopatræ thalamo. Quos omnis, vt de aliis taceamus, fortuna ſic extulit, vt eorũ ſint exempla quam rariſſima.

EQVES. Varia ac diuerſa fortunatorum eſſe genera, vere dixiſti. Eſt namque genus vnum fortunatorum, quibus quidem cõtigit, eoſdem ipſos ea ſibi comparaſſe, per quæ fortunati habeantur. Eſt & eorum aliud, quos hereditas maiorũque patrimonia, ac cenſus abunde multum fortunauit. Eſt & illorum tertium quibus nec cupiẽtibus, nec operam, laboremue ſuum in id impartientibus, locupletibus tamẽ eſſe contigit: vt quibus ſecundũ quietem monſtratus eſt theſaurus ſub terrã defoſſus, quem ſtatim expergefacti è ſomno, recluſum inueniũt. Quartum quoque illorum his accedit genus, quos opulẽti ac primates viri, cum orbi ſint liberis, eos ſibi adoptant aut arrogant. Alij item, quibus aut populorum principes, aut magni reges plurima conferunt externis è bonis. Eſt & alius fortunandi modus, & ipſe quidem multiplex, quando alios fortunatos res fecit vxoria, alios eximia forma, atque è libidine, qui eſt amor, alios à paren-

parentibus expoſitos fortuna ipſa ſibi illos ſuppoſuit, aliuſque atque alius modus alios ditauit atque alios. His autem illi annumerantur omnibus, quos non collata bona, quo fortunatos vocaremus, præſtitere, verum malorum ipſorum repulſio, atque euaſio. Vt qui cum maximis circum obſideantur periculis, nec euadere illa ſe poſſe confidant, fortuna tamen ipſa repente, atque ex inſperato illos liberat. Vt qui capitis condemnati, maneque ducendi ad ſupplicium, noctu exorto inter ciues tumultu, cæſo inter rixantes prætore, effractoque à tumultuantibus carcere, liberantur. His accedunt quos fortuna ab ignoratis, ac nullo modo præuiſis periculis, inſperata ipſa eximit: vt qui inuitati ad nuptias, die ſtata cum hoſpite, tranandus cum eſſet fluuius, illo repente tumefacto de nimijs ac repentinis imbribus, à tranſitu prohibentur. Interimque dum ipſi cis flumen à torrente prohibiti morantur, ædes vbi cœnaturi erant, corruunt, de fundamentorum vitio aut contignationis. Admirabile vero fortunationis genus ſuperior ætate viſum eſt in Matthia Coruino, Hungarorum rege. Is adoleſcens admodum non parum temporis compeditus, atque in carcere male habitus, dum ſecurim timet, iramque Hungariæ ac Pannoniarum principum, è ſqualore illo ac pœdore teterrimi carceris ex inſperato in ſellam repente regiam tractus eſt. Sed & in Ludouico Aurelianenſi duce, qui pugnans aduerſus regem Galliæ captus cum eſſet, capitiſque damnatus patrum ac iudicum omnium ſententijs, in carcere cuſtodiretur ad ſupplicium, à Carolo Octauo rege aduerſus omnium ſententiam atque opinionem abſoluitur, atque ab ipſo rege reſerato carcere equo acceptus in regiam deducitur: nec multos poſt annos Carolo ipſo abſque liberis decedente, Galliarum rex creatur, vno patrum ac procerum conſenſu. Atque haud multo poſt Ludouico Mediolanenſium duce, de metu aduentus eius in Italiam conſternato, clanculumque ab illo arrepta fuga, Inſubrium ei omne deditur, cum tranſpadanis, quique cis Padum ſunt populis. Hæc igitur fortunatorum ſunt fere genera, quæ tamen diuidi in longe plureis etiam poſſunt ſpecies, idque cuiuis in promptu eſt. Nobis ſatis fuerit, hæc attigiſſe.

SENEX. Ecquando tandem etiam phraſes Chriſtianas in hoc veſtro de Fortuna, ſermone vſurpabitis? nec enim fluitare res ipſas & hominum & terrarum & cæli per imprudentiam, aut incuriam aut negligentiam exiſtimandum eſt. Ipſam Dei prouidentiam rebus ipſis initio affuiſſe, illiſ-

que & nunc & vbique adeſſe, atque, affuturam, & cæli motus cõuerſioneſq; tam ordinatè cõpoſitæ, & religio ipſa mẽtibus hominum infixa, cultuſque cælitum à natura profectus manifeſtiſſime declarant. Nam quod quæ ſunt & mouentur & viuunt, à Deo quidem eſt: & quod ordine ſuo moueantur, & ſeriem mouendi teneant, à quonam niſi à Deo exiſtit? Cumque motus cauſa ſit omnium quæ gignuntur & occidunt, vndenam obſecro motus eſt ipſe niſi à Deo? qui prima & origo eſt & cauſa. Proindeque fortuna ipſa ad Deum, vt ad principem rerum omnium cauſam eſt referenda.

EQVES. Videndum tamen eſt, ne hoc ipſo Deum iniuſtitiæ, parumque honeſtæ diſpenſationis condemnemus. Cum fortuna ipſa & prauis adeſſe ſæpenumero, & bonis nocere ſoleat. Quod vt euitemus (eſſet enim hoc ipſum de Deo ſentire, res ſupremum in modum nefaria) ita tenendum ac ſtatuendum ducimus, nihil in Deo eiuſque voluntate ac lege diuerſum ineſſe, vniuſque prorſus formæ voluntatem eſſe eius, non diſſentire ipſum ſibi, non vacillare, non in diuerſum rapi, eundemque ſemper eſſe, eademque vbique velle. Itaque quod vniforme eſt, quod idem, quodque nullo modo variat, labiturve in diuerſum, Deo id ipſi, vt origini, vt principi cauſæ omnino tribuendum. Quod vero variat, diuerſoque agitur modo, id minime à Deo proficiſcitur, verum à diuerſitate rerum ipſarum, quæ & moueantur, & informentur, quæve ſecundo loco & ipſæ quoque moueant, & informent. Verbi gratia: Ignis proprium eſt calefacere: hoc autem igni tribuitur motore ab eo, qui cœlum agitat: ipſi autem motori, de Dei id voluntate ac lege & permiſſum eſt, & attributum. Itaque calor ipſe variat, neque vnus in iis eſt, quæ ab eo concaleſcunt omnibus, manat igitur exiſtitque diuerſus ac varius è calefactione effectus, pro natura rei eius, quæ concaleſcit. Atque hæc quidem varietas, tantaque etiam diuerſitas nequaquam ad Deum referenda, verum ad naturam potius calefacti, aut forſan etiam ad vim eiuſdem qui ſecundo mouet loco, inſtillatque igni calorem, roburque calfaciendi, forſitan etiam ad vtrunque. Quocirca rerum diuerſitas aliaque atque alia, tum rerum motoribus attribuenda, tum rebus ipſis, perinde vt res ipſæ ſunt diuerſæ. Qua ratione & via Deus ipſe, vt princeps, atque vniformis cauſa, omni culpa vacuus eſt. Quid enim ad Deum diuerſitas hæc, quod idem ipſe ignis lapidem in calcem excoquat, in carbonem quercum ac cinerem? liquefaciat plumbum, cogat lutum

Fortuna ad Deum referenda.

rum, atque obſtringat in regulam? Dabo exemplum de pecunia huc quadrans: Pecunia in manu viri liberalis poſita vertitur in erogationem, vſumque eius, atque commoditatem in quem erogatur. At furioſus illam & furenter iactat, & diſſipat inutiliter. Auarus vero aut in cumulum congerit, aut defodit ſub terra, quam mercator mutat pannis, alijsue mercibus, aut locat fœnori. Ex his autem id efficitur, licet Deus rerum ſit omnium princeps atque vniuerſalis cauſa, quarum tamen rerum natura eſt autor, eæ naturæ vt ipſi, perinde ac propinquiori cauſæ aſſignandæ ſint. Recteque comparatum eſt, vt naturalia quæ dicuntur, naturam ad ipſam, vt propriam ad cauſam, magiſque coniunctam referantur. Id quod vſu quoque venit in re militari & bellica, vt quæ militis ſunt, ad militem: quæ tribuni, ad tribunum: quæ imperatoris, imperatorem ad ipſum: idque non in rebus tantum maioribus adminiſtrandis, qualis eſt gubernatio reipublicæ, atque exercitus, verumetiam in longe minoribus, qualis res eſt panifica. Siquidem panis ſeu probus fuerit, ſeu vitioſus, furnarium id ad artificem referri ſolet, nequaquã vero ad eum, qui aut frumentum triuit in area, aut in agro ſeuit, aut denique ad agelli dominum, qui aratorem cum bubus ad ſerendum conduxit frumentum. Quamobrem vt res ipſæ diſtinctæ ſunt, itemque artes atque exercitia, ſic etiam cauſæ diſtinguendæ, & artificibus quæq; ſuis, opificibuſq; adiudicanda.

Fortuna vires ampliſſima.

IVVENIS. Hæc quidem ita ſunto. At interim tamen nihilominus vniuerſum genus hominum, qui in ciuitate verſantur, ciuilibuſque in negotijs ac muneribus, adde & facultatibus & diſciplinis, vt in adminiſtratione publica, in militari, in nauali re, in medicina, ſub fortuna laborant. Quid quod artes ipſæ, etſi præceptis conſtant rationeque atque obſeruatione, tamen fortunæ quoque ijs in ipſis ſuus relictus eſt locus. Annon curanti ægrotum Medico, cuius ad curationem opus ſit aut radice Pontica aut Elleboro, vel multum etiam illi poteſt in eo obeſſe fortuna, quando quod inter nauigandum curatio hæc contigerit, nec radix, in naui, Pontica, nec ad purgationem reperiatur Elleborus? Et Imperatori, qui ſe craſtinum in diem pugnaturum cum hoſte conſtituit, nunquid non accidere illud poteſt, vt nocte quæ diem conſtitutam antecedit, ardentiſſima corripiatur à febri, ne intereſſe pugnæ poſſit? aut cum è caſtris prodire in prælium parat, repente, atque ex inſperato literas vt à Senatu accipiat, quibus præſcriptum ei ſit, ne pugnam omnino cũ

hoſte

hoſte ineat, neve cum illo conſerat manum? Et qui furor calceolarius pactus eſt futurum ſe hoſpiti die inſequenti iter inituro calceolos itinerarios, quonam modo promiſſum præſtabit, ſi mane dum ad ſuendum conſurgit, omnem comperiat alutam, coriumque item omne fuiſſe à furibus paulo ante ſubreptum? Quid cum ſtatuarius ſomno expergiſcitur, dolaturus mane in Cæſaris effigiem ſaxum, animaduertit illud nocturna à cœli procella diſiectum? Latiſſimus eſt igitur fortunæ campus, iiſque in omnibus vires extendere, atque imperium exercere valet ſuum, in quibus præter ſpem, opinionem, propoſitum, ac conſtitutum accidere aliquid valeat, omninoque improuiſum. Patet quoque vis eius non in ijs modo, quæ iam diximus, verumetiam quocunque in hominum gradu, atque conditione, ſumma, humili, ingenua, ſeruili, ruſtica, vrbana, plebeia, patritia. Nam & humili loco editos in reges peruaſiſſe ſatis ſcimus, & dites in paupertatem extremam redactos, & maxime inopes ad ſummas etiam perueniſſe facultates, & in libertate genitos conſenuiſſe in ſeruitio: quibus è rebus liquido conſtat, non à natura modo fortunatos eſſe quoſdam, aut infortunatos, verum in quaque hominum conditione contingere hoc ipſum poſſe, verſarique fortunæ imperium in artibus item hominum, ac facultatibus quibuſcunque.

Senex. Hæc ipſa equidem, quæ iam dixiſti, licet habere hunc ſe in modum intelligantur, tamen, ſi Chriſtiani eſſe volumus, pieque etiam philoſophari, non pauca ex ijs quoq; quæ fortunæ tribuuntur, Deo ipſi, diuinæque beneficentiæ videantur potius adſcribenda. Nam & Theodoſio Auguſto ſatis parua manu pugnam cum Gotthis conferenti, tempeſtas repente cœlo immiſſa opitulata eſt, tanta ventorum mole, à tergo ſuo in hoſtium oculos atque acies, vt tela ab ijs ipſis emiſſa retorqueret, ictuſq; eorum fruſtraretur, retrouerſumque terga vti darent cogeret. Vicit igitur Theodoſius præſidio repentinæ, vt apparet, procellæ. At nihilominus conſulenti Theodoſio Ioannes Anachorita reſpondit, vir vtique Deo maxime ob ſanctitatem acceptus, monuitque triduo vniuerſo cum exercitu vt ieiunaret, remque diuinam Deo faceret, inde pugnam audacter capeſſeret, quoniam Deus eſſet pugnanti affuturus. Cuius rei, vt Horoſius etiam teſtatur, Claudianus meminit, inquiens:

O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas acies, cui militat æther,

Et

Et coniurati veniunt ad claſſica venti.

Fortunatorum duplex genus.

EQVES. Hac nimirum ductitante via, ſunt qui duplex fortunatorum genus conſtituunt: eorum quidem vnum, qui diuino agantur ductu, ſentiantque conſiſtentis illius fauorem aſſiduum: illorum vero alterum, quorum inſtitutrix ſit fortuna penitus euentitia, ipſaq; parum frequens & rata. Ac prioris quidem generis exemplum eſt Eutychus Sabinus, qui pranſus cum eſſet, conuerſus ad vxorem, neſcio quid, inquit, boni mihi præſagit animus: itaque è veſtigio iturus Romam ſum, cras ad te rediturus. Iter ingreſſus cum de æſtu deq; itinere feſſus ſub arborem conſediſſet, animaduertit vetus ædificium, quod erat ſecundum viam, paulo ante corruiſſe, factuſque ruinæ propior, inſcriniolum incidit argento grauidum. Idem cum vidiſſet in ſomnis gallinaceum ſcalpurientem ſolum, atque inde roſtro haurientem triticum, experrectus cum eſſet, ac ſomni memor ſibique bene auſpicans ad villam contendit, & quo loco vidiſſet dormiens ſcalpurientem gallum, ibidem cœpit fodere: nec multum operæ ineffodiendo adhibuit, ecce concrepuit olla nummorum plena. Item cum audiret à præcone venalem fieri vineam, ſtatim pupugit animum ſpes quædam inopina futuri inde multis cum emolumentis boni: emit ea ſpe, atque inſtinctu ductus, cumque decreuiſſet in ea columbarium ædificare, effodiendis fundamentis præluxit repente eius oculis aurea Veneris, & Charitum tabella. In olei quoque vilitate ad forum cum acceſſiſſet, nemine de oleo emendo tunc ſolicito, cæteris aſpernantibus, commouit eum deſubito appetitus quidam repente quidem excitus, qui emptionem vtilem futuram promitteret. Emit igitur, mercatoribus qui aderant, propoſitum eius irridentibus. In ſequenti anno nullus fuit ex oliuis prouentus, tertio & quarto ſiccitas, æſtus, vredines, bruchi quoque frondibus ramuſculiſque fecere iniuriam. Quinto igitur anno, tantum lucri obuenit illi ex oleo, vt decuplo etiam vendiderit. Iter etiam Romam faciens, obuium habuit in via adoleſcentulum Hetruſcum, qui patris iram fugerat. Percunctatus igitur & itineris cauſam, & pueri ſolitudinem, quem egregia eſſe indole videbat, & ſermone ingenuo, perculit illico eius animum cupiditas collocandæ filiolæ: adducit igitur illum ad ſe multis cohortatus, bonum vt haberet animum, indeque vxori commendat. Nec multos poſt dies, quod adoleſcentuli mores mirificam præ ſe ferebant ingenuitatem, egregiamque animi indolem, ſpemque indies maiorem, quanquam inuitis cognatis atque affi-

affinibus, deſpondit ei filiolam. Annus nec abijt, cum patre quique illi erant de peſtilentia extinctis fratribus, paternis, atque auitis bonis, hæres adoleſcens ipſe ſucceſſit, fuitque patrimonium amplum admodum, atque magnificum. Auditis Sabinum hunc Eutychum plura indies fortuna aggerente, præſagientem vbique bene ſibi atque è ſententia, perinde ac numine commonefaciente aliquo, morem illi gerere, primoque iter Romam ſuſcepiſſe: ſecundo vineam ſibi comparaſſe, præſagiente animo ſecundos ſucceſſus: tertio emiſſe oleum, eodem ſtimulante appetitu: quarto fugitiuum puerum aſciuiſſe in generum, vtile id honoratumque futurum pollicente inſtinctu, quem autorem & ducem vbique ſecutus eſt. Poſterioris generis eſt illud: Mamercus Capretanus, piſcator apprime pauper, vt fere plerique omnes ſunt piſcatores, de more ingreſſus mane cymbam id agebat, vt de piſcatu ſibi familiæque obſonium compararet & panem. Cum iecisset rete in altum, indeque illud poſtilena ad littus traheret, halga grauidum ſubduxit, iratuſque halgam in littus cum proijceret, capſulam aureorum plenam cum halga eiectam in arenam fregit, domumque ex paupere diues redijt. Nihil non hic fortuitum, impetus omnino nullus, præſagium nullum, appetendis ea è piſcatione lucris theſauriſue titillatio alia prorſus nulla, prætterquam capiendorum in cœnam piſcium atque emendi panis. Sed nunc vel tandem ad ea, à quibus Senex, aurigante Fortuna, nos ſeduxit, regrediamur, idque vt fiat craſtino die, cum iam inſtet hora cœnæ, votum meum eſt. Interim bene valete.

FINIS Secundi Colloquij.

COL-

COLLOQVIVM TERTIVM,

Nullam hominum conditionem, ſtultitiæ eſſe expertem; cui annexus eſt de diuerſis hominum cuiuſcunque nationis moribus atque humoribus, Diſcurſus.

IVVENIS. EQVES. SENEX.

QVod felix fauſtumq; vtrobique ſit, Collocutores venerandi iuxta atque ſuauiſſimi, meminiſtis opinor, heſterno die à venerando noſtro Sene quædam duriuſcula fuiſſe in medium prolata, quorum nomine verendum eſt, ne ab ijs præſertim, quibus ſunt teneræ auriculæ, infeſtetur. Sed habet ille haud dubie rationes cur malit *delirus inerſque videri, quam ſapere & ringi*, vt cum Poëta loquar. Dulce enim eſt deſipere in loco, iuxta illud: *Stultitiam ſimulare loco ſapientia ſumma eſt.*

EQVES. Ædificiorum ab ipſo tam extructorum quam extruendorum demum, cogitationibus ipſum adhucdum eſſe immerſum autumo; quæ quidem cogitationum diſtractio ſermones ac diſcurſus intra ſuos limites diſtineri non patitur.

IVVENIS. Si quidem ille quandam Pyramidis molem, aut Alexandriam quandam, qualis ea in ſomnis ab Alexandro viſa fuit, extruxiſſet, ego aliquantulum ipſius vicem condolerem; at cum forraſſe caſam quandam paſtoritiam extruxerit, næ ille inaniter & ſuo prope-

modum cum ludibrio tam multa, vti videtur, ſurſum deorſum verſat.

SENEX. Imo cellam ſubterraneam, imo domum, imo murum inter duo ædificia interſtitium extruxi, idque eodem tempore; nec vno in loco, nec vtrobique voluntarie, ſed reſpectiue coactè; id quod etiam cauſæ eſt, vt amoliendæ, quæ exinde enata fuit, melancholiæ gratia, tam libere atque vberrim varie de varijs rebus diſcurrerem, ſunt omnino vere iſthæc mihi, etiamſi minutula per ſe ſint, inſtar Pyramidis, aut ipſius etiam Alexandriæ, vrbis Ægypti celeberrimæ. Et ſi quidem ſint, qui improperare mihi quicquam eorum quæ dixi conentur, ijs ego reſpondebo verbis Ioannis Pici *Epiſt. 13.* ſic ſcribentis: mea ſemper fuit ſententia, acrioris eſſe ingenij iocularia hæc & fabellas ſcribere, modo id erudite & eleganter fiat, quam de grauiſſimis rebus vel ornate diſſeruiſſe, quippe cum operoſius longe, ex limo quam ex ære aurove decoram effinxiſſe ſtatuam arbitremur, cur non itidem erit de humili, quam de ſublimi materia inſigne aliquid dictitaſſe? & pluris certe negocij, & idcirco etiam laudabilius. Illorum operi argumenti dignitas lenocinatur; hi quicquid dignum afferunt, id totum de ſcriptoris penu depromitur, nihil ipſa materia velut aſymbola conferente. Illis natura ſedulo opitulatur, hi aduerſus naturam certe contendunt. Hactenus Pica.

EQVES. Sunt alioqui peculiares ingeniorum differentiæ, vt conſtat. Sic Senes gaudent ea memorare, quæ multorum fugiunt memoriam, admiratores temporum, in quibus ipſi floruerunt. Matronis dulce eſt refricari memoriam eius temporis, cum à procis ambirentur. Nautæ, quique diuerſas ac longinquas mundi regiones inuiſerunt, libenter ea narrant, quæ, quia nemo vidit, mirantur omnes. Eſt & ante actorum malorum, iuxta prouerbium, iucunda recordatio, ſi modo eius ſint generis, vt cum probro coniuncta non ſint: veluti militiæ, profectionum, naufragiorumque diſcrimina. Poſtremo de ſua cuique arte grata eſt confabulatio, deque hiſce rebus, quarum vſum callet. Hæc ſunt ferme generalia: peculiares affectus ſingulatim deſcribi non queunt: ſed exempli cauſa, eſt aliquis laudis appetentior, alius vult haberi doctus, alius gaudet videri diues: eſt hic loquacior, ille pauciloquus: nonnullos reperies tetricos, alios contra blandiores. Sunt qui nolint videri ſenes, quum ſint: ſunt rurſus qui volunt haberi grandiores quam ſint, affectantes hoc eſſe mirandi, quod belle portant

Ingeniorum differentia.

rant ætatem: ſunt fœminæ quæ ſibi de forma placent, ſunt aliæ putidulæ: &c. Sed hæc omnia, interueniẽte Melancholia, & cogitationum diſtractionibus ſubticentur & quaſi obliterantur, atque in eorum vicem alia quædam πάρεργα, vt vt ea in buccam veniunt, proponuntur. Interim quoniam Pyramidum, ipſiuſque Alexandriæ vrbis facta eſt mentio, quæ fuerit illarum ratio, noſſe expeto.

Pyramides. SENEX. Pyramidum moles ἀπὸ τῶν πυρῶν, id eſt, à tritico appellatas fuiſſe, nonnulli voluerunt autores, quoniam propter inſanas huiuſmodi Ægyptiorum regum ſubſtructiones, operarumque ad id coactarum infinitam pene multitudinem, vniuerſum Ægypti triticum eo loci deuehi ſolitum fuerit, vnde ob id ſæpius Ægyptum aliarum altricem prouinciarum, fame laboraſſe commemorant. Neque hoc immeritò, quandoquidem in vnius ex illis vt aiunt, fabricam, pro quotidiano ſolummodo operarum obſonio, in alliis ſcilicet & caſeo & cæpibus, decem millia & quingenta talentorum, in regiis computationum rationibus expenſa ſint relata. *Alexãdria.* Alexandriam quod attinet, vrbem Ægypti celeberrimam, hanc ab Alexandro Magno in ſomnis monito, & loco etiam illi commonſtrato, conditam ferunt. Huius magnitudinem ſitumúe cum cupido regi deſcribere vellent architecti, neque gypſum, aut albam vſpiam eo in loco terram inuenerint, farina diſſeminata illorum vice vſi fuiſſe dicuntur: cumque ad illam auidius conuolaſſent aues, & pleriſque etiam in locis diſpoſitas farinæ ductu notas rapiẽdo deuaſtaſſent, territum hoc oſtento ceu triſti & diro Alexandrum, de commutando vrbis loco cogitaſſe ferunt: quod proculdubio illico efficiſſet, ni vates illum, & aruſpices id facere ꝓhibuiſſent, Vrbem illam omnium nutricem & alumnam aliquãdo fore talibus deorum portentis conſtantiſſime promittentes. Fuiſſe autem illius longitudinem quatuor & triginta ſtadiorum ferunt, latitudinem vero octo, totius autem dimenſus ambitus cẽtena & duodena ſtadia expleſſe dicitur. Cæterum ea ad quæ Iuuenis alludit, quod nimirum durius quædam dixerim quod attinet; Ego cũ Martiale, *in præfat. lib. 1. Epigram.* abſit volo à iocorum noſtrorum ſimplicitate malignus interpres. Igitur. *Ioci & ſales.*

Innocuos permitte ſales, cur ludere nobis
Non liceat? Namque vt Sebaſt. Schefferus rectè ait:

Omnis habet ſua penſa dies: tamen vnica nugis
Forte poteſt anno vilibus hora dari.
Seria cum ponis, cape delectantia vitam
Sic agis: eſt ingens vita Catonis opus

Namque vt elegáter Euricius Cordus in Epigrammate monenti.

Quid iuuat vſque adeo triſtes ſimulare Catones?
Vos modo conuiuas non decet eſſe ſophos.
Deſipere eſt ſemper ſapere, & non tēpora noſſe,
Nec qui læta velit quique ſeuera, locus.

EQVES. Obiter hic ego memini inſulſi cuiuſdam Theologi, qui illud *Geneſeos*: Rex Salem panē obtulit & vinum, *Salem*, pro condimēto expoſuit, quo carnes & alia eſculenta condiuntur. Ceterum ſales Eraſmus in Adagiis dici affirmat feſtiuiter & argutè dicta, non ſine illecebra quadā mordacitatis. Inde ſalſa dicitur oratio, quæ non eſt inſulſa, ſed ſua condimenta habet, etiamſi ſimplex oratio ſit, quæ velut palatum excitās, à tædio ſermonem defendat. Sicut enim ſal in cibis paulò liberius aſperſus, ſi tamen non ſit immodicus, affert aliquid propriæ voluptatis: ita oratio ſalſa habet in dicendo quid ſingulare, quod audiendi ſitim excitet.

SENEX. Tres ſunt virtutes, quę propriè circa ſermonem verſantur.

Virtutes circa ſermonē verſantes quæ?

Prima eſt veritas ſeu veracitas, quæ conſtanter vult & cogitationes veras habere, & dicere vera, id eſt, congruentia cum rebus, nec cogitando aut dicendo aſſeuerare falſa, id eſt, pugnantia cum rebus. Hæc omnibus neceſſaria eſt virtus, ſine qua vita regi non poteſt. Ac quidem extincta veritate, doctrinas & artes omnes, iudicia, contractus & pacta ſimul interire neceſſe eſt.

Secunda, virtus eſt comitas, quæ eſt facilitas in compellendo & audiendo, ſeu velle ſine moroſitate, ſine faſtidiis, ſine ſuperbio placida compellare honeſtos homines, & audire præſertim eos, qui ſciſcitantur aliquid de doctrinis, aut exponunt cauſas, quas officij ratio cognoſci poſtulat, aut quorum animi leniendi ſunt, aut in dolore, aut in ira, aut in aliis affectib⁹. Hæc virtus magnum decus eſt in homine, ſed tamen neque omnium hominum, neque omnium temporum. Maxime exornat gubernatores & Doctores. Nec ſine ſingulari prudentia, proſpiciente qui ſint compellēdi, eſſe poteſt, quo genere ſermonis & officij animi ſint excitandi. Denique multum conſilij, artis, & eruditionis hæc ſuauitas in congreſſibus poſtulat.

Tertia, virtus eſt circa ſermonē potius ingenij facultas, quā virtus. Eſt enim re ipſa ingenij celeritas figurate admonēs, aut reprehendēs, comprobans aut refutās, ſeu metaphoris, ſeu Ironia, ſeu tranſlatione cauſarū, ſeu ambigua oratione, ſeu παρωνομασίᾳ, ſeu apologis, ſeu hiſtoricis exemplis, ſeu tragicis ſeu gnomis. Cum enim celeriter mens & præter aliorum exſpectationem facit collationem cum re ſimili, aut trans-

transfert cauſas, concinnitas admirationem parit, eaque dicta ſunt alias ioci in materia hilari, alias aculei acerbe taxantes aliquid. Vnde ſalium etiam dicterium dicitur, quod acrimonia quadam mordet.

EQVES. Sed quænam eſt differentia inter ſalem Mercurij & ſalem Momi?

Salis Mercurij & ſalis Momi differentia.

SENEX. Sal Mercurij, ſiue candidus dicitur, qui condimentum eſt ſermonis, figurarum quadam venuſtate acres admonitiones proponit, & altius animos penetrat, non ex vanitate, ambitione, aut cupiditate nocendi, ſed vtilitati hominum ſeruit adhibito modo, aut conſoletur, aut placet, aut excitet vt poſtulat occaſio. Hic ſal Mercurij ſiue ingenij celeritas, lepos in oratione ſalſa ſine amarulentia & ſcurrilitate, vere Dei opus eſt, & eruditione mens inſtruenda eſt, vt bene condita proponat aliis, nõ inſipida aut futilia ad gloriam Dei, & vtilitatem communem.

Sal Momi dicitur, ſiue ſal niger, q ex virulentia, maledicentia, obſcœnitate inepta & intempeſtiua reprehenſione oritur. Hic ſal communiſſimus eſt noſtro ſeculo. Heu quam multi ſunt faciles & atroces in ſuggillando, cauillando, obtrectando, indulgendo affectibus, vt de huiuſmodi recte dici poſſit: Nulla in tam magno eſt corpore mica ſalis. Dictus eſt à Momo, de quo Poetæ fabulãtur, hunc Deum nocte matre, ſomno patre progenitum, nihil operis edere, ſed aliorũ Deorum opera curioſis oculis contemplari, & ſi quid ſit omiſſum aut perperam factum, id carpere ſumma cum libertate. Vnde μῶμος reprehenſioné ſonat. Hunc atrum Momi ſalem toto pectore deteſtemur, & ſtudioſi ſimus candidi ſalis, iuxta præceptum Chriſti: Retinete ſalem in vobis, & ſitis concordes: ac oremus, vt nos cœleſti ſale gubernet, quam ex ſinu æterni patris protulit.

Qui quandoque ſales non immiſcere facetos
Nouit: is indignus qui voret ore ſalem, eſt.
Quiue recenſentem non vult audire leporem,
Eſt lepus, atque animi non habet ille ſalem.

IVVENIS. Obtendas quod voles, licet; non ita facile te extricabis. E re tua fuiſſet, ſi hactenus fuiſſes in ſchola Pythagoræ, in qua ipſe Pythagoras te compeſcuiſſet illa ἐχεμυθία, id eſt, taciturnitate qua diſcipulos elinguabant toto quinquennio, vt apud ſe tacere diſcerent, & loqui dediſcerent. Recte nãque Simonides, dixiſſe, me, inquit, aliquando pœnituit, tacuiſſe nunquam. Certa namque, vt inquit Eraſmus, in tacendo fides ſignificatur, dum quis quod ſcit, perinde continet ac diſſimulat, quaſi neſciat. Conciliatq;, vt inquit Chares, tum

Taciturnitas.

ſeni

ſeni tum iuueni honorem compos ſilētio lingua tempeſtiui: Hinc grauiter Homerus: O amice, inquit, loquens ſine iudicio, etſi vehemens concionator ſis, deſine ac contendere noli. Oratio enim, vt inquit Zenon, omnium eſt difficilima moderatu. Proinde monente Iſocrate, duo loquēdi tempora facito, vel de rebus tibi plane cognitis, vel de iis quæ dicenda neceſſario ſunt: in iis enim ſolis taciturnitati præſtat oratio, alias vero tacere quam loqui potius eſt; quamobrem etiam duplicē mercedem poſtulabat ab iis, qui in diſciplinam eius recipi volebant, alteram quidem vt loqui, alteram vt tacere diſcerent. Eſt enim, vt inquit Euripides, decorum ſilentium corona viri boni, loquacitas autem neque iucundi aliquid habet, & malum eſt conſeruationi & inutilis ciuitati. Hinc eſt, quod Heſiodus, linguam non vulgandam ſed recondēdam eſſe, perinde vt theſaurum, admonuit. Cuius quidem taciturnitatis ſeu breuiloquentiæ mauis nomine Lacedæmonij admodum fuerunt inſignes, vnde etiam Laconiſmus ab iiſdem ortum habet. Quo ſpectat illud de Charillo. Interrogāti enim, quam ob cauſam Lycurgus tā paucas leges tuliſſet Lacedæmoniis: quoniam, inquit, pauca loquētibus paucis legibus opus eſt: ſentit nimirum, pleraſque mala ex multiloquio naſci. Quid quod Lacones Cteſiphontem ciuitate eiecerunt, quod profitebatur, de re quauis totum diem poſſe dicere, dicentes boni oratoris eſſe, ſermonem habere rebus parem. Eſtque ſententia, teſte Laërtio, Anacharſis imagini inſcripta, continendum ſcilicet eſſe lingua, ventre & pudendis, id eſt, abſtinendum à loquacitate, gula & Venere.

SENEX. Nemo quiſquam breuius vnquam dixit, quam qui nihil dixit. Quod ſi nihil omnino dixiſſē, ne ſic quidem tuo ſatisfeciſſem humori. Et ſi quidem à vobis diſceſſiſſem, omnino vt aliquid loquerer, neceſſum fuiſſet, quod verò illud? Nimirum: peto vt velitis mihi condonare ſi quid dixi inſulſum aut incongruum; quæ quidem vox & petitio erat olim, me præſente, cuiuſdam ſimpliciſtæ, qui diſceſſurus è conuiuio, cum ne verbulum quidem, durante conuiuio, in medium protuliſſet, præuiatam hac petitione præuia, conuiuis vale dicebat, maximo omnium deſuper ſuborto riſu. Sed enim tu me incuſando teipſum accuſas, dum de rebus adeo nihil tam lōga texis procœmia; quo fit vt garrulitatis tuæ ſummopere ſis pertæſus.

EQVES. Multiloquium, illud præſertim, cui ineſt veritas, parit odium. Ita ſæpenumero tacere quam veritatem eloqui præſtat. Dicam huius rei exemplum. Principi olim Hiſpano, aſtante Poggio Florentino, erat filius adultus linguæ maledicæ

ledicæ ac contumelioſæ, qua ex re multorum odia cõtraxerat; ob eam rem pater filio, vt perpetuo ſileret cum interdixiſſet, paruit ille. Accidit interea, vt ſolenni cõuiuio regis præſente regina, ambo intereſſent. Adoleſcens ad cætera induſtrius, cum miniſtraret vt mutus patri, regina(ea impudica erat) verè mutum ſurdumque exiſtimans, & ſibi id conducere, rogauit patrem, vt ſecum eſſe filium pateretur. Id cum impetraſſet, adhibuit eum ſecretioribus rebus, ita vt impudicitiæ ſæpe teſtis eſſet. Simili iterum conuiuio pater poſt biennium affuit. Rex interim viderat ſæpius adoleſcentem quem omnes mutum putabant. hic cum reginæ miniſtrarat, petiit patrem rex, caſune an natura filius mutus euaſiſſet? neutrum ille reſpondit, ſed iuſſu ſuo ob linguæ maledicentiam. Rogauit rex, vt licẽtiam permitteret loquendi. Cũ diutius pater reſtitiſſet, dicens aliquid ſcandali ſecuturum. tandẽ regis prçcepto loqui filium ſi vellet iuſſit. Ille in primis ad regem cõuerſus: habes vxorem, inquit, eam qua nunquam aliqua proſtituta meretrix impudẽtior aut improbior fuit. Confuſus rex prohibuit amplius loqui.

SENEX. Ego illorum iudicia non moror, qui vt plurimum in tabernis & inter pocula ſedẽtes de meo iudicant ingenio, magnaq; cũ autoritate condemnãt vtcunq; libitũ eſt, ſuis quéq; dicteriis, velut capillitio vellicantes.

IVVENIS. Tibi adhucdum, ꝙ animaduerto, ea quę dixi hactenus leuia videntur. Verum enimverò, annon noſti Doctorum ſupercilium, Licentiatorum eruditionem, Magiſtrorum autoritatem, Baccalaureorum conatus, & Scholaſticorum omnium zelum, Mechanicorumque ſeditionem; hi namque omnes aduerſus te infrement. Quot, putas, te oppugnabunt machinis, quot te impetẽt molíminibus? obſtrepent imprimis Grammatici, atq; etymologiis ſuis nomen indent podagricũ. Poëtę pro Momo, vel hirco Æſopico, traducent carminibus Hiſtoriographi ſupra Pauſaniã & Heroſtratum profanabunt. Rhetores iratis oculis, terribili vultu, grandiſtrepis vocibus diriſq; geſticulationibus perduellionatus accuſabunt. Memoriographi laruis cerebrum obtundent. Pugnaces dialectici innumera ſyllogiſmorum tela in te conícient. Sophiſtæ verborum laqueis ſuiſque indiſſolubilibus, ceu iniecto freno, obturabunt. Barbarus Lulliſta abſurdis verbis ac ſolœciſmis dementabit caput. Terra cœloque proſcribent Mathematici. Atomographi Arithmetici, concitatis in te fœneratoribus ad alieni æris rationem cogent. Ad laqueum adiget peruicax Aleator. infauſtos numeros ſupputabit ſortilegus Pytagoriſta. carcerem triſtitiamq; infœlices figuras proiiciet punctator Geomantes. canẽt te in triuiis vulgi *Gigantomachia.*

fabulam multitoni Muſici, ac ſtri-
dulis ronchis diſſoniſque concha-
rum, peluium, patinarumque ſtre-
pitibus, plus quam ſolent digamo-
rum ſponſalitiis, obturabunt, ex-
cludent choreis Pompoſæ Matro-
næ, oſcula negabunt blandulæ pu-
ellæ: camelum ſaltantem ſubſanna-
bunt garrulę Ancillulæ, ſaltator Hi-
ſtrio ludet in te turpi ſcena tragœ-
diam, dextra læuaque impetet cen-
timanus Gladiator. Geometræ, in-
iectis triquetris tetragoniſque cir-
culis, tanquam Gordionis nodis ir-
retitum, captiuabunt. ſimia, vel ipſo
Therſite deformiorem pinget ſcul-
petque manis opticus. vltra Sauro-
matas & glacialem relegabunt Coſ-
mimetræ, Dædaleus Architectus
inexpugnabilibus machinis clande-
ſtinè ſubcuniculabit, correptum-
que inobſeruabilibus labyrinthis
errare coget. ad arrugias cōdemna-
bit Metallarius: ſuſpendium com-
minabuntur fatales Aſtrologi, cœ-
lorumque labili vertigine conſen-
ſum ad ſuperos cohibebunt: omi-
nabuntur omne malum minaces
diuinatores: frigidum in venerem
inualidiq; femoris diffamabit Phy-
ſiognomus. cerebricoſum aſellum
pronunciabit Metopoſcopus: diui-
nabit omnia ſiniſtrè fatidicus Chi-
romantes: triſti auſpicio exaugura-
bit præſagus aruſpex, Mittet vltri-
ces flammas Iouis, & præſagi ful-
minis ignes portentoſus ſpecula-
tor. Nocturnis terrebit lemuribus
tenebricoſus oniropola. Furens va-
tes ambiguo decipiet oraculo. Pro-
digioſi magi tanquam alterum A-
puleium, aut Lucianum in aſinum,
non tamen aureum, ſed forte ſter-
corarium transformabunt. Spectris
atque manib: perſequetur ater goë-
ticus. Sacrilegicus theurgus caput
conſecrabit εἰς κόρακας vel forte in
cloacas. Imprecabūtur ſuam detra-
ctum dementulati cabaliſtæ. Ace-
phalum ſpadonemue repræſentabit
anilis præſtigiator. Diſcerpent pu-
gnaciſſimis opinionibus conten-
tioſi Philoſophi. Teque inter ca-
nem & Crocodilum migrare faci-
ent circulatores Pythagorici, dolio
aut ſepulcro recludent fœdi morda-
ceſque Cynici. Vxorem communi-
candam clamabunt peſtilentes A-
cademici. Enecabunt crapula glu-
tones Epicurei. Mortificabunt ani-
mam excludentque Paradyſo impij
Peripatetici. Seueri Stoici ademptis
humanis affectibus in ſilicem per-
mutabunt. Metaphyſici velut ex
chao Demogorgoneo eorum quæ
nuſquam ſunt, nec erunt, nunquam.
non paradoxis mentem euertent.
Cenſores Ethici in centum referent
tabulas. Interdicet muneribus le-
giſlator politicus. Abdicat aula vo-
luptarius princeps. Siſſitiis propel-
lent ambitioſi optimates. Inſenſa-
tus populus vicatim affliget oppro-
briis. Phalaris tauro cruciandum re-
cludet terribilis tyrannus. In exili-
um agent factioſi oligarchæ. Plebs.

im-

impetuoſa, & multorum capitum
mala beſtia, indicta cauſa, rapiet in
exitium. Proditionis inſimulabit af-
flicta quæuis Reſpublica. Aris in-
terdicent auari ſacerdotes. A pulpi-
to laceſſent laruati cuculliones, cõ-
tumelioſique hypocritæ. Peccata
reſeruabunt æternis ignibus pleni-
potentes Pontifices. Gallicam ſca-
biem comminabuntur ſalaces me-
retriculæ. Rapax leno lenaque tu-
mulenta obſtetricabũt loculos. Ex-
cludent Xenodochiis hulceroſi mẽ-
dicantes. Sacrum incendium rabi-
doſque morſus offerent, gyrouagi
quæſtuarij, ſuiſq; deſtituent indul-
gentiis. Obærabit macello infidus
diſpẽſator œconomus. Impinget in
Scyllas blaſphem' nauta. Mercator
improb. vſuris oppignoratum abſu-
met. Furax quæſtor compilabit ſti-
pendiũ. Prohibebunt amœnis hor-
tulis duri agricolæ. Lupis te deuo-
uebũt otioſi paſtores. Hamum ſub-
iiciet latentem vndivagus piſcator.
Canes accipitreſq; immitet clama-
bundus venator. Deprædabit armi-
potens miles. Submouebunt ordi-
ne purpurati nobiles. Exuent maio-
rum imaginibus paludati heraldi,
indictiſq; equitiis, quæ torneamẽ-
ta vocant. pro ruſtico exactionario
inclamitabunt. Lotio & tetrimen-
tis ſcatophagi medici perfundent.
E quibus loquax logiſticus diſputã-
do de morbo, tempeſtiuum ſubtra-
het remedium. Temerariuſque em-
pyricus dubio experimento mortis
exponet pericalo. Fallax methodi-
cus procraſtinando remedia, ægri-
tudinem producet ſuum ad compẽ-
dium. Exugent clyſteris ſordidi
pharmacopolæ. Dentibus ac teſti-
bus inſidiabuntur emaſculatores
chirurgi. Diſſecandum poſtulabũt
crudeles anatomiſtæ. Angario reclu
det immundus veterinarius, ac qua
drigario puluere occæcabit oculos.
Fame cõficiet prȩuaricator diętari'.
Offam inſulsã ſiticuloſus obtrudet
cocus. Diuitiis interdicet prodig' al-
cumiſta, ablegabitq; fornaculis. Va-
ſtiſſimis gloſſarũ voluminib. obru-
ent inexpugnabiles Iuriſtȩ. Maieſta-
tis reũ agẽt faſtuoſi legulei. Excõmu
nicabũt diris execrationib. arrogan.
tes Canoniſtæ. Sexcentas calũnias
intentabunt litigioſi cauſidici. Col-
ludet cum aduerſario, deſerta cauſa
ſubdol' procurator. Subſcribet fal-
ſum dubius tabellio. Cõdemnabit
actionis inexorabilis iudex negabit-
que (quos vocant) appellandi Apo-
ſtolos. Deſtituet reſcripto imperio-
ſus archiſcriba cãcellari'. Hæreſeos
inclamabũt obſtinati theoſophiſtȩ,
aut ad idola ſua ſectari compellent.
Ad palinodiam vociferabunt ſuper-
cilioſi Magiſtri noſtri, magniſque ſi-
gillis proſcribent Sorbonici Atlan-
tes. Et quis poteſt infinita illa ac ꝓ-
pemodum monſtroſa ingeniorum
machinamenta recenſere?

SENEX. Ego hos quos mihi in-
terminaris inſultus, facile euaſero,
quũ nihil odio, nihil ambitione nõ

dolo, non errore inductus, dixerim. Nec me ſacrilega cupiditas, nec improbę mentis arrogantia ad hoc impegit, ſed ipſa rei veritas. Dixi ex Cicerone, ſtultorum plena eſſe omnia; atque is prior me dixit, quid ſi probem, quod etiam vere dixerit?

Inuectiuarum duo genera.

EQVES. Videtur iuuenis noſter inuectiuarum huiuſmodi, quæ perſonis ratione graduum & dignitatum conueniunt, nondum exquiſitam habere cognitionem. Sunt nã que, ſecundum Macrobium, duo inuectionum genera. Quoddam quod directam exprobrationem infert & contumeliam; aliud verò vmbratũ, figuratum, & ſæpe vel fraude vel vrbanitate velatum, vt aliud ſonet & aliud innuat, nec tamen vergat ad amaritudinem. Ac primum quidem genus eſt vitandũ ſimpliciter. Nam, vt ait, in præcipitio ſtantem vel leuis tactus impellit. Aliud vero genus velatum vel poteſt eſſe cum aſperitate, verbi gratia, cum referente Macrobio, Octauianus, qui nobilis natu videbatur, Ciceroni recitanti ait: Non audio quæ dicis; Cicero reſpondit: certè ſolebas bene perforatas aures habere. Hoc ideò dictum fuit, quia Octauianus libis erat, quibus mos erat, aurem perforare. Tali ergo genere, quia vicinum eſt contumelię, ſapienti eſt abſtinendum. Quædam vero minus habent aſperitatis, ſicut illud, cum Caius Seruilius vna die conſul fuiſſet, ait Cicero: Olim flamines, nũc conſules diales ſunt. Et illud cum Vannius paucis diebus conſulatum egiſſet, ait Cicero: Magnum oſtentum anno Vannij factum eſt, quod illo conſule nec hyems, nec ver, nec æſtas, nec autumnus fuiſſet Quærenti autem Vannio, cur in ſuo conſulatu ad ipſum infirmatum nõ veniſſet? Reſpondit, volui venire, ſed nox me comprehendit. Et alia quę ſunt de quibuſdam corporis vitiis, quæ parum, vel nihil doloris gignunt, vt naſi curui erectio, vel ſecurica depreſſio.

Quædam vero inuectiones in ſuperficie aliquid habent cõtumeliæ, ſed tamen non tangunt audientes, ſicut illud: Cum Quintus Lucius aſſidenti ſibi diceret amico, frigidas ſe habere manus, renitens ait: Mirũ eſt qui eas calidas paulo ante de prouincia reuocaſti. Quintus delectat', quia alieniſſimus erat à ſuſpectione furtorum. Econtra ſi diceret cõſcio, & ſua furta recolenti, vtique turbaretur. Aut etiam ſi dicas nimis caſto, ęque gratę ſunt tibi meretrices, delectabitur. Econtra ſi dixeris timidiſſimo, Achilli & Herculi comparandus es. Vel famoſo iniquitatis viro: ego te Ariſtidi iniquitate prępono. Ecce verba laudem ſonantia, quæ vtique ad notam vituperationis cenſuros eſt. Item commendatur in inuectione conditio dicentis, ſi in eadem ſit cauſſa: vt ſi aliquem pauperiorem pauper de paupertate irrideat, vel obſcure natus obſcu-

re na-

re natum. Sicut Tharſeus, cum potens ex hortulano factus in cæcum & amicum degenerem nonnullam contumeliam dixiſſet, mox adiecit, & nos de eiſdem ſeminibus ſumus.

Sunt etiam quædam inuectiones, quæ non ſolum non turbant, ſed lætificant audientem. Sicut Dyogenes Ariſtenem magiſtrum dicens: Ipſe me pauperem fecit ex diuite, & pro ampla domo fecit in dolio habitare. Melius quidem iſta dicebat, quam ſi diceret, gratus ſum illi, qui me fecit Philoſophum, & conſummatæ virtutis virum. Sed proſequere, quod occepiſti.

SENEX. Dixi, nihil obeſſe, quin illud Ciceronis, ſtultorum plena eſſe omnia, vere dictum eſſe comprobem; idque Exemplorum inductione fieri poteſt quã commodiſſime.

IVVENIS. Strychnum fortaſſe bibiſti. Et enim huius herbæ natura, vt vel guſtata ſtatim inſaniam pariat. Et ne longe abeas, dicas per me licet, cum Seneca *Epiſt. 36.* Si quando fatuo delectari volo, non eſt mihi longe quærendus, me video. Proinde in mentem tibi reuoco quod inquit Ambroſ. Reſcindenda inſipienti poteſtas eſt, non adijcienda libertas. Inſipientis enim in libertate ruina vehementior eſt. Nam vt ait Hieronymus: Stultiloquium & ſcurrilitas non decent Chriſtianum, ſed ſermonem eius ſale conditum eſſe oportet, vt gratiam apud audientes habeat. Nam vt dicitur Eccleſiaſt. 9. cap. Sicut muſcæ in vnguentum quantumuis fragrans collapſæ, ſi illic moriantur, vnguentum corrumpunt, & bullis veluti ſcabie obducunt. Sic parua ſæpe ſtultitia homini ob ſapientiam & reliquas naturæ dotes claro, multum exiſtimationis adimit. Et Anton. Monachus *in Meliſſ. part. 1. ſerm. 10.* Quemadmodum iubar fulgens à Solis lumine caligo ſuperueniens occultat. Ita ſæpenumero intellectum quoq; noſtrum veluti in ipſa meridie ſplendentem, & luce ſua conſpicuum, ſtultitia vel amentia ſuperueniens obſcurat.

Stultitia: quomodo ſupprimẽda.

SENEX. Iunior ſi eſſes, ego, præcocia ingenia non ſolere eſſe diuturna, tibi occinerem.

IUUENIS. Et ego viciſſim tibi reſponſum pueri illius decennalis, cui meminit Poggius, te beaxem. Acceſſerat ad Angelottum, Cardinalem Romanum, hominem mordacem & ad iurgandum promptũ, viſitandi gratia puer decennis admodum ſcitus, vſus paucis verbis, oratione ſatis luculenta. Admiratus Angelottus pueri grauitatem ſuauitatemque dicendi, ac nonnulla percunctatus. Ad quæ puer ſcite reſpondit. verſus aſtantes ſimili ingenio & ita docti à pueritia inquit: Creſcentibus annis decreſcunt.

Facetia in ſenem deſipientem.

ſcunt intellectu, & ſtultiores pro-feſta ætate euadunt. Tum puer, doctiſſimus ergo profecto ſapientiſſimuſque præ cæteris vos in teneris annis fuiſtis. Obſtupuit ſubito faceteque reſponſo cardinalis, ſtultitiæ ab ipſo reprehenſus, quem ferme infantem videbat.

EQVES. Omittamus ea quæ alternatim pungunt, ne dum ſtultorum mores recenſere eſt animus vobis, in ſtultorum ordinem & ipſi accenſeamini. Videntur enim dicta veſtra ſpirare occultam quandam ſuperbiam, quæ quidem potiſſima ſtultitiæ ſpecies eſt. Et quantum mihi colligere videor, error eſt vtrobique in verbis, quæ vltro citroque miſcetis. Eſtque talis contentio, qualis olim fuit duorum Nobilium de inſigni armorum. Hiſtoria hæc eſt: Ianuenſis onerariæ nauis patronus qui in Gallia conductus à rege aduerſus anglicos nauigauit, geſtabat ſcutum in quo bouis caput depictum erat. Conſpicatus hunc Gallicus nobilis: cum illud armorum inſigne ſibi vendicaret. Orta altercatione gallicus Ianuenſem ad certamen prouocauit. Ianuenſis accepta prouocatione in campum ad certamen nullo apparatu deſcendit. alter multis impenſis ornatiſſimis in campum conſtitutum venit. Tum Ianuenſis: Quid eſt, inquit, propter quod certaturi hodie inuicem ſumus? Ille, aſſero (inquit) tua inſignia mea meorumque priuſquam tuorum fuiſſe. Cum Ianuenſis, quænam ſua eſſe diceret, caput bouis ait. Hoc, Ianuenſis, non eſt opus certamine aliquo inquit. Nam hoc quod porto, non bouis, ſed vaccæ eſt caput. Faceto dicto inanis Gallici iactantia eſt eluſa.

Stulta ſuperbia.

Nobilium altercatio ſuper inſignibus.

SENEX. Plurimi ſunt eiuſmodi oſtentatores, qui omnes ſtultitiæ ſupremam claſſem, imo primæ eiuſdem decuriæ inſident. Talis fuit is qui viſitando vxoris affines, à ſocio vt commendaretur, flagitabat. Hiſtoria hæc eſt: Deſponſauerat vxorem quidam haud ſatis firma valetudine & minime opulentus, accerſitus æſtate ad cœnam ab vxoris parentibus, duxit ſecum amicum quendam rogans vt ſemper verbis augeret ea quæ ab ſe dicerentur. Laudante ſocru tunicam qua veſtitus erat, ſe aliam multo pulchriorem gener habere dixit. Tum ſocius præter eam, alteram etiam, duplo precioſiorem illi eſſe aſſeuerauit: rogante ſocero & quas poſſeſſiones haberet, ſe prædium extra oppidum poſſidere ait, quod victum ſuppeditaret. Non meminiſti, inquit ſocius, & alterius prædij quod illo multo eſt elegantius, ex quo plurimos nummos contrahis? Deinde ad ſingula quæ ab illo iactabantur, ſocius duplum conferebat. Cum vero parum

Affinis corā affinib. ſtultitia.

tum quid ederet, ſocerque hortaretur ad cibum. Non bene me, inquit, æſtate habeo. Hic ſocius, vt ſolitam iactantiam ſeruaret, plus multo quam dicat eſt, inquit. Nam æſtate male ſe habet, & multo peius hyeme. His verbis cum riſiſſent omnes leuiſſimi hominis iactantiam ad falſam laudem quæſitam: ſtultitiæ præmium tulit.

IVVENIS. Audite conſimilem φιλαυτίας, atque oſtentationis hiſtoriam. Paſquinus Senenſis vir dicax ac iocoſus mutato ſtatu ciuitatis, cum exul à patria Ferrariam ſe contuliſſet: acceſſit ad eum viſendi gratia ciuis quidam Senenſis haud magni vir precij qui ex Venetijs Senas redibat: comiter à Paſquino ſuſceptus. Cum inter loquendum ſuam ille operam ſi quid in eius gratiam agere poſſet Senis, polliceretur, & aliquid ſe poſſe ad iactantiam oſtendens ſubderet: ego ſum de corpore præſentis ſtatus. Tum Paſquinus, vtinam cito crepet id corpus, inquit, vt tu tuiq; ſimiles ex eo quam primum egrediantur. Facete iactantiam hominis caſtigauit.

Ciuis Senenſis oſtẽtatio.

SENEX. Ad hanc claſſem referri quoque poſſunt illi qui prodigioſis aſſentationibus ſalutationes ſuas infarciunt, dum nimirum ipſo etiam hominis nomine prætermiſſo, hunc ſolem dicunt, alium Lunam: hunc luciferum, alium cynoſuram, aut lucernam ardentem, ſpeculum ſine macula, turibulum odoriferum, pyxidem vnguentariam, candelabrum aureum, virtutum ſacrarium, diſciplinarum theſaurum, omnis ſcibilis gazophylacium, phœnicem, aquilam, vitem, hortum, flumen, fontem, pelagus, apicem, culmen, florem, gemmam, iubar, fulmen, paradiſum: denique rerum omnium laudabilium copiæ cornu. & quid non? Atque etiam ne parum ſint Gnathones, quemadmodum alios immodice efferunt, ita ſeſe pari venuſtate deijciunt, atque extenuant, ſeruulos à pedibus, viliſſima mancipia eius cui ſcribunt appellantes. Huius ſalutationis exemplum hoc erit, ſi quis forte requiret animi cauſa: Perſpicaciſſimo domino, ſeptem artium liberalium candelabro aureo. Radianti Theologorum apici. Religionis lucernæ ſemper fulgenti. Dominicalis ordinis lucifero. Vtriuſq; teſtamenti gazophylacio. Hæreſiarcharum malleo. Omnium virtutum heroicarum & non heroicarum, ſpeculo limpidiſſimo. Digniſſimo domino meo domino pceptori, humilimus dominationis ſuæ diſcipulus, & viliſſimus ſeruitor oſcula pedum pro ſalute.

Salutationũ formula monſtroſa.

EQVES. Ridicula ſunt hæc quadantenus, & propemodum etiam digna commiſeratione. At hoc quod iam referam, ſtultiſſimæ adeoque omnibus diris deuouendæ

Cõſul infantulum è Baptiſmo leuare detrectãs egregie mulctatur.

ſuper-

ſuperbiæ ſpecimen, nulla dignum eſt commiſeratione. Hiſtoria hæc eſt. Suſceperat quidam in quadam Germaniæ ciuitate paſcendorum ſuum prouinciam. Huius vxor cum media fere æſtate puellum enixa eſſet, conſulem eius loci rogandum ſibi eſſe cenſuit, vt pro filio iſto ſuo ad ſacrum fontem fideiuberet, idque his præcipue de cauſis. Principio quod liberalius ſe munuſculum accepturum ſperaret, ſi conſuli honorem hunc haberet, quam ſi alij cuipiam ex fece vulgi eum deferret. Deinde vero quod ſperaret, ſe hoc pacto conſulem ita demereri poſſe, vt perpetuum ſibi hoc paſcendi illic ſues munus atque officium foret, neque ab alio quopiam extruderetur. Cæterum quid fit? Communicat cum coniuge conſilium: Cui & ipſi apprime hoc placet. Proficiſcitur igitur ſubulcus tandem aliquando ad Conſulem, eumque per omnia ſacra obteſtatur, vt poſtridie pro ſuo filio ad ſacrum fontem fideiubere dignetur. Conſul autem, qui totus ſuperbia faſtuque turgeret, ad ſuique contumeliam vergere ſomniaret, ſi homini iſti hoc officij præſtaret, ſibi integrum non eſſe reſpondit, vt ipſius gnatum ex ſacro fonte ſuſciperet. Interim tamen tibi demonſtrabo, inquit, qui has ſuſcipiendi filij tui partes animo lubentiſſimo ſit & ſuſcepturus, & ſubiturus. Ac is quidem, dixit, eſt Princeps noſter.

Ad illum igitur proficiſcere, eumque roga. Quid multa? Subulcus vtpote homo ſimplex Conſulis dicto eſt audiens. Itaque Princeps olfaciens ſubulcum ab alio quopiam inſtigatum iſtud à ſe petere, ſtatim quidem dat fidem, ſe hoc illi officij præſtiturum: interim tamen diligentiſſime ex eo percontatur, ſua ne ſponte, an vero alterius inſtinctu hunc honorem ſibi deferret. Tum ſubulcus: Ego vero, Princeps illuſtriſſime, idemque compater melliтиſſime, mea ſponte nunquam fuiſſem auſus hanc tibi moleſtiam ſuſcipiendi filij mei exhibere. Cæterum cum à Conſule noſtro hoc multis precibus contenderem, neque vllus meis precibus locus relinqueretur, ſed recta ab illo ad te reijceret, putaui mihi Conſulis noſtri vtpote hominis prudentis conſilium minime aſpernandum eſſe. Iſto igitur Conſule noſtro auctore atque impulſore ad te confugi. Tum Princeps: Bene eſt mi compater. Faciam equidem, ne meæ hic partes deſiderentur. Quid fit? Poſtridie Princeps bubulci iſtius filium ſuſcipit: E templo autem egreſſus & compatrem iſtum ſuum & complures ex nobilitate ſecum in diuerſorium publicum, vbi lautum apparandum prandium curauerat, aſſumit, ac omnes ſtrenue bibere

bere pergræcarique iubet. Poſtridie vero Conſuli ad ſe accerſito ait: Ego, quod tu otioſus non eſſes, heri bubulci tui filium ex ſacroſancto baptiſmatis fonte ſuſcepi, ac in iſto hoſpitio prandium curaui adornandum, quod conſtat florenis triginta. Hos tu ad vnum omnes hoſpiti numerabis. Cæterum cum nullo adhuc compatrem meum munuſculo affecerim, volo, vt eidem numeres thaleros quinquaginta. Nec mora Conſulem mox præcipitem per fornicem agit, eidemque mox & conſulatum abrogat, & ſenatu ipſum mouet.

SENEX. Digna mehercule pœna eſt, qua optimus Princeps iſtius inhumanitatem corripiendam eſſe putauit. Profecto ſi Conſul iſte, quo nihil vel fingi ſuperbius vel inſolentius poterat, pro diuitis alicuius filio ad ſacrum fideiubere fontem debuiſſet, omni idipſum haud dubij animi promptitudine facturus erat: at vero cum à miſero hoc pauperculoque rogaretur, ipſum repulit, ac enormi quadam audacia atque impudentia ad Principem reiecit. Digni ſane erant nebulones iſti, qui hoc officij aliis rogati denegant, vt ex honeſta piorum hominum ſocietate excluſi ad Sauromatas & in humanos vſque Getas & Turcas relegarentur. Idque non raro fieri perniciosiſſimo admodum exemplo, magnaque cum bonorum offenſione, ipſa experientia locupletiſſime teſtatum facit. Reperias etiam, qui quidem licet omnino non recuſent, quo minus rogati ab alijs pro filiolis ipſorum ad ſacrum baptiſma fideiubeant, attamen certe inuiti admodum hanc in ſeſe prouinciam recipiant. Quos pariter, ne impune ferrent hoc ſcelus, pœna aliqua iis condigna irrogata, Magiſtratus officij admonere ſui, & in viam reducere debebat.

IVVENIS. Ego non ſuperbæ quidem, extreme tamen inſanæ ſtultitiæ, ſeu ſtultæ potius inſaniæ exemplum hic recenſebo, quod tametſi prolixum eſt, non tamen erit opinor vobis auditu iniucundum. Eſtque de nouerca & priuigno, ſuper cuius prauis ac deploratis attentationibus priuignus longa ſerie coram amico conqueritur his quæ ſequuntur verbis: Fuit mihi pater Ariſtippus, genere Athenienſis, ex ſenatu ſuperiori, fortunis cuiuis mediocrium ciuium par. Is, cum accidiſſet, vt mea mater è vita diſcederet, ad ſecundas nuptias animum adiecit: indignum ratus propter me vnum filium, incerto animo atque parum conſtanti viuere. Introducit itaque in ædes mulierculam vrbanam quidem, ſed inueteratæ malitiæ, nomine Demænetam. Vt primum enim ingreſſa eſt, totum in ſuam poteſtatem redigere conabatur, & ad id, quod ipſa vellet facien-

Nouerca inſana erga priuignum ſtultitia.

dum adducebat. Forma ſenem alliciens, & cum alijs in rebus ambitioſe obſeruans, (nam ſi vlla alia mulier, maxime poterat furibundum ſui deſiderium excitare: & artem alliciendi, exactius quam credibile eſt, nouerat) tum egreſſibus patris mei ingemiſcens, & ad ingreſſus accurrens, & tardius venientem accuſans, quod videlicet perijſſet, ſi paululum commoratus fuiſſet, & amplectens poſt ſingula verba, denique lachrymas addens oſculis. Quibus omnibus pater infaſcinatus, totam illam & ſpirabat, & contuebatur. Illa vero & me primum non ſecus ac ſi ſuus eſſem filius, in oculis ferre ſimulabat, hoc etiam ſibi Ariſtippum deuinciens, & interdum oſculata eſt accedens, & ſubinde, vt mecum ſe oblectare poſſet optauit. Quod ego admittebam, nihil eorum quæ ſuberant ſuſpicans. Admirans autem, quod maternum erga me declararet affectum. Cum vero petulantius accederet, & calidiora eſſent oſcula, quam decebat, & aſpectus modeſtiam excederet, in ſuſpicionem iam apud me illam multa adducebant, & ſubterfugiebam, ac blandientem repellebam. Omitto alia, quæ moleſtum eſſet prolixius commemorare, quibus rationibus me adorta ſit, quas pollicitationes propoſuerit, nunc puſionem, nunc ſuauiſſimum appellans, & rurſus hæredem, & paulo poſt animam ſuam cognominans. Denique pulchra nomina illecebris admiſcens, & quibus potiſſimum rebus caperet conſiderans, vt in grauioribus negotijs ſimularet matris habitum, in ludicris autem amare ſe manifeſte declaret. Ad extremum, tale quiddam accidit. Cum quinquatria magna celebrarentur, quando nauem Athenienſes Palladi terra mittunt, nondum autem tum exceſſeram ex ephebis, poſtquam cecini viſitatum pæanem deæ & legitimo ritu & pompa proſecutus ſum, quemadmodum eram amictus, vnà cum Chlamyde & coronis redeo domum. Illa vero, cum primum aſpexit, excedit ex poteſtate mentis, neque amplius aſtu amorem texit, ſed pro mera cupiditate accurrit & amplexa, iuuenis Hippolytus, Theſeus meus, dicebat. Quo animo vero tum me fuiſſe putatis, quem & nunc narrare pudeat? Veſperi pater in Prytaneo cœnabat, & quemadmodum in eiuſmodi conuentu & publico conuiuio, ibidem pernoctaturus erat. Illa autem venit ad me noctu & conata eſt contra fas quippiam aſſequi. Sed cum prorſus reſiſterem & omnibus blanditijs, pollicitationibus, & minis repugnarem, grauiter & ab imo pectore ingemiſcens abijt, & vna tantum nocte interpoſita, inſidias mihi ſtru-

ere.

[ue]re ſcelerata cœpit. Ac primum quidem neque è lecto ſurrexit, ſed venienti patri, & quid eſſet rei percontanti infirma ſe eſſe valetudine ſimulabat. Cum vero inſtaret, & quid illi accidiſſet, ſæpius quæreret. Egregia pietate inquiebat, etiam erga me adoleſcens, communis noſter filius, quem ego (deos conteſtor) plus etiam, quam te ſæpe dilexi, cum me grauidam eſſe quibuſdam ex rebus ſenſiſſet (quod ego te tamdiu celaui, quoad aliquid certi ſcire poſſem) & abſentiam tuam obſeruaſſet, dum illum ſolito more moneo, & ad temperantiam adhortor, neue ſcortis & ebrietati animum dederet oro (neque enim me id latebat, tibi vero non dicebam, ne in aliquem nouercæ ſuſpicionem venirem) de his inquam dum colloquor ſola cum ſolo, ne erubeſceret, alia quidem pudet dicere, quibus me & te contumelia affecit: in vterum autem mihi inſiliens, vt ita valeam, quemadmodum vides, effecit. Hæc vt audiuit, non dixit quicquam, non interrogauit, non defenſionem prępoſuit, ſed tibi perſuadens, nullo modo eam de me aliquid mentitam eſſe, quæ eo animo erga me fuerit, extemplò, vt me oſtendit quadam in parte domus nihil ſcientem pugnis feriebat: & aduocatis famulis cædebat flagris: ne id, quid, quod vtique commune eſt, quamobrem cæderet, ſcientem. Poſtea vero quàm iram expleuit, vel nunc ſaltem (inquio) pater meritò, quandoquidem prius non licuit, cauſam harum plagarum ſcire debeo. At ille eo magis exacerbatus: O ſimulatum inquit, hominem: facta ſua impia ex me ſcire vult, & auerſus, ad Demænetam feſtinabat. Illa vero (nondum enim ſatiata fuerat) alium dolum talem contra me aggrediebatur. Erat illi ancilla Thiſbe, callens canere ad Citharam, forma & vultu non inuenuſto. Hanc in me emittit, vt me amaret imperans. Ac amabat repente Thiſbe, & quæ me tentantem antea ſæpius reiecerat, tum prorſus alliciebat ad ſeſe, aſpectu, nutibus, notis. Ego vero vanus, quod repente pulcher eſſem, credideram, & ad extremum in thalamum noctu venientem recepi. Illa vero iterum rediit, & deinceps continue veniebat. Veruntamen, cum aliquando multum illam adhortarer, ſibi vt caueret, ne à Domino deprehẽderetur: ô Cnemon, inquit, quã nimium ſimplex mihi videris eſſe, ſi me ancillam & argento emptam, tecum deprehendi periculoſum putas. Qua porro pœna illam dignam iudicabis, quæ ſe ingenuam eſſe prædicans, & legitimo iure coniugii cohabitatorem habens, denique mortem ſibi finem ſceleris eſſe propoſitum ſciens, adulterium commit-

tit? Deſine, inquibam: neque enim tibi fidem habere poſſum. Imo ſi tibi videbitur in ipſo facto adulterum tradam. Siquidem ita volueris, inquibam. Maxime volo reſpondit, & tua cauſa, qui ab illa iniuria affectus es: & non minus mea quoq;, vt quę extrema omnia quotidie patiaꝛ ab illa, vanam Zelotypiam erga me exercente. Quamobrem ſi vir es, deprehende. Cum autem ita fore promiſſem, tunc quidem abijt: tertia vero poſtea nocte dormientem me excitat, & adulterum intus eſſe ſignificat: patrem in agrum ſubitæ cuiuſdam neceſſitatis cauſa abiiſſe dicens: Iſtum vero, vt erat conſtitutum ad Demænetam nuper clam ingreſſum eſſe. Conuenire autem vt & ad vindictam me appararem, & armatus gladio ingrederer, ne improbus effugeret. Faciebam ita, & accepto pugione, Thiſbe præeunte & faces ſubijciente, ad thalamum ibam.. Cæterum vt aſtiti ychni cuiuſdam qui intus erat ſplendor penetrabat, & ego foribus obſeratis (vt eram commotus ira) effractis, aperiebam, & incurrens: vbi eſt conſceleratus clamabam, præclarus caſtæ omni ex parte amaſius? & ſimulatque prolocutus ſum, acceſſi vtrumque confoſſurus.. At pater ex lecto (dij boni) deuolutus, perculſus accidit ad genua mea, & ô fili, cohibe te paulu-lum, dicebat, miſerere parentis, parce canis, qui te enutrierunt. Iniuria te affecimus, ſed non tamen adeo, vt ad mortem vſque vindicta de me expetenda ſit: Ne indulgeas iræ, neque cæde paterna manus tuas contamines. Ille quidem his, & alijs præterea modis, miſerabiliter ſupplex pro ſe precabatur. Ego autem tanquam fulgure percuſſus, tacitus & attonitus ſtabam. Thiſben circumſpiciens, quæ neſcio, quo pacto ſubduxerat ſeſe. Lectum & Thalamum in orbem oculis luſtrabam, nec quid dicerem ſciens, nec ad agendum conſilij quicquam habens

Excidit mihi & pugio è manibus. Et hunc quidem Demæneta propere accurrens arripuit. Pater autem, cum iam extra periculum eſſet, iniicit mihi manus, & ligare iubebat, Demæneta multis modis irritante, & an non hæc erant, quæ prædicabam, clamante, quod caueri oporteret adoleſcentem, vtpote occaſione oblata moliturum aliquid? Intuebar vultum; mentem intelligebam. Ille autem, prædicebas, cum dixiſſet, ſed non credebam: me tum in vniculis detinuit, & exponere quippiam vt geſtum erat volenti, ne dicendi quidem poteſtatem fecit.

Quam primum autem illuxit, prehenſum ſic, vt eram vinctus.

ctus, produxit ad populũ, & aſperſo capiti puluere: Non ad hanc ſpē, O Athenienſes, hunc educabam, dicebat: ſed bacillum ſenectutis meæ futurum aliquando ſperans, vt primum mihi natus eſt liberaliter eductum, & initiis literatum inſtitutum, cum in tribules & gentiles introduxiſſem, in ephebeorum album retuliſſem, ciuem noſtrum etiam legibus effeciſſem, totam vitam meam ob hunc parum tranquille agebam. Cæterum poſtquam horum omnium oblitus me iniuriis primum, & hanc quæ mihi ſecundum leges cohabitat verberibus affecit: ad extremum, & gladio armatus noctu aduenit, & eatenus tantum ab eo quo mihi parricida fieret abfuit, quatenus fortuna reſtitit, inopinato terrore, vt illi gladius è manibus excideret, comparans, confugi ad vos, nomenque iſtius defero. Tametſi enim mihi per leges liceret, mea manu illum interimere, tamen nolui, idque totum veſtro reliqui arbitrio, melius me facturum exiſtimans, ſi de filio lege, non cæde, ſumerem pœnam. Et ſimul illachrymabat. Ejulabat quoque Demæneta, & ſe ob meum caſum dolore affici ſimulabat: miſerum appellans, ac iuſtè quid ſe ante tempus moriturum, à malis Geniis aduerſus parentes incitatum: non lugens magis quam teſtificans lachrymis, & tanquam veram accuſationem ploratu confirmans: Cum autem, & mihi dicendi poteſtatem dari poſtularem, ſcriba accedens, anguſtam quæſtionem inſtituit. An patrem armatus gladio aggreſſus eſſem? Me vero, aggreſſus ſum quidem: dicente, ſed quemadmodum audiſtis: exclamarunt omnes, ac neque cauſæ dicendæ ius ad me pertinere iudicantes, alij me lapidibus obrui debere, alij carnifici tradi, & in barathrum præcipitari cenſebant. Me vero, toto hoc tumultu, & temporis interuallo, quo de pœna ſtatuebant, ô nouerca, clamante heu propter nouercam tollor, nouerca me inudicatum perimit: adhæſit ad multos id quod à me dicebatur, & ſubibat eos ſuſpicio rei ipſius vt erat acta. Verum ne tum quidem audiebar. Ingens enim tumultus, & perturbatio populum præoccupauerat. Cum autem calculi diſcernerentur, mortem mihi decernentes circiter, mille & ſeptingenti reperti, quorum alij lapidibus me obruendum eſſe, alij in barathrum mittendum iudicabant. Reliqui verò ad mille qui aliquid dantes ſuſpicioni de nouerca exilio me in perpetuum damnabant. Nihilominus tamen horum vicit ſententia. Tametſi enim erant aliis ſimul coniunctis pauciores, tamen cum illi diuerſa tuliſſent ſuffragia, ſigillatim collatione facta mille maiorem numerum efficiebant. Atque ego quidem ita

laribus paternis, & patria pellebat. Nec tamen diis iuuiſa Demęnetam hoc deinceps impunè tulit: quo autem pacto, poſteo audietis: Nunc autem vobis eſt ſomno indulgendum: nam & ad multam noctem proceſſit, & vobis longa quiete opus eſt. Imò maiore moleſtia nos afficies, inquit Theagenes, ſe peſſimá hanc inultam in narratione reliqueris. Audite igitur, inquit Cnemon, quandoquidem vobis ita lubet. Ego ita vt eram, poſt iudicium deſcendi in Piræeum, & nactus nauem quæ tum ſoluebat, nauigabam Æginam, reſciſcens illic me habere conſobrinos matris. Eo cum applicuiſſem, & eos quos inquirebam inueniſſem, non inſuauiter primo tempus degebam. Viceſimo verò poſt die, ſolito more expacians deſcendi ad portum. Ecce autem lembus apparebat. Paululum igitur cômoratus, vnde eſſet, & quos apportaret, conſiderabam. Nec dum pons recte iacebat, cum exiluit quidam, & me accurrens amplectebatur. Erat autem Charias, vnus ex meis ſynephebis: &, ô Cnemon, lætum tibi nuncium affero, inquibat Luit iam tibi inimica pœnas, Demæneta mortua eſt. O vtinam ſis ſaluus Charia. Cur autem præteris hoc quicquid eſt læti nuncij: tanquam quippiam importunum afferens. Expone quæſo & modum. Quam metuo, ne vſitato more ſit mortua, & effugerit mortem, qua digna fuerat. Non omnino deſeruit nos (inquit Charias) iuſtitia, ſecundum Heſiodi ſententiá. Sed quamuis interdum aliquantiſper conuixerit in ſceleribus hominum, in lôgum tempus vltionem protrahens, tamen in eiuſmodi nefarios acrem iniicit oculum. Quæ & de conſcelerata Demæneta ſupplicium ſumpſit, neque me quicquam latuit eorum, quæ dicta aut facta fuerunt: Thiſbe mihi pro conſuetudine, quę illi mecũ intercedebat, omnia narrante. Cum enim tibi exilium iniuſtum decretum attuliſſet, pater infœlix horum quæ fecerat, pœnitentia ductus, in agrum quendam, & ſolitariam vitam ſeſe à conſuetudine hominum adduxit, & ibi degebat ætatem, ſuum animum exedens, vt dici ſolet. Illam vero ſtatim furiæ agitabant, & maiore cum furore te abſentem amabat; neque luctũ intermittebat vnquam, quaſi tuum caſum deplorans, reuera autem magis ſortem ſuam: & Cnemon (clamabat noctu ac interdiu) puſio ſuauiſſime: animam ſuam te appellans: vt etiam notæ mulieres illam inuiſentes, magnopere mirarentur, eamq; laudarent, quod nouerca materno amore eſſet prædita, & conſolari & confirmare conarentur. Illa verò maius malum eſſe, quam vt conſolatione leniri poſſet: & alias ignorare, quantus ſtimulus cor illius premeret, dicebat. Cum verò ad ſe

rediiſ-

rediiſſet, multis modis Tisben accuſabat, quod non commode illi inſeruiuiſſet: Quam nimiũ prompta es ad res atroces, inquiens, quæ in amore quidem me non adiuuiſti, at vt chariſſimo priuarer, dicto citius effeciſti, neque ſpacium mutandi conſilij mihi conceſſiſti, & prorſus manifeſtas dabat ſignificationes, quod eſſet illi mali aliquid molitura. Illa vero grauiter indignantem videns, & omnino mœrore perditam, paratamque ad inſidias comparandas, ira ſimul & amore inſanientem, ſtatuit illam ante venire, inſidiis illi ſtructis ſaluti ſuæ conſulens, & ingreſſa ad eam: Quid eſt hoc ô domina, dicebat, cur fruſtra accuſas famulam tuam? Ego quidem voluntati tuæ, cum antea ſemper, tum etiam non ſum obſecuta. Quod ſi aliquid non euenit ex animi ſententia, illa ſunt fortunę adſcribenda. Atqui & nunc ſi iubes, in excogitando leuamine præſentis mœroris, ſtudium meum tibi non deerit. Quod autem inquit illa, reperiri poſſit, cum is qui hæc leuare potuiſſet, magno locorum interuallo à nobis diſiunctus ſit, & me inſperata eorum qui indicabant lenitas peremerit? Si enim lapidibus obrutus fuiſſet, omnino & in me vna extincta fuiſſent & mortua hæc cupiditatis incendia. Cuius enim ſpes abiecta ſemel eſt, tollitur ex animo: & quod non amplius expectatur, efficit ad omnem ſenſum doloris ægri animi occalleſcant. Nunc videre me illum videor, per errorem præſentem audire arbitror, cum iniuſtas inſidias mihi obiiciente, vt probrum colloqui erubeſco. Interdum verò, & adueniente fruituram eſſe exiſtimo, & nonnunquam ipſa ad illum, vbi vbi terrarum ſit, ire ſtatuo. Hæc me inflammant, hæc ad furorem adigunt. Iuſta quidem, ô dij, patior. Cur enim illum non beneuolentia complectebar, ſed inſidiis petebam? Cur non ſupplex fui, ſed hoſtiliter ſum perſecuta? Non admiſit primum, & merito quidem, vt alienam. Cubile paternum reuerebatur. Fortaſſis adductus fuiſſet, cum tẽpore, tum perſuaſionibus in leniorem ſentẽtiam traductus. Sed ego fera & immanis, quaſi non amarem quempiam, ſed illi imperarẽ, crudele facinus, quod imperio non paruiſſet, & quod Demænetam contempſiſſet, quam lõge forma ſuperabat, perpetraui. Cęterum ô mea Thisbe, quam leuationẽ facilem nominaſti? O domina, inquit, multorũ opinione Cnemon ex vrbe abiit, & Attica regione iudicio obtẽperans exceſſit. Me vero nõ latuit, propter te anxie omnia inquirentem, quod hic quodam in loco ante vrbem occultaretur. De Arſione audiſti procul dubio, de tibicina ſcilicet: cũ hac conſueuerat.

Poſt

Poſt calamitatem recipit eum puella, & promittens ſe vnâ emigraturam eſſe, detinet domi ſuæ abſconditum tamdiu, quo ad ſeſe compararit. Demæneta autem; O beatam inquit Arſinoen, tum propter priorem conſuetudinem quæ illi cum Cnemone interceſſit, tum propter hoc exitium, quod ipſi cum illo contigit. Sed hæc quid ad nos pertinet? Magnopere ô domina. Amare me ego Cnemone ſimulabo, rogaboque. Arſinoen iampridem mihi notam ex arte, vt me introducat noctu ad eum, ſuum in locum. Quod ſi à me obtinebitur, tum erit, vt te iam Arſinoen eſſe putes, & tanquam illa ad eum ingrediaris. Curabo autem id quoque, vt cum aliquátum adbiberit, cubitum eat. Si igitur adepta fueris id quod cupis, maximè tum conuenit vacare amori. Multis primo experimento extinctum eſt cupiditatis incendium. Amoris enim, quo res proſequimur, finis eſt ſatietas. Quod ſi tum quoque mãſerit, quod abſit: ſecunda erit, vt aiunt, nauigatio, & aliud conſilium. Interea curemus id quod in præſentia licet. Approbabat hæc, & collaudabat Demæneta: Et vt quam primum eggrederetur ad ea quæ fuerunt cõſtituta, orabat. Illa vero diem vnum ſibi adhæc peragenda concedi à domina cũ poſtulaſſet, Arſinoen quidem conueniens: Teledemum noſti? dicebat, hac vero annuente: Recipe nos inquit, hodie pollicita ſum enim illi hanc noctem, veniet autem prior: at ego ſubſequar, cum dominam cubitum deduxero. Ad Ariſtippum autem cum percurriſſet in agrum, ſic locuta eſt. Venio ad te here, accuſatrix mei ipſius, & ſtatuas in me pœnam arbitrio tuo: filium per me amiſiſti, non quid volentem, ſed tamen adiutricem. Cum enim ſenſiſſem, dominam haud recte viuere, ſed cubili tuo iniuriam inferre, tum mihi ipſi metuens, ne ſi res per alium quempiã deprehẽſa fuiſſet, non effugerem malum: tum præcipue tuam vicem dolens, quod cum tanto amore coniugem tuam complecteretis, talem tamen ab illa referres gratiam: ipſa tibi annunciare verita, iuueni hero indico cum noctu ad illum veniſſem; vt nullus ſcire poſſet: & dicebam, quod adulter cum domina inceſtam conſuetudinem haberet. At ille (erat enim ab illa vt ſcis, antea exacerbatus) putans, me tum adulterum intus eſſe dicere, ira vehementi incitatus, arrepto pugione, me ſæpius retinere cupientem & quod tum nihil tale eſſet dicentem, parum curans, vel etiam pœnitere iudicij & ſententiam mutaſſe arbitratus, ad thalamum tanquam amens ibat. Reliqua iam noſti. Nunc vero tibi licet, vt te de filio, quamuis in exilio degat ætatem in præſentia purges: & de vtraque noſtrum, qua

vos

vos iniuria affecimus, ſumas pœnas. Oſtendam enim tibi hodie Demænetam cum adultero, in domo (quod vel maxime indignitatem auget) aliena extra vrbem, cubantem. Si hæc ita demonſtraueris inquit Ariſtippus, tibi quidem libertatis precium perſoluetur: ego autem reuiuiſcerem, inimicam vlciſcens. Quandiu ego iam angor animo, nihilominus tamen, etſi rem ſuſpicabar, cum manifeſta argumenta, quibus conuincere poſſum, non haberem, quieſcebam. Sed quid faciendum eſt? Hortum ſcis inquit, vbi eſt monumentum Epicuræorum? ibi me ſub veſperam veniens opperito. Hoc elocuta, recurrebat: & ad Demænetam veniens, Adornate, inquit: delicatius comptam venire decet. Omnia quæ tibi à me promiſſa fuerunt, parata ſunt. Illa autem amiciebat ſeſe & faciebat ita quemadmodum iuſſerat. Poſtea vero quum aduenit veſpera, ſecum aſſumptam ducebat, vt erat conſtitutum. Cumque iam prope accederet, eam quidem ſubſiſtere paululum iuſſit: ipſa vero antevertens, rogabat Arſinoen, in alteram vt emigraret domunculam, & ſibi quietem concederet. Erubeſcere enim aiebat adoleſcentulum, nuper veneriis rebus initiatum. Hac vero ſibi perſuaderi facile paſſa, reuerſa adiungebat ſibi Demænetam: & cum introduxiſſet, deponit in lectum, & candelam aufert (ne ſcilicet agnoſceretur à te, qui id temporis in Aegina verſabaris) cumque tacentem implere cupiditatem mandaſſet: Ego vero ad adoleſcentem (inquit) abeo, & adducam tibi eum, in vicinia enim hic potat. Porrò cum exiiſſet, Ariſtippum in eo loco, qui commemoratus eſt, deprehendit, & vt veniens ligaret adulterum, incitabat. Ille autem ſubſequebatur, & cum acceſſiſſet, incurrit in domunculam, lectoque vix ad exiguum lunæ ſplẽdorem inuento: Habeo, te, inquit, ô diis inuiſa. Thiſbe autem repente, hæc illo loquente, fores vt creparent quam maxime potuit, impulit: & ô rem inauditam, effugit nobis adulter, exclamauit. Vide autem here, ne iterum aberres. Ille verò, eſto fidenti animo, inquit. Perditam & ſceleratam, quam maximè volui, habeo, comprehenſamque ducebat in vrbem Acilla, omnia quæ circumſtabant apud ſeſe expendens, vt eſt veriſimile: expectationis ſuæ fruſtrationem, delictorum ignominiam pœnam legibus conſtitutam. Tum excrucians ſeſe ob ea in quibus deprehenſa fuerat, & indignè patiens quod decepta & deluſa eſſet: cum ad puteum qui eſt in Academia perueniſſet (notus eſt tibi locus, vbi Heroibus duces more & inſtituto patrio parentant) repente diuulſis ſenis manibus, in caput ſe præcipitem dedit. Et illa quidem

ſcunt intellectu, & ſtultiores profecta ætate euadunt. Tum puer, doctiſſimus ergo profecto ſapientiſſimuſque præ cæteris vos in teneris annis fuiſtis. Obſtupuit ſubito faceteque reſponſo cardinalis, ſtultitiæ ab ipſo reprehenſus, quem ferme infantem videbat.

EQVES. Omittamus ea quæ alternatim pungunt, ne dum ſtultorum mores recenſere eſt animus vobis, in ſtultorum ordinem & ipſi accenſeamini. Videntur enim dicta veſtra ſpirare occultam quandam ſuperbiam, quæ quidem potiſſima ſtultitiæ ſpecies eſt. Et quantum mihi colligere videor, error eſt vtrobique in verbis, quæ vltro citroque miſcetis. Eſtque talis contentio, qualis olim fuit duorum Nobilium de inſigni armorum. Hiſtoria hæc eſt: Ianuenſis onerariæ nauis patronus qui in Gallia conductus à rege aduerſus anglicos nauigauit, geſtabat ſcutum in quo bouis caput depictum erat. Conſpicatus hunc Gallicus nobilis: cum illud armorum inſigne ſibi vendicaret. Orta altercatione gallicus Ianuenſem ad certamen prouocauit. Ianuenſis accepta prouocatione in campum ad certamen nullo apparatu deſcendit. alter multis impenſis ornatiſſimis in campum conſtitutum venit. Tum Ianuenſis: Quid eſt, inquit, propter quod certaturi hodie inuicem ſumus? Ille, aſſero (inquit) tua inſignia mea meorumque priuſquam tuorum fuiſſe. Cum Ianuenſis, quænam ſua eſſe diceret, caput bouis ait. Hoc, Ianuenſis, non eſt opus certamine aliquo inquit. Nam hoc quod porto, non bouis, ſed vaccæ eſt caput. Faceto dicto inanis Gallici iactantia eſt eluſa.

Stulta ſuperbia.

Nobilium altercatio ſuper inſignibus.

SENEX. Plurimi ſunt eiuſmodi oſtentatores, qui omnes ſtultitiæ ſupremam claſſem, imo primæ eiuſdem decuriæ inſident. Talis fuit is qui viſitando vxoris affines, à ſocio vt commendaretur, flagitabat. Hiſtoria hæc eſt: Deſponſauerat vxorem quidam haud ſatis firma valetudine & minime opulentus, accerſitus æſtate ad cænam ab vxoris parentibus, duxit ſecum amicum quendam rogans vt ſemper verbis augeret ea quæ ab ſe dicerentur. Laudante ſocero tunicam qua veſtitus erat, ſe aliam multo pulchriorem gener habere dixit. Tum ſocius præter eam, alteram etiam, duplo precioſiorem illi eſſe aſſeuerauit: rogante ſocero & quas poſſeſſiones haberet, ſe prædium extra oppidum poſſidere ait, quod victum ſuppeditaret. Non meminiſti, inquit ſocius, & alterius prædij quod illo multo eſt elegantius, ex quo plurimos nummos contrahis? Deinde ad ſingula quæ ab illo iactabantur, ſocius duplum conferebat. Cum vero parum

Affinis corã affinib. ſtultitia.

rum quid ederet, ſocerque hortaretur ad cibum. Non bene me, inquit, æſtate habeo. Hic ſocius, vt ſolitam iactantiam ſeruaret, plus multo quam dicat eſt, inquit. Nam æſtate male ſe habet, & multo peius hyeme. His verbis cum riſiſſent omnes leuiſſimi hominis iactantiam ad falſam laudem quæſitam: ſtultitiæ præmium tulit.

IVVENIS. Audite conſimilem φιλαυτίας, atque oſtentationis hiſtoriam. Paſquinus Senenſis vir dicax ac iocoſus mutato ſtatu ciuitatis, cum exul à patria Ferrariam ſe contuliſſet: acceſſit ad eum viſendi gratia ciuis quidam Senenſis haud magni vir precij qui ex Venetijs Senas redibat: comiter à Paſquino ſuſceptus. Cum inter loquendum ſuam ille operam ſi quid in eius gratiam agere poſſet Senis, polliceretur, & aliquid ſe poſſe ad iactantiam oſtendens ſubderet: ego ſum de corpore præſentis ſtatus. Tum Paſquinus, vtinam cito creper id corpus, inquit, vt tu tuiq; ſimiles ex eo quam primum egrediantur. Facete iactantiam hominis caſtigauit.

Ciuis Senenſis oſtētatio.

SENEX. Ad hanc claſſem referri quoque poſſunt illi qui prodigioſis aſſentationibus ſalutationes ſuas infarciunt, dum nimirum ipſo etiam hominis nomine prætermiſſo, hunc ſolem dicunt, alium Lunam: hunc luciferum, alium cynoſuram, aut lucernam ardentem, ſpeculum ſine macula, turibulum odoriferum, pyxidem vnguentariam, candelabrum aureum, virtutum ſacrarium, diſciplinarum theſaurum, omnis ſcibilis gazophylacium, phœnicem, aquilam, vitem, hortum, flumen, fontem, pelagus, apicem, culmen, florem, gemmam, iubar, fulmen, paradiſum: denique rerum omnium laudabilium copiæ cornu. & quid non? Atque etiam ne parum ſint Gnathones, quemadmodum alios immodice efferunt, ita ſeſe pari venuſtate deijciunt, atque extenuant, ſeruulos à pedibus, viliſſima mancipia eius cui ſcribunt appellantes. Huius ſalutationis exemplum hoc erit, ſi quis forte requiret animi cauſa: Perſpicaciſſimo domino, ſeptem artium liberalium candelabro aureo. Radianti Theologorum apici. Religionis lucernæ ſemper fulgenti. Dominicalis ordinis lucifero. Vtriuſq; teſtamenti gazophylacio. Hæreſiarcharum malleo. Omnium virtutum heroicarum & non heroicarum, ſpeculo limpidiſſimo. Digniſſimo domino meo domino p̄ceptori, humilimus dominationis ſuæ diſcipulus, & viliſſimus ſeruitor oſcula pedum pro ſalute.

Salutationũ formulæ monſtroſæ.

EQVES. Ridiculæ ſunt hæc quadantenus, & propemodum etiam digna commiſeratione. At hoc quod iam referam, ſtultiſſimæ adeoque omnibus diris deuouendæ ſuper-

Cõſul inſultum è Baptiſmo leuare detrectãs egregie multatur.

ſuperbiæ ſpecimen, nulla dignum eſt commiſeratione. Hiſtoria hæc eſt. Suſceperat quidam in quadam Germaniæ ciuitate paſcendorum ſuum prouinciam. Huius vxor cum media fere æſtate puellum enixa eſſet, conſulem eius loci rogandum ſibi eſſe cenſuit, vt pro filio iſto ſuo ad ſacrum fontem fideiuberet, idque his præcipue de cauſis. Principio quod liberalius ſe munuſculum accepturum ſperaret, ſi conſuli honorem hunc haberet, quam ſi alij cuipiam ex fece vulgi eum deferret. Deinde vero quod ſpectaret, ſe hoc pacto conſulem ita demereri poſſe, vt perpetuum ſibi hoc paſcendi illic ſues munus atque officium foret, neque ab alio quopiam extruderetur. Cæterum quid fit? Communicat cum coniuge conſilium: Cui & ipſi apprime hoc placet. Proficiſcitur igitur ſubulcus tandem aliquando ad Conſulem, eumque per omnia ſacra obteſtatur, vt poſtridie pro ſuo filio ad ſacrum fontem fideiubere dignetur. Conſul autem, qui totus ſuperbia faſtuque turgeret, ad ſuique contumeliam vergere ſomniaret, ſi homini illi hoc officij præſtaret, ſibi integrum non eſſe reſpondit, vt ipſius gnatum ex ſacro fonte ſuſciperet. Interim tamen tibi demonſtrabo, inquit, qui has ſuſcipiendi filij tui partes animo lubentiſſimo ſit & ſuſcepturus, & ſubiturus. Ac is quidem, dixit, eſt Princeps noſter.

Ad illum igitur proficiſcere, eumque roga. Quid multa? Subulcus vtpote homo ſimplex Conſulis dicto eſt audiens. Itaque Princeps olfaciens ſubulcum ab alio quopiam inſtigatum iſtud à ſe petere, ſtatim quidem dat fidem, ſe hoc illi officij præſtiturum: interim tamen diligentiſſime ex eo percontatur, ſua ne ſponte, an vero alterius inſtinctu hunc honorem ſibi deferret. Tum ſubulcus: Ego vero, Princeps illuſtriſſime, idemque compater melliciſſime, mea ſponte nunquam fuiſſem auſus hanc tibi moleſtiam ſuſcipiendi filij mei exhibere. Cæterum cum à Conſule noſtro hoc multis precibus contenderem, neque vllus meis precibus locus relinqueretur, ſed recta ab illo ad te reijceret, putaui mihi Conſulis noſtri vtpote hominis prudentis conſilium minime aſpernandum eſſe. Iſto igitur Conſule noſtro auctore atque impulſore ad te confugi. Tum Princeps: Bene eſt mi compater. Faciam equidem, ne meæ hic partes deſiderentur. Quid fit? Poſtridie Princeps bubulci iſtius filium ſuſcipit: E templo autem egreſſus & compatrem iſtum ſuum & complures ex nobilitate ſecum in diuerſorium publicum, vbi lautum apparandum prandium curauerat, aſſumit, ac omnes ſtrenue bibere

bere pergræcarique iubet. Poſtridie vero Conſuli ad ſe accerſito ait: Ego, quod tu otioſus non eſſes, heri bubulci tui filium ex ſacroſancto baptiſmatis fonte ſuſcepi, ac in iſto hoſpitio prandium curaui adornandum, quod conſtat florenis triginta. Hos tu ad vnum omnes hoſpiti numerabis. Cæterum cum nullo adhuc compatrem meum munuſculo affecerim, volo, vt eidem numeres thaleros quinquaginta. Nec mora Conſulem mox præcipitem per fornicem agit, eidemque mox & conſulatum abrogat, & ſenatu ipſum mouet.

SENEX. Digna mehercule pœna eſt, qua optimus Princeps iſtius inhumanitatem corripiendam eſſe putauit. Profecto ſi Conſul iſte, quo nihil vel fingi ſuperbius vel inſolentius poterat, pro diuitis alicuius filio ad ſacrum fideiubere fontem debuiſſet, omni idipſum haud dubij animi promptitudine facturus erat: at vero cum à miſero hoc pauperculoque rogaretur, ipſum repulit, ac enormi quadam audacia atque impudentia ad Principem reiecit. Digni ſane erant nebulones iſti, qui hoc officij aliis rogati denegant, vt ex honeſta piorum hominum ſocietate excluſi ad Sauromatas & in humanos vſque Getas & Turcas relegarentur. Idque non raro fieri perniciosiſſimo admodum exemplo, magnaque cum bonorum offenſione, ipſa experientia locupletiſſime teſtatum facit. Reperias etiam, qui quidem licet omnino non recuſent, quo minus rogati ab alijs pro filiolis ipſorum ad ſacrum baptiſma fideiubeant, attamen certe inuiti admodum hanc in ſeſe prouinciam recipiant. Quos pariter, ne impune ferrent hoc ſcelus, pœna aliqua iis condigna irrogata, Magiſtratus officij admonere ſui, & in viam reducere debebat.

IVVENIS. Ego non ſuperbæ quidem, extreme tamen inſanæ ſtultitiæ, ſeu ſtultæ potius inſaniæ exemplum hic recenſebo, quod tametſi prolixum eſt, non tamen erit opinor vobis auditu iniucundum. Eſtque de nouerca & priuigno, ſuper cuius prauis ac deploratis attentationibus priuignus longa ſerie coram amico conqueritur his quæ ſequuntur verbis: Fuit mihi pater Ariſtippus, genere Athenienſis, ex ſenatu ſuperiori, fortunis cuiuis mediocrium ciuium par. Is, cum accidiſſet, vt mea mater è vita diſcederet, ad ſecundas nuptias animum adiecit: indignum ratus propter me vnum filium, incerto animo atque parum conſtanti viuere. Introducit itaque in ædes mulierculam vrbanam quidem, ſed inueteratæ malitiæ, nomine Demænetam. Vt primum enim ingreſſa eſt, totum in ſuam poteſtatem redigere conabatur, & ad id, quod ipſa vellet facien-

Nouercæ inſana erga priuignum ſtultitia.

dium adducebat. Forma ſenem alliciens, & cum aliijs in rebus ambitioſe obſeruans, (nam ſi vlla alia mulier, maxime poterat furibundum ſui deſiderium excitare: & artem alliciendi, exactius quam credibile eſt, nouerat) tum egreſſibus patris mei ingemiſcens, & ad ingreſſus accurrens, & tardius venientem accuſans, quod videlicet perijſſet, ſi paululum commoratus fuiſſet, & amplectens poſt ſingula verba, denique lachrymas addens oſculis. Quibus omnibus pater infaſcinatus, totam illam & ſpirabat, & contuebatur. Illa vero & me primum non ſecus ac ſi ſuus eſſem filius, in oculis ferre ſimulabat, hoc etiam ſibi Ariſtippum demerens, & interdum oſculata eſt accedens, & ſubinde, vt mecum ſe oblectare poſſet optauit. Quod ego admittebam, nihil eorum quæ ſuberant ſuſpicans. Admirans autem, quod maternum erga me declararet affectum. Cum vero petulantius accederer, & calidiora eſſent oſcula, quam decebat, & aſpectus modeſtiam excederet, in ſuſpicionem iam apud me illam multa adducebant, & ſubterfugiebam, ac blandientem repellebam. Omitto alia; quæ moleſtum eſſet prolixius commemorare, quibus rationibus me adorta ſit, quas pollicitationes propoſuerit, nunc puſionem, nunc ſuauiſſimum appellans, & rurſus hæredem, & paulo poſt animam ſuam cognominans. Denique pulchra nomina illecebris admiſcens, & quibus potiſſimum rebus caperet conſiderans, vt in grauioribus negotijs ſimularet matris habitum, in ludicris autem amare ſe manifeſte declaret. Ad extremum, tale quiddam accidit. Cum quinquatria magna celebrarentur, quando nauem Athenienſes Palladi terra mittunt, nondum autem tum exceſſeram ex ephebis, poſtquam cecini vſitatum pæanem deæ & legitimo ritu & pompa proſecutus ſum, quemadmodum eram amictus, vnà cum Chlamyde & coronis redeo domum. Illa vero, cum primum aſpexit, excedit ex poteſtate mentis, neque amplius aſtu amorem texit, ſed pro mera cupiditate accurrit & amplexa, iuuenis Hippolytus, Theſeus meus, dicebat. Quo animo vero tum me fuiſſe putaris, quem & nunc narrare pudeat? Veſperi pater in Prytaneo cœnabat, & quemadmodum in eiuſmodi conuentu & publico conuiuio, ibidem pernoctaturus erat. Illa autem venit ad me noctu & conata eſt contra fas quippiam aſſequi. Sed cum prorſus reſiſterem & omnibus blanditijs, pollicitationibus, & minis repugnarem, grauiter & ab imo pectore ingemiſcens abijt, & vna tantum nocte interpoſita, inſidias mihi ſtruere.

ere ſcelerata cœpit. Ac primum quidem neque è lecto ſurrexit, ſed venienti patri, & quid eſſet rei percontanti infirma ſe eſſe valetudine ſimulabat. Cum vero inſtaret, & quid illi accidiſſet, ſæpius quæreret. Egregia pietate inquiebat, etiam erga me adoleſcens, communis noſter filius, quem ego (deos conteſtor) plus etiam, quam te ſæpe dilexi, cum me grauidam eſſe quibuſdam ex rebus ſenſiſſet (quod ego te tamdiu celaui, quoad aliquid certi ſcire poſſem) & abſentiam tuam obſeruaſſet, dum illum ſolito more moneo, & ad temperantiam adhortor, neue ſcortis & ebrietati animum dederet oto (neque enim me id latebat, tibi vero non dicebam, ne in aliquem nouercæ ſuſpicionem venirem) de his inquam dum colloquor ſola cum ſolo, ne erubeſceret, alia quidem pudet dicere, quibus me & te contumelia affecit: in vterum autem mihi inſiliens, vt ita valeam, quemadmodum vides, effecit. Hæc vt audiuit, non dixit quicquam, non interrogauit, non defenſionem præpoſuit, ſed tibi perſuadens, nullo modo eam de me aliquid mentitam eſſe, quæ eo animo erga me fuerit, extemplò, vt me oſtendit quadam in parte domus nihil ſcientem pugnis feriebat: & aduocatis famulis cædebat flagris: ne id, quid, quod vtique commune eſt, quamobrem cæderet, ſcientem. Poſtea vero quàm iram expleuit, vel nunc ſaltem (inquio) pater meritò, quandoquidem prius non licuit, cauſam harum plagarum ſcire debeo. At ille eo magis exacerbatus: O ſimulatum inquit, hominem: facta ſua impia ex me ſcire vult, & auerſus, ad Demænetam feſtinabat. Illa vero (nondum enim ſatiata fuerat) alium dolum talem contra me aggrediebatur. Erat illi ancilla Thiſbe, callens canere ad Citharam, forma & vultu non inuenuſto. Hanc in me emittit, vt me amaret imperans. Ac amabat repente Thiſbe, & quæ me tentantem antea ſæpius reiecerat, tum prorſus alliciebat ad ſeſe, aſpectu, nutibus, notis. Ego vero vanus, quod repente pulcher eſſem, credideram, & ad extremum in thalamum noctu venientem recepi. Illa vero iterum rediјt, & deinceps continue veniebat. Veruntamen, cum aliquando multum illam adhortarer, ſibi vt caueret, ne à Domino deprehēderetur: ô Cnemon, inquit, quā nimium ſimplex mihi videris eſſe, ſi me ancillam & argento emptam, tecum deprehendi periculoſum putas. Qua porro pœna illam dignam iudicabis, quæ ſe ingenuam eſſe prædicans, & legitimo iure coniugіј cohabitatorem habens, denique mortem ſibi finem ſceleris eſſe propoſitum ſciens, adulterium commit-

tit? Deſine, inquibam: neque enim tibi fidem habere poſſum. Imo ſi tibi videbitur in ipſo facto adulterum tradam. Siquidem ita volueris, inquibam. Maxime volo reſpondit, & tua cauſa, qui ab illa iniuria affectus es: & non minus mea quoq;, vt quę extrema omnia quotidie patiar ab illa, vanam Zelotypiam erga me exercente. Quamobrem ſi vir es, deprehende. Cum autem ita fore promiſſem, tunc quidem abijt: tertia vero poſtea nocte dormientem me excitat, & adulterum intus eſſe ſignificat: patrem in agrum ſubitæ cuiuſdam neceſſitatis cauſa abiiſſe dicens: Iſtum vero, vt erat conſtitutum ad Demænetam nuper clàm ingreſſum eſſe. Conuenire autem vt & ad vindictam me appararem, & armatus gladio ingrederer, ne improbus effugeret. Faciebam ita, & accepto pugione, Thiſbe præeunte & faces ſubijciente, ad thalamum ibam.. Cæterum vt aſtiti ychni cuiuſdam qui intus erat ſplendor penetrabat, & ego foribus obſeratis (vt eram commotus ira) effractis, aperiebam, & incurrens; vbi eſt conſceleratus clamabam, præclarus caſtæ omni ex parte amaſius? & ſimulatque prolocutus ſum, acceſſi vtrumque confoſſurus.. At pater ex lecto (dij boni) deuolutus, perculſus accidit ad genua mea, & ô fili, cohibe te paululum, dicebat, miſerere parentis, parce canis, qui te enutrierunt. Iniuria te affecimus, ſed non tamen adeo, vt ad mortem vſque vindicta de me expetenda ſit: Ne indulgeas iræ, neque cæde paterna manus tuas contamines. Ille quidem his, & alijs præterea modis, miſerabiliter ſupplex pro ſe precabatur. Ego autem tanquam fulgure percuſſus, tacitus & attonitus ſtabam. Thiſben circumſpiciens, quæ neſcio, quo pacto ſubduxerat ſeſe. Lectum & Thalamum in orbem oculis luſtrabam, nec quid dicerem ſciens, nec ad agendum conſilij quicquam habens.

Excidit mihi & pugio è manibus. Et hunc quidem Demæneta propere accurrens arripuit. Pater autem, cum iam extra periculum eſſet, iniicit mihi manus, & ligare iubebat, Demæneta multis modis irritante, & an non hæc erant, quæ prædicabam, clamante, quod caueri oporteret adoleſcentem, vtpote occaſione oblata moliturum aliquid? Intuebar vultum; mentem intelligebam. Ille autem, prædicebas, cum dixiſſet, ſed non credebam: me tum in vniculis detinuit, & exponere quippiam vt geſtum erat volenti, ne dicendi quidem poteſtatem fecit.

Quam primum autem illuxit, prehenſum ſic, vt eram vinctus,

ctus, produxit ad populũ, & aſperſo capiti puluere: Non ad hanc ſpẽ, O Athenienſes, hunc educabam, dicebat: ſed bacillum ſenectutis meæ futurum aliquando ſperans, vt primum mihi natus eſt liberaliter eductum, & initiis literarum inſtitutum, cum in tribules & gentiles introduxiſſem, in epheborum album retuliſſem, ciuem noſtrum etiam legibus effeciſſem, totam vitam meam ob hunc parum tranquille agebam. Cęterum poſtquam horum omnium oblitus me iniuriis primum, & hanc quæ mihi ſecundum leges cohabitat verberibus affecit: ad extremum, & gladio armatus noctu aduenit, & eatenus tantum ab eo quo mihi parricida fieret abfuit, quatenus fortuna reſtitit, inopinato terrore, vt illi gladius è manibus excideret, comparans, confugi ad vos, nomenque iſtius defero. Tametſi enim mihi per leges liceret, mea manu illum interimere, tamen nolui, idque totum veſtro reliqui arbitrio, melius me facturum exiſtimans, ſi de filio lege, non cæde, ſumerem pœnam. Et ſimul illachrymabat. Ejulabat quoque Demæneta, & ſe ob meum caſum dolore affici ſimulabat: miſerum appellans, ac iuſtè quid ſe ante tempus moriturum, à malis Geniis aduerſus parentes incitatum: non lugens magis quam teſtificans lachrymis, & tanquam veram accuſationem ploratu confirmans: Cum autem, & mihi dicendi poteſtatem dari poſtularem, ſcriba accedens, anguſtam quæſtionem inſtituit.. An patrem armatus gladio aggreſſus eſſem? Me vero, aggreſſus ſum quidem: dicente, ſed quemadmodum audiſtis: exclamarunt omnes, ac neque cauſæ dicendæ ius ad me pertinere iudicantes, alij me lapidibus obrui debere, alij carnifici tradi, & in barathrum præcipitari cenſebant. Me vero, toto hoc tumultu, & temporis interuallo, quo de pœna ſtatuebant, ô nouerca, clamante heu propter nouercam tollor, nouerca me iniudicatum perimit: adhæſit ad multos id quod à me dicebatur, & ſubibat eos ſuſpicio rei ipſius vt erat acta. Verum ne tum quidem audiebat. Ingens enim tumultus, & perturbatio populum præoccupauerat. Cum autem calculi diſcernerentur, mortem mihi decernentes circiter, mille & ſeptingenti reperti, quorum alij lapidibus me obruendum eſſe, alij in barathrum mittendum iudicabant. Reliqui verò ad mille qui aliquid dantes ſuſpicioni de nouerca exilio me in perpetuum damnabant. Nihilominus tamen horum vicit ſententia. Tametſi enim erant aliis ſimul coniunctis pauciores, tamen cum illi diuerſa tuliſſent ſuffragia, ſigillatim collatione facta mille maiorem numerum efficiebant. Atque ego quidem ita

laribus paternis, & patria pellebar. Nec tamen diis iuuiſa Demęnetam hoc deinceps impunè tulit: quo autem pacto, poſteo audietis: Nunc autem vobis eſt ſomno indulgendum: nam & ad multam noctem proceſſit, & vobis longa quiete opus eſt. Imò maiore moleſtia nos afficies, inquit Theagenes, ſi peſſimá hanc inultam in narratione reliqueris. Audite igitur, inquit Cnemon, quandoquidem vobis ita lubet. Ego ita vt eram, poſt iudicium deſcendi in Piræeum, & nactus nauem quæ tum ſoluebat, nauigabam Æginam, reſciſcens illic me habere conſobrinos matris. Eo cum appliculſſem, & eos quos inquirebam inueniſſem, non inſuauiter primo tempus degebam. Viceſimo verò poſt die, ſolito more expacians deſcendi ad portum. Ecce autem lembus apparebat. Paululum igitur cõmoratus, vnde eſſet, & quos apportaret, conſiderabam. Nec dum pons rectè iacebat, cum exiluit quidam, & me accurrens amplectebatur. Erat autem Charias, vnus ex meis ſynephebis: &, ô Cnemon, lætum tibi nuncium affero, inquibat Luit iam tibi inimica pœnas, Demæneta mortua eſt. O vtinam ſis ſaluus Charia. Cur autem præteris hoc quicquid eſt læti nuncij: tanquam quippiam importunum afferens. Expone quæſo & modum. Quam metuo, ne vſitato more ſit mortua, & effugerit mortem, qua digna fuerat. Non omnino deſeruit nos (inquit Charias) iuſtitia, ſecundum Heſiodi ſententiã. Sed quamuis interdum aliquantiſper conuixerit in ſceleribus hominum, in lõgum tempus vltionem protrahens, tamen in eiuſmodi nefarios acrem iniicit oculum. Quæ & de conſcelerata Demæneta ſupplicium ſumpſit, neque me quicquam latuit eorum, quæ dicta aut facta fuerunt: Thiſbe mihi pro conſuetudine, quę illi mecũ intercedebat, omnia narrante. Cum enim tibi exilium iniuſtum decretum attuliſſet, pater infœlix horum quæ fecerat, pœnitentia ductus, in agrum quendam, & ſolitariam vitam ſeſe à conſuetudine hominum adduxit, & ibi degebat ætatem, ſuum animum exedens, vt dici ſolet. Illam vero ſtatim furiæ agitabant, & maiore cum furore te abſentem amabat; neque luctũ intermittebat vnquam, quaſi tuum caſum deplorans, reuera autem magis ſortem ſuam: & Cnemon (clamabat noctu ac interdiu) puſio ſuauiſſime: animam ſuam te appellans: vt etiam notæ mulieres illam inuiſentes, magnopere mirarentur, eamq; laudarent, quod nouerca materno amore eſſet prædita, & conſolari & confirmare conarentur. Illa verò maius malum eſſe, quam vt conſolatione leniri poſſet: & alias ignorare, quantus ſtimulus cor illius premeret, dicebat. Cum verò ad ſe rediiſſ

rediiſſet, multis modis Tisben accuſabat, quod non commode illi inſeruiuiſſet: Quam nimiũ prompta es ad res atroces, inquiens, quæ in amore quidem me non adiuuiſti, at vt chariſſimo priuarer, dicto citius effeciſti, neque ſpacium mutandi conſilij mihi conceſſiſti, & prorſus manifeſtas dabat ſignificationes, quod eſſet illi mali aliquid molitura. Illa vero grauiter indignantem videns, & omnino mœrore perditam, paratamque ad inſidias comparandas, ira ſimul & amore inſanientem, ſtatuit illam ante venire, inſidiis illi ſtructis ſaluti ſuæ conſulens, & ingreſſa ad eam: Quid eſt hoc ô domina, dicebat, cur fruſtra accuſas famulam tuam? Ego quidem voluntati tuæ, cum antea ſemper, tum etiam non ſum obſecuta. Quod ſi aliquid non euenit ex animi ſententia, illa ſunt fortunę adſcribenda. Atqui & nunc ſi iubes, in excogitando leuamine præſentis mœroris, ſtudium meum tibi non deerit. Quod autem inquit illa, reperiri poſſit, cum is qui hæc leuare potuiſſet, magno locorum interuallo à nobis diſiunctus ſit, & me inſperata eorum qui iudicabant lenitas peremerit? Si enim lapidibus obrutus fuiſſet, omnino & in me vna extincta fuiſſent & mortua hæc cupiditatis incendia. Cuius enim ſpes abiecta ſemel eſt, tollitur ex animo: & quod non amplius expectatur, efficit ad omnem ſenſum doloris ægri animi occalleſcant. Nunc videre me illum videor, per errorem præſentem audire arbitror, cum iniuſtas inſidias mihi obiiciente, vt probrum colloqui erubeſco. Interdum verò, & adueniente fruituram eſſe exiſtimo, & nonnunquam ipſa ad illum, vbi vbi terrarum ſit, ire ſtatuo. Hæc me inflammant, hæc ad furorem adigunt. Iuſta quidem, ô dij, patior. Cur enim illum non beneuolentia complectebar, ſed inſidiis petebam? Cur non ſupplex fui, ſed hoſtiliter ſum perſecuta? Non admiſit primum, & merito quidem, vt alienam. Cubile paternum reuerebatur. Fortaſſis adductus fuiſſet, cum tẽpore, tum perſuaſionibus in leniorem ſentẽtiam traductus. Sed ego fera & immanis, quaſi non amarem quempiam, ſed illi imperarẽ, crudele facinus, quod imperio non paruiſſet, & quod Demænetam contempſiſſet, quam lõge forma ſuperabat, perpetraui. Cęterum ô mea Thisbe, quam leuationẽ facilem nominaſti? O domina, inquit, multorũ opinione Cnemon ex vrbe abiit, & Attica regione iudicio obtẽperans exceſſit. Me vero nõ latuit, propter te anxie omnia inquirentem, quod hic quodam in loco ante vrbem occultaretur. De Arſione audiſti procul dubio, de tibicina ſcilicet: cũ hac conſueuerat.

Poſt

vos iniuria affecimus, ſumas pœnas. Oſtendam enim tibi hodie Demænetam cum adultero, in domo (quod vel maxime indignitatem auget) aliena extra vrbem, cubantem. Si hæc ita demonſtraueris inquit Ariſtippus, tibi quidem libertatis precium perſoluetur: ego autem reuiuiſcerem, inimicam vlciſcens. Quandiu ego iam angor animo, nihilominus tamen, etſi rem ſuſpicabar, cum manifeſta argumenta, quibus conuincere poſſum, non haberem, quieſcebam. Sed quid faciendum eſt? Hortum ſcis inquit, vbi eſt monumentum Epicuræorum? ibi me ſub veſperam veniens opperito. Hoc elocuta, recurrebat: & ad Demænetam veniens, Adornate, inquit: delicatius comptam venire decet. Omnia quæ tibi à me promiſſa fuerunt, parata ſunt. Illa autem amiciebat ſeſe & faciebat ita quemadmodum iuſſerat. Poſtea vero quum aduenit veſpera, ſecum aſſumptam ducebat, vt erat conſtitutum. Cumque iam prope accederet, eam quidem ſubſiſtere paululum iuſſit: ipſa vero antevertens, rogabat Arſinoen, in alteram vt emigraret domunculam, & ſibi quietem concederet. Erubeſcere enim aiebat adoleſcentulum, nuper veneriis rebus initiatum. Hac vero ſibi perſuaderi facile paſſa, reuerſa adiungebat ſibi Demænetam: & cum introduxiſſet, deponit in lectum, & candelam aufert (ne ſcilicet agnoſceretur à te, qui id temporis in Aegina verſabaris) cumque tacentem implere cupiditatem mandaſſet: Ego vero ad adoleſcentem (inquit) abeo, & adducam tibi eum, in vicinia enim hic potat. Porrò cum exiiſſet, Ariſtippum in eo loco, qui commemoratus eſt, deprehendit, & vt veniens ligaret adulterum, incitabat. Ille autem ſubſequebatur, & cum acceſſiſſet, incurrit in domunculam, lectoque vix ad exiguum lunæ ſplẽdorem inuento: Habeo, te, inquit, ô diis inuiſa. Thiſbe autem repente hæc illo loquente, fores vt creparent quam maxime potuit, impulit: & ô rem inauditam, effugit nobis adulter, exclamauit. Vide autem here, ne iterum aberres. Ille verò, eſto fidenti animo, inquit. Perditam & ſceleratam, quam maximè volui, habeo, comprehenſamque ducebat in vrbem Acilla, omnia quæ circumſtabant apud ſeſe expendens, vt eſt veriſimile: expectationis ſuæ fruſtrationem, delictorum ignominiam pœnam legibus conſtitutam. Tum excrucians ſeſe ob ea in quibus deprehenſa fuerat, & indignè patiens quod decepta & deluſa eſſet: cum ad puteum qui eſt in Academia perueniſſet (notus eſt tibi locus, vbi Heroibus duces more & inſtituto patrio parentant) repente diuulſis ſenis manibus, in caput ſe præcipitem dedit. Et illa quidem

Bb iace-

iacebat mala malè. Hactenus verba Priuigni, Prolixa quidem hæc quæ interloqui potuiſſetis, ſed quia ipſius ſermonis tenor ſubinde interloquitur, ſtudio à nobis intermiſſa fuerunt interlocutoria.

EQVES. Hem execrãdum nouercæ iſtius attentamentum! Intercidunt ſanè etiam ſæpenumero inter coniuges quædam ſtultitiæ monimenta, quæ tametſi non vſquequaque ſint pudica, pleraque tamen in riſum tãdem abeunt, qualé eſt illud, quod de Dante quodã refertur, cuius hæc eſt hiſtoria: Dãtes quidam nomine, cuius vxor ferebatur parum pudica, cum ſæpiſſimè admonitus eſſet à ſociis, vt prohiberet turpitudinem domus, vxorem acrius increpabat. Illa multis lachrymis iuramentiſque honeſtatem ſuam tuebatur, aſſerens ea à maleuolis cõfingi, qui eorum quieti inuiderent. Perſuaſus vir huiuſmodi verbis, cum adhuc amici in increpanda vxore præſtarent. Ohe, ne me his verbis obtundatis amplius. Dicite, inquit, ne illa, an vos ſua errata melius noſtis? Cum illi vxorem affirmarent; illa vos omnes mentiri aſſirmat. Cuiſoli magis quã vobis omnibus præſto fidem. Huic hiſtoriæ addo & hanc: Florentinus ciuis peregre profectus: cum poſt annum qua die domum rediit, vxorem parturientem deprehendiſſet, ægre hoc ferebat ſuſpicans vxoris peccatum, cõnij tamen cauſa cũ penderet animo, quæſiuit à vicina matrona nobili & peracuta, an filius ſibi duodecim menſiũ naſci poſſet? At illa ſtultitia hominis conſpecta virũ conſolata. Certè inquit, nam ſi tua vxor qua die concepit, aſinum forte vidiſſet, more aſinæ annum integrum partum geſtabit. Acquieſcens vir matronæ verbis: & Deo gratias agens quod ſe ſuſpitione haud parua, vxorem magno ſcandalo liberaſſet: natum puerum ſuum dixit.

Dantis mariti ſtulta perſuaſio.

Florentini ciuis ſtulta credulitas.

IVVENIS. Is verò, quem iam dicam, cumprimis inſigne ſtultitiæ reliquit monumentum: Quidam in ciuitate Eugubij admodum zelotipus Ioannes nomine neſciebat quo maxime modo animaduerteret, ſi vxor cum altero aliquo conſueuiſſet, excogitata calliditate zelotipus digna ſeipſum caſtrauit, eo conſilio vt ſi vxor poſtmodum concepiſſet, in adulterio fuiſſe conuinceretur.

Caſtratio ſtulta.

EQVES. Riſum ſimul & indignationem, quod iam dixiſti, meretur, at hoc, quod iam dicam, perquam ridiculum eſt, illud nimirum de Fiſcellario. Fiſcellarius cum Fiſcellam è viminibus contexuiſſet, Deo gratias egit pro abſoluto opere, & vxorem hortatus, vt ipſa diceret, Deo ſit laus, quod hæc fiſcella ſit texta. Abnuit illa: ibi maritus vi compellit & recuſantem plagis mulctat. Cum autem lamentaretur, forte Nobilis præterit, quærit cauſam fletus: ea cognita, recte inquit,

Fiſcellarij fiſcella.

inquit, tibi & meritò hoc accidit. Domum reuerſus Nobilis narrat vxori, quid in via compererit. Vxor fiſcellario iraſcitur, quod coniugem ſuam ob rem tam lenem pulſaſſet. Quid vero inquit Nobilis? An & tu ita eſſes pertinax, vt mandanti mihi denegares hæc verba proloqui? Imò denegarem, ait mulier. Age actutum, inquit Nobilis, & dic, Laus ſit Deo, quoniam perfecta eſt Fiſcella: cum mulier recuſaret, miſerrimè vapulauit.

SENEX. Sic nimirum ſtultorum plena fuit & Fiſcellarij & Nobilis domus. Cæterum apud plebem, ruſticam præſertim gentem plurima extant ſimul & continuantur ſtultitiæ monumenta. Recenſebo vnum aut alterum.

Aſini ſtulta quæſitio. Mancinus vir ruſticus frumento ad oppidum quoddam aſellis vehēdo exercebatur, quos ille cōplures ad vecturam ſumebat. Cum vero ſemel à mercatu rediens, feſſus è via aſcendiſſet aſinum quendā præſtantiorem, computatis in via aſinis qui præibant, domo appropinquans, eoque quo vehebatur minime annumerato, viſum eſt ei vnum deeſſe. Turbatus igitur, ac reliquis aſinis vxori quoad rediret, commendatis, confeſtim eodem aſino quo ferebatur ad mercatū ſeptem milibus paſſuum retrocedit, quęrēſq; à ſingulis obuijs, an aſinū quempiā amiſſum reperiſſent? Cum omnes negarent, domum noctu mærens & dolens iacturam aſini, rediit. Tandem etiam ab vxore admonitus, cum deſcendiſſet, illum quem tanto ſtudio & dolore aſinum quæſierat, eſſe cognouit.

Alter Pierus nomine admodum incultus: cum vſque ad meridiem araſſet, feſſis bobus & ipſe labore fatigatus, rediturus in oppidum, aratrum ſuper aſellum alligat. Dein de aſellum præmiſſis bobus aſcendit: qui cum nimio onere grauatus ſub pondere deficeret. Sentit tandem Pierus, aſellum ire non poſſe. Tum deſcendens atque aratrum ſuper humerum ponens rurſus aſellum aſcendit, inquiens: Nunc recte ambulare potes. Non enim tu; ſed ego aratrum fero.

IVVENIS. Et illud quod recenſebo, lepidum eſt. Ruſticus quidam cum ſerò domum rediiſſet: clamare cœpit, ſe crus vehementer dolere. Vxor cùm oleo roſaceo crus perunxiſſet: ſtuppa & lana additis, faſcia inſuper linea circumuoluit. Homo cum dolore primi ſe diceret, ac gemens medicum poſtularet, aduenit ille & paulatim leniterque (magnum enim dolorem præ ſe ferebat) detecto crure, cum palpitans nihil in illo morbi eſſe diceret. Tum ruſticus, ergo hoc (alterum crus porrigens) quod doleo eſt, inquit. *Cruris alterutrius dolor incertus.* Stultitia hominis periucunda, quam quod doleret, a medico admoneri voluit.

Auaritiæ iuſta mulcta. SENEX. Auaritiæ ſtultitia aliquando in ruſtico quodam egregiè mulctata fuit. Hiſtoria hæc eſt. Mos erat in oppido quondam Piceni, vt qui hyeme porcum mactaſſet, vicinos ad cœnam inuitaret, quidam quo pacto eam impenſam vitaret, compatrem conſuluit. dic, inquit ille, cras, porcum tibi hac noctè furto ablatum. & ſimul nihil tale alio verētē clam porcum nocte ſubripuit. mane cōſpiciens ſibi porcum ablatum, ad compatrem profectus, alta voce querebatur porcum ſibi furto ſubreptum. Tum alter; recte compater mi ſapis, inquit. Ita enim te docui locuturum. Cum ille ſæpius & per deos omnes iuraret id verum eſſe. bene agis, reſpondebat, & ſecundum conſilium meum. Cum ille iuramento iteraret; hoc modo te loqui debere antea monui, reſpondebat, & ſanum conſilium dedi tibi. Tandem eluſus abiit. Cæterum non tantum in ruſticorum caulis, verum etiam in regum ac principū aulis & palatiis, ſtultitiæ extant monumenta.

EQVES. Notus eſt Rehabeami filii Salomonis inconſultus, adeoque ſtultus ſermo, quo decem tribuum Iſrael animos prorſus à ſe abalienauit, vt Hierohoamo in cæterum adhærerent. Et de Xerxis regis Perſarum ſtultitia Plutarchus in libro de non iraſcendo ſic ſcribit: *Xerxis ſtultitia.* Xerxes Perſarum rex Helleſponto ſtigmata & verbera inflixit, atque ad montem Athon miſit Epiſtolas: noli diuine Atho, qui nubes attingis vertice, operibus meis præbere lapides vaſtos, & parum tractabiles: alioquin ipſum te exſcindam, & in altum proiiciam.

SENEX. Extat prouerbiū apud Senecam: Aut regem aut fatuum naſci oportet; quod quidem prouerbium apud Romanos natum videtur, apud quos regis cognomen erat inuiſum, ſeu barbarum ac tyrannicum & pugnans cum publica vtilitate, quam illi vel inprimis tunc ſectabantur.

IVVENIS. Inſigni vtitur Homerus *Odyſſ. 9.* de ſuper ſimilitudine: Vt Cyclops exoculatus man⁹ quoquo verſum porrigebat, nullo certo ſcopo: Ita magnus rex cui deſit prudētia, quiduis aggreditur ingenti rerū tumultu, ſed nullo iudicio. Hinc recte Troiani & Græci ob vnius Menelai & Paridis ſtultos amores, pro Helena adultera decennali bello contendentes manifeſtæ ſtultitię ab Horatio in Epiſtolis damnantur, vbi de Iliade Homeri ſcribit.

Fabula, quæ Paridis narratur, propter amorem
Græcia Barbariæ lento colliſa duello:
Stultorum regum & populorum cōtinet æſtus.

Sed nunc ad ipſorum legatos ſiue proceres tranſeamus. Nam & hi quandoque ſtultitia quadam nota, eaque ſępenūmero admodum craſſa fiunt inſignes.

EQVES.

EQVES. In horum numero fuit olim Florentinus ille legatus, quem populus Florentinus ad Iohannam reginam quondam Neapolitanam deſtinauit. Franciſcus is nomine fuit; doctor legum, licet admodum indoctus, qui cum reginæ mandata quædam expoſuiſſet, poſtridieque ad eam reuerti iuſſus, audiſſet interim reginam haud aſpernari viros præſertim forma conſpicuos, ad reginam redijt, multiſque vltro citroque dictis, tandem ſe cum ea ſecretiora quædam loqui velle dixit. Tum regina cum hominem in remotius conclaue aduocaſſet, exiſtimās aliquid eſſe occultius quod communicandum cum pluribus non eſſet, ſtultus ille qui ſibi de propria forma plurimum perluaſerat, reginam concubitus poſtulauit. Tum illa nihilo immutata vultum hominis inſpiciens, comiter, nunquid (ait) hoc tibi Flore ni in mandatis quoque dedere? Tacentem atq; erubeſcentem oratorem vt huius rei mandatum afferret dicens, abire ab ſe abſque indignatione iuſſit.

Faceta reginæ reſponſio ad concubitũ à legato petitũ.

SENEX. Inurbanum plane ac fuſtibus excipiendum huius legati poſtulatum. Et mirum, quod continere manus regina potuerit, ne pugnum illi in faciem ſtringeret. Cæterum & illud ſane inurbanum, ſed tamen non inhoneſtum fuit, quod coram Vrbano V. Pontifice Oratores Peruſini geſſerunt. Hiſtoria hæc eſt: Ad Vrbanum Quintum pōtificem Auinionem Peruſini oratores numero tres cum aliquando acceſſiſſent, pontifex autem graui morbo teneretur, tamen homines ne diutius ſuſpenſos teneret, ad ſe vocari iuſſit, admonitus antea vt paucis loquerentur. Vnus doctor qui orationem longam in via, quam habiturus eſſet ad pontificem, menti commendarat, nullà ratione habita morbi, aut quod in lecto iaceret, multis verbis vſus eſt, ita vt pontifex ſæpe moleſtiam audiendi præ ſe ferret. Cum tandem indoctus ille peroraſſet, quæſiuit pontifex, nunquid aliud vellent. Tum alter ex oratoribus, qui & dicentis ſtultitiam & pontificis moleſtiam percepiſſet: pater (inquit) ſanctiſſime, habemus hoc in mandatis noſtris, vt niſi nobis eueſtigio pro his quæ petimus feceritis ſatis, ſocius hic meus antequam hinc recedamus, vobis iterum referat ſermonem ſuum. Quo facete dicto cum arriſiſſet pontifex, oratores eueſtigio expediri iuſſit.

Oratoris ſtulta verboſitas.

IVVENIS. Si quidem agreſtes mores ad ſtultitiam ſunt referendi, recitabo vobis huius rei exemplum de quodam Doctore Iuris: Iuriſconſultus quidam præſtantiſſimus, ac per omnem Europam celeberrimus, cuius egregia monumenta etiamnum, non ſolum in Germania, verum etiam in Gallia typis

Iuriſconſulti ſtulta inurbanitas.

deſcripta, ab omnibus legum ſtudioſis diuturna nocturnaque manu verſantur, atque adeo lectione conteruntur, cum quodam Germaniæ Principe olim pranſurus, puero ad menſam aſſidente, ac *Deo Opt. Maxim.* pro benedictione cibi ſupplicante, aſtabat & ipſe, læua quidem ſandalium tenens, dextera vero cultellum ad illud ipſum exacuens. Id conſpicatus *Princeps* dixit: *Ob Domine Doctor*, vbi hoc didiciſti? Ille tum crepidam reducens, tum vero illotis manibus accumbens reſpondebat; per quam vero retuſus & hebes cultellus hic meus erat. Itaque mihi faciendum putabam, vt eum nonnihil exacuerem, hiſque dictis vnguem ſiniſtri pollicis cultello mox ſubiiciens ſcabenſque infit: Vide, quam pulcre nunc ſcindat? Idem cum finito iam prandio nonnihil de pane & eſculentis cultello adhæſiſſe ſuo animaduerteret, eum & conſpuit, & ſputo ſuo tantiſper lauat, dum ſordes omnes deterſiſſet, quas & mantili *Principis* allinit. Quamobrem *Princeps* ſubridens inquit: Crediderim equidem *Domine Doctor, te ex Grobiani* prodiiſſe ſchola. Ei *Doctor* reſpondet: Ego vero, *Clementiſſime Princeps,* non morum ciuilitati, ſed iuri ciuili operam dedi, ideoque veniam mihi dari poſtulo. *Princeps* hominem à ſe dimittens inquit: Erat tamen & morum ciuilitati nonnihil dandum. Et recte quidem pronunciauit *Princeps*. Etenim ſi Themiſtocles habitus fuit indoctior, quum recuſaſſet lyram, quanto magis parum doctus habendus eſt is, qui moribus vſque adeo agreſtibus eſt præditus, vt à ſordido aliquo cerdone nihil fere differat? differat autem? imo vero hunc ipſum morum ruſticitate multum antecedat.

EQVES. Prædicatorum ſiue Concionatorum mores ſæpenumero etiam inſignem ſapiunt ſtultitiam. Huius rei hanc habetote hiſtoriam: Cum ad populum prædicans ſæpius magna voce clamitaret, quædam ex aſtantibus fœminis ad exclamantis veluti tugitum plorabat. *Concionatoris ſtulta perſuaſio.* Hac te ſæpius animaduerſa prædicans, exiſtimans mulierem verbis ſuis ex zelo dei & conſcientia motam flere, ad ſe vocatam rogauit quæ cauſa eſſet gemitus, & num verbis ſuis mentis ſpiritu agitata lachrymas illas pias vt putabat effunderet? Illa vero vocibus & clamoribus eius impulſam ſe acriter animo commoueri & dolere reſpondit, ſe enim viduam eſſe, cui olim aſellus à marito eſſet relictus, ex quo partem ſui victus traheret: cum ſæpius vt religioſus ille conſueuerat, rugire die noctuque ſolitum tunc defunctum ſe miſeram ſine ſubſidio reliquiſſe. Itaque cum prædicantem illum audiret magnis vocibus reſonantem, ſimilem illum voce

voce aſino ſuo videri, cuius recordatione commota ad flendum etiam inuita impelleretur. Stultus ille latrator potius quam prędicator ſua ſtultitia confuſus abiit.

IVVENIS. Sed & aliud non minus facetum, in Theologaſtro accidit. Theologiæ ſtudioſus quidam aſcendit ſemel maceriem in arundineto ſitam, ac ſimilis ad populum concionanti, cæpit ad arundines loqui, diſſerens multa de vrbis ſtatu, inter dicendum ex leui aura, arundinum capita cæperunt flecti. homo ridiculus qui ſibi arundines pro hominibus finxerat, tanquam pro concione gratias agerent. Non tanta reuerentia (inquit) domini, auditores. nam ego ex vobis minimus ſum. Hoc poſtea in prouerbij locum venit.

Concionator ſtulti, auditores.

IVVENIS. Hæc curam ſiue Medicinam animarum ſpectant; nunc ad eos tranſeamus qui curam corporum gerunt, adeoque Medicinam corporum ſibi vſurpant, nam & apud hos ſtultitiam ſeſe ſæpenumero inſigniter prodidiſſe compertum eſt. Audite huius rei hiſtoriam: Medicus indoctus ſed verſutus, cum infirmos adhibito diſcipulo viſitaret, tangens, vt moris eſt pulſum ſi quem grauiorem ſolito ſenſiſſet, culpam in ægrotum conferebat, aſſerens, aut ficus aut pomum aut quid aliud a ſe prohibitum comediſſe. quod cum ſæpiſſime faterentur ægri, vir diuinus videbatur, qui ita errores morbo laborantium animaduerteret. Hoc admiratus perſæpe diſcipulus rogauit medicum, quonam modo pulſus, vel tactu an alia quadam altiori diſciplina perciperet. Tum ille pro eius in ſe obſeruantia hoc arcanum reſeraturum pollicitus. Cum peruenio in cubiculum ægroti, ait, circumſpicio in primis diligenter ſiquid reliquiarum aut fructus cuiuſpiam aut alterius rei in pauimento ſuperſit; veluti ſi caſtaneæ aut ficus corticē vel nucis teſtam aut pomorum fruſta aut aliud quippiam viderim, coniector infirmum tale quid ex his comediſſe, & ſic ægrorum incontinentiam in morbis grauioribus incuſo, vt videar procul à culpa, ſi deterius ſe habuerint. Haud multo poſt diſcipulus & ipſe quoque cura medendi ſuſcepta ſæpius eodem malo ægros culpabat, aſſerens edendi formulam ab ſe datam exceſſiſſe, & aliquid ediſſe, prout ex reliquijs coniectura aſſequi poterat, ſemel ad ruſticanum inopem hominem acceſſit, cui cum valetudinem priſtinam ſe e-ueſtigio reſtituturum promiſiſſet, ſi normam ſuam ſeruaret, data neſcio qua portione abſceſſit, poſtridie reuerſurus. Cùm rediiſſet, grauiori morbo æger affligebatur, hic homo ſtultus ac rudis cauſam neſciens cum huc atque

atque illuc deflexiſſet oculos, nullaſque eiuſmodi reliquias vidiſſet æſtuans animo tandem ſub lectulo aſelli clitellam conſpexit. Tum clamitare cæpit eueſtigio, tandem ſe percipere cur deterius ſe haberet æger: magnum exceſſum eſſe ab eo factum, quo mirabatur, illum minime mortuum eſſe, aſinum quippe ægrum comediſſe aſſerebat: exiſtimans ſellam decocti aſini velut os canis reliquias videri. In ſtultitia ſua deprehenſus homo ridiculus multos ad riſum excitauit.

Eqves. De ſuperuacua cura, ne dicam, ſtultitia eorum, qui canes aut accipitres alunt, extat inſignis hiſtoria Medica. Fuit olim ciuis Mediolani dementium & inſanorum medicus: qui ad ſe delatos infra certum tempus ſanandos ſuſcipiebat. Erat autem curatio huiuſmodi. Habebat domi aream & in ea lacunam aquæ fœtidæ atque obſcœnæ: in quam nudos ad palum ligabat eos qui inſani adducebantur, aliquos vſque ad genua inguinetenus, nonnullos profundius, pro inſaniæ modo, ac eos tamdiu aqua atque inedia macerabat quoad viderentur ſani. Allatus eſt inter cæteros quidam quem vſque ad femur in aquam poſuit: qui poſt quindecim dies cœpit reſpicere ac curatorem rogare, vt ex aqua reduceretur. Ille hominem exemit à cruciatu, ea tamen conditione, ne aream egrederetur. Cui cum diebus aliquot paruiſſet, vt vniuerſam domum perambularet, vt exteriorem ianuam non egrederetur, permiſit, reliquis ſocijs qui plures erant in aqua relictis paruit diligenter medici mandatis. ſtans vero aliquando ſuper oſtium, neque enim egredi audebat timore lacunæ, Aduenientem equeſtrem iuuenem cum accipitre & duobus canibus ex his qui ſagaces dicuntur, ad ſe vocauit, rei motus nouitate, neque enim quæ ante in inſania viderat, tenebat memoria. Cum acceſſiſſet iuuenis, heus tu (inquit ille) auſculta, oro, me paucis ac ſi libet reſponde: hoc quo veheris quid eſt, & quamobrem illud tenes? Equus eſt, inquit, & aucupij gratia. Tum deinceps vero: hoc quod manu geſtas quid vocatur, & in qua re illo vteris? Accipiter, reſpondit, & aucupio aptus querquedularum & perdicum: Tum alter: hi qui te comitantur, qui ſunt, age & quid proſunt tibi? Canes, ait, & aucupio accommodati ad inueſtigandas aues. Hæ autem aues quarum capiendarum cauſa tot res paras, cuius precij ſunt, ſi in vnum conferas totius anni capturam? parum quid neſcio cum reſpondiſſet, & quod ſex aureos non excederent; ſubdit homo, quænam eſt equi canumque & accipitris impenſa? quinquaginta aureorum affir-

Stultitia accipitrariorũ

affirmauit. Tum admiratus ſtultitiam equeſtris iuuenis: Ho ho, inquit, abi hinc ocyus, oro, atque adeo aduola antequam medicus domum redeat. Nam ſi te hic comperit, veluti inſaniſſimum omnium qui viuant in lacunam ſuam conijciet curandum cum cæteris mente captis, atque vltra omnes vſque ad mentum in aquam ſummam collocabit. Oſtendit aucupij porro ſtudium ſummam eſſe amentiam, niſi aliquando & ab opulentis & exercitij gratia fiat.

Magiſtelli ſtultus amor erga virginē

IVVENIS. Ad hanc ſtultorum claſſem referendus quoque Magiſtellus quidam, qui puellam quandam miſere deperibat, ſic equidem, vt nihil eorum quicquam prætermitteret, quæ ad illam ſibi demerendam momentum aliquod afferre poſſe arbitraretur. Puella autem tametſi argento illum egregie emungeret, ſeque redamare ipſum pulchre ſimularet, eum tamen tanquam ex ſublimi deſpiciebat, atq; adeo adunco naſo ſuſpendebat. Quare cum ipſius ineptiarum, ambitus circumcurſationiſque pertæſa tandem aliquando eſſet, famulæ ſuæ inquit: Ego vero cum nemine omnium, quos terra ſuſtinet, iuuenum minus copulari cupio, quam cum iſto aſino. Quod ſi ergo tu ipſi nubere geſtis, equidem efficiam, vt commode hoc ipſum fiat. Ancilla annuit, ſeque gratam aduerſus puellam hanc fore pollicetur, iſtud quidem ſi perficiat, puella ergo ſic famulam inſtruit. Redibit hac meridie laſciuus ille taurus, tum ego illi ſpem mei hac nocte potiundæ inijciam. Fac igitur illum ſub veſperam, mea perſona aſſimulata, opperiare, aduenientemque in thalamum mox tuum introducas. Tum ego parentes meos exſuſcitabo, qui eum ad te in vxorem ducendam vel inuitum cogant compellantque. Quid multis? placet conſilium famulæ, quippe quæ Magiſtro huic quam cerdoni alicui nuptum dari mallet. Ipſo meridie taurus petulans redit. Iubetur ſub veſpertinum crepuſculum adeſſe, ſi quidem amori dudum concupito indulgere vellet. Adeſt. Hic ergo famula, quæ puellæ herilis veſtibus pulcre ſeſe ornarat, eum mox ſilentioque in cubiculum ſuum introducit, ac veſtibus ocyus abiectis in lectum ſe componit. Idem miſer ille non minori celeritate peragit. Quamobrem cum ambo ſe iam nudi complecterentur, puella patrem expergefacit è ſomnoque excitat. Is vicinorum quorundam auxilio implorato, thalami fores effringit, laſciuumq; iſtū cogit, vt famulæ iſti ſuæ fidem matrimonij daret. Ita miſer hic, qui ſe cum filia concumbere putabat, cum famula coibat, eamque non modo indotatam, verum etiam admodum deformem, &, quod caput eſt, parum

pudicam, in matrimonio retinere fuit coactus.

EQVES. Hem muliebrem aſtutiam conſimili aliquando aſtu compenſandam. Sed diſcere debebunt ex hoc Magiſtri nouitij, qui nihil ſupereſſe, quam vt propediem poſt promotionem illam magiſtralem, ducant, omnibus numeris expolitam aliquam iuuenculam, exiſtimant, vt ab huiuſmodi ineſcationibus & nocturnis ludibrijs atque incitamentis, ſibi temperent, adeoque cautius mercari diſcant. Prudentis enim viri eſt, non tantum ea quæ ante pedes ſunt, videre, verum etiam futurorum habere proſpicientiam. Cæterum nunc ad eorum tranſeamus ſtultitiam, qui de doctrinæ ac ſapientiæ ſtudiis ad profunditatem vſque imbutos atque immerſos ſeſe autumant, deploratam interim, cum ſummo ludibrio & tantum non ignominia, turpiter eructantes inſcitiam. Cuius rei referam lepidam quandam hiſtoriam, quæ tametſi non protſus adeo, quadantenus tamen huc quadrat. Eſtque hæc quæ ſequitur: Doctor Mediolanenſis indoctus atque inſulſus hominem qui ad capiendas aues cum noctua proficiſcebatur, rogauit vt ſe qui id videre cupiebat, ad capturam auium ſecum duceret. Annuit auceps & hominem frondibus contectum iuxta noctuã ſtatuit, ea conditione ne verbum faceret, ne aues terrerentur. Cum auiculæ plures conuenitſent, ſtultus ille eueſtigio exclamauit auiculas multas adeſſe, vt rete contraheret. Illæ audita voce diffugerunt: increpatus acriter ab aucupe ſilentium eſt pollicitus. Aues cum iterum cõuenitſent, eueſtigio ſtultus verbis latinis, Aues per multę ſunt, inquit: exiſtimans quæ ab eo latine dicebantur, aues minime intellecturas. Rurſus fugientibus auibus cum aucceps captura fruſtraretur, hominẽ acerrime quod locutus eſſet obiurgauit. Tum alter, Nunquid latine ſciunt, inquit, aues. exiſtimauit doctor ille nõ ad ſonum, ſed ad ſenſum verborum, tanquam ab ſe intellectam vocem aues diffugiſſe.

De doctore ſimplici & de aucupio.

IVVENIS. Aptius huc quadrabit opinor, quod ego recenſebo: orto aliquando ſermone de eorum ignorãtia quorum doctrina omnis ac ſcientia pendet ex ſcriptis formulis, neque earum cauſas afferunt, ſed tantũ dicunt, ſic ſcriptum ſuperiores ſtilo reliquiſſe. Carolus Bononienſis vir admodum feſtiuus. Hi ſimilimi ſunt inquit notario cuiuſdam (& nomen retulit) conciuis mei, ad quem cum duo acceſſiſſent contractus venditionis inter eos conficiendi gratia: atq; ille ſumpto calamo ſcribere incipiens quæſiſſet eorum nomina. Et alter Ioannes. Philippus alter ſibi nomen eſſe dixiſſent. Reſpondit eueſtigio notarius. Id inſtrumentum (ita enim appellant) confici inter ſe non poſſe.

De Notario indocto & ignaro.

poſſe. Quærentibus illis cauſam: Niſi inquit venditor Seius, emptor vero Titius vocetur (hæc enim ſola nomina in formulis ſuis didicerat) rogari aut iure conſiſtere hic contractus nequit. Cum vero ſe nomina mutare non poſſe dicerent, ille in ſententia perſtitit, quoniam ita formulæ ſuæ continerent, homines miſſos fecit, cum non auderent nomina immutare. Abierunt illi ad alium relicto homine inſulſo qui ſe crimen falſi ſubire exiſtimauit, ſi ſcripta in formulis ſuis nomina commutaſſet.

EQVES. Æque faceta eſt Iudicis illius ſtulta in Aduocatum Inuectiua, qui allegauerat Clementinam & Nouellam. Hiſtoria hæc eſt: Cauſa quædam teſtamentaria tractabatur Venetiis apud iudices in certa curia ſeculari. Aderant aduocati partium quiſque ſui clientis ius defendens. alter & ſacerdos teſtem ſuæ defenſionis attulit *clementiam & nouellam*: certam ſentẽtiam earum referens. Tum ex iudicibus grandæuus quidam, cui ea nomina ignota erant, parumque cum Salomone commercij contraxerat, truci vultu in aduocatum verſus. quid diabole tu (inquit) non erubeſcis coram talibus viris fœminas impudicas & meretriculas nominare, earũ verba pro ſententijs à nobis comprobari putas? Exiſtimauit vir ille ſtolidus *clementiæ & nouellæ* non legum, ſed fœminarum nomina eſſe, quas ille ꝓ cõcubinis haberet domi.

Iudicis ſtulta in Aduocatum inuectiua.

IUUENIS. Referam aliud de iudice quod quamuis huic quadantenus videtur diſſimile, in aliquo tamen tertio, ſtupiditate nimirum & imperitia, conueniunt. Oppidum eſt Bononienſium nomine Medicina: eo miſſus eſt prætor (vt aiunt,) homo rudis atq; imprudens, ad quẽ cum duo litigantes de re pecuniaria acceſſiſſent, ac prior qui creditorem ſe dicebat, ſibi pecuniam certis ex cauſis deberi dixiſſet, verſus in debitorem prætor, male quod te habes (ait) cum non huic debitum reddis. cum negaret alter ſe quicquam debere, cum iam illi ſatisfactum eſſet, creditorem ſtatim increpauit, qui peteret quod non deberetur. Ille rurſus cauſam ſuam tuente ac debiti rationem afferente, debitorem acrius interim increpauit qui rem tam manifeſtam negaret. At is alijs rationibus in medium deductis, cur ſolutus eſſet debito, prætor quoque creditorem obiurgauit qui peteret rem ſolutam. Ita cum ſæpius ſe ad vtriuſq; verba vertiſſet vir ridiculus, vtraq; pars, inquit, eſt victrix & victa, quo licet abeatis. Ita conuẽtum re indiſcuſſa permiſit.

Iudicis ſtulta ſententia diffinitiua.

EQVES. Qualis procurator, talis iudex, & vice verſa. Memini aliquando duos procuratores coram iudicio agere, quorum alter aliquid latinitatis adeoq; ex terminis iuridicis deguſtarat, alter vero, tametſi rabulã forẽſem ſtrenue agebat, vox tñ dũtaxat erat, prætereaq; nihil, quip-

Procuratoris inſulſitas

pe qui vix ſyllabas imo vix literas norat. Cum itaque prior, quam dixi, in feruore diſceptationis iſtius forenſis, *friuolum eſt quod dicis*, inferret; alter è conuerſo, Jch hab keinen Frevel begangen / nihil dixi iniurioſum, regerebat. Cum vero prior ad hæc ſubrideret, & ſupinam illam linguæ Latinæ imperitiam ipſi improperaret, alter à iudicibus decerni petit, vt quum vltra hominum memoriam hactenus Procuratores adeoque omnes & ſinguli actores & rei, puris putis verbis Germanicis, nulla vel minima admixta dictione aliqua Latina, coram hoc iudicio actiones ſuas propoſuerint, proinde, ad auerruncandas huiuſcemodi innouationes, nemo inpoſterum quicquam è latinis dictonibus, graui deſuper in tranſgreſſores indicta mulcta, coram hoc iudicio actioni ſuæ immiſcere auſit. Quod quidem decretum vt petebatur, ita factum, & haud dubie etiam in eiuſdem tranſgreſſores executioni demandatum fuit.

Pretoris & Scabinorũ ruralium ſtultitia.

IVVENIS. Relatum mihi eſt è viro fide digno, litem atque actionem grauis momenti, quæ aliquot aureorum millia concernebat, corã iudicio pagano, quippe ad quod etiam principaliter pertinebat, motam fuiſſe. Cumvero Procuratores vtrinque ſtrenue quiſq; pro cliente ſuo ageret, nec quiſquã tamẽ à Prętore & Scabinatu iſtius iudicij, qui q vtrinque à procuratoribus agebantur ac dicebantur, calamo exciperet, eſſet conſtitutus. Procuratores vtrinque Prætorem adhortati fuerunt, vt quod rei momenta exigerent, aliquem conſtitueret, qui vtrinque acta & actitata diligenter conſignaret; ſecus namque omnem illorum actionem fore fruſtraneã. Ad hæc Prætor, Ehem, quid vobis videtur de hiſce Scabinis? anne exiſtimatis vos coram cernere capita anſerina? Es ſindt ſolche ſpitzige Köpff / tam acris ſunt ingenij & memoriæ, vt quilibet ex horum numero omnia in hac lite ab ipſo litis momento acta atque actitata, ad vnguem recenſere valeat. Ad quæ Prætoris verba, quis enim cuiuſquam Prætoris αὐτὸς ἔφα, in dubium vocare auſit, Procuratores acquieuerunt, ad terminos præfixos, vti hactenus ſic impoſterum quoq; comparuerunt, egerunt, receſſerũt, nihilq; quod quilibet ad tutandam clientis ſui cauſam, facere videretur omiſerunt. Finito demum decennio, cum iam ab vtraque parte concluſum & ſententia deſuper diffinitiua exprimenda eſſet; quæ quidem, ipſius rei grauitate id ita exigente, ad Iuriſperitos vt deuolueretur, neceſſum erat; ibi demum, quam obtuſa iſtorum Scabinorum à Prætore tantopere deprædicata eſſent ingenia, res ipſa docuit. Iuſſi namque vnà cum Prætore, vt decennalem illam actionẽ à litis

litis primo[illegible] finem vſque recenſerent atq; proponerẽt,ne decem quidẽ verba, quæ ad rem facerent, plene potuerunt. Hinc factũ vt ſummæ rei incõmoditate integrã actionẽ ab ouo repetere atq; inchoare vtrinq; Procuratores cogerẽtur.

Aſini inſtitutio. Eqvvs. Decennium hoc, cuius iam meminiſti, in memoriam mihi reuocat quandam de Aſino hiſtoriam. Tyrannus ad exhauriendum bonis ſubditum qui ſe multa facturum iactabat, ſub graui pœna præcepit vt aſinum literas doceret. Ille impoſſibile ait fore, niſi multũ temporis ſibi in erudiendo aſino concederetur,petere quantum vellet iuſſus decennium, impetrauit. deridebatur ab omnib. quoniã rem impoſſibilẽ ſuſcepiſſet. Ille amicos ſolat*, Nil timeo,inquit: nã interim aut ego moriar, aut aſinus, aut dñs. quibus verbis oſtẽdit ſalutare eſſe rẽ difficilẽ in lõgũ protrahi ac differri.

Senex. Quia hic Aſini incidit mentio, obiter hic inſeram illud Aſini encomion, quod cõgeſſit Cornelius Agrippa in libro *de vanitate ſcientiarum.* Viuit is, inquit Agrippa, exiguo pabulo, eoque qualicũque contentus, tolerantiſſimus penuriæ, famis, laboris, plagarum, negligentiæ anniſq; perſecutionis patientiſſimus, ſimpliciſſimi ac pauperrimi ſpiritus, vt ne inter lactucas & carduos diſcernere ſcias, corde innocenti ac mundo, ac bili carens cum omnibus animantibus pacem habens, omnibuſque oneribus patienter dorſum ſupponens, in quorum remunerationem caret pediculis: rarò morbis afficitur, tardiuſque, quam vllum armentum deficit. Plurima, inquit Columella, Aſini & neceſſaria opera ſupra portionem reſpondent, cum & facilem terram aratro proſcindat, & nõ minimo pondere vehicula trahit. Iam verò molarum & conficiendi frumenti penè ſolennis eſt huius pecoris labor, omne rus tam neceſſariũ inſtrumentum deſiderat Aſellum, qui pleraque vtenſilia, & vehere in vrbem, & reportare collo vel dorſo commodè poteſt. In augurio etiam, quam ſalutaris nuntius ſit Aſinus, teſtatur Valerius de C. Mario, qui olim Auſtri & Aquilonis domitor tandem patriæ hoſtis declaratus & à Sylla perſequutus conſultore ac duce Aſino Syllæ minas euaſit, aſinum authorem fugæ & ſalutis habuit. Iamque etiam in veteri lege ſic aſinum Deus ipſe honorauit, vt cum iuberet omne primogenitum occidi in ſacrificium, ſolis aſinis cũ hominibus pepercit, videlicet permittens hominem pretio redimi, & pro aſino ouem commutari: hunc, quæ conſtans fama eſt, Chriſtus ſuæ natiuitatis teſtem eſſe voluit, in hoc à manibus Herodis ſaluari voluit, atque ipſe aſinus etiã contactu corporis Chriſti conſecratus eſt, crucíſque ſignaculo inſignitus: nam Chriſtus ipſe pro redemptione hu-

mani generis triumphaturus aſcendens in Hieruſalem, teſtibus Euangeliſtis, hunc vectorem conſcendit, ſicut id magno myſterio per Zachariæ oraculum prædictum fuit, & ipſe electorum pater Abrahã aſinis tãtũ equitaſſe legitur, vt nõ inane ſit illud apud vulgus vetus prouerbiũ, quod dicitur: Aſinũ portare myſteria, quo nũc ego vos egregios illos ſciẽtiarũ profeſſores quinimo Cumanos aſinos admonitos volo, quod niſi humanarum ſcientiarũ depoſitis ſarcinis, ac leonina illa (non quidẽ à leone illo de tribu Iuda, ſed ab illo, qui circuit rugiens & quærens quem deuoret) mutuata pelle exuta, in nudos & puros aſinos redieritis, eſſe vos portãdis diuinæ ſapiẽtiæ myſteriis omnino penituſq; inutiles: neq; vero Apuleius ille Megarẽſis ad Iſidis ſacra myſteria vnquã admiſſus fuiſſet, ni prius è Philoſopho verſus fuiſſet in aſinũ. Legimus diuerſorum animãtium miracula, elephantem Græcos pinxiſſe characteres, eundem etiam Ariſtophani Grammatico riualem Stephanopolidem puellam adamaſſe tradit Plutarchus: quin & draconem adamaſſe puellam Ætholidem apud eundem authorem legimus: eundem etiam ſuum ſeruaſſe nutritium, & ad agnitam vocẽ accurriſſe à multis creditũ eſt. Et apud Pliniũ legimus, aſpidem ad menſam cuiuſdam quotidie venire ſolitam, cum ſenſiſſet ab vno catulorum ſuorum hoſpitis filium interemptũ, in violati hoſpitij pœnam necem intuliſſe catulo, nec poſtea præ pudore in tectum id reuerſam. Recenſet idem Pantheram ob eductos à fouea catulos retuliſſe homini gratias, & extra ſolitudines eductum in viam publicam reſtituiſſe. Iam vero & Cyrũ à cane, & Romanæ vrbis cõditores à lupa nutritos, cum eſſent expoſiti, celebratum eſt. Tranſeo delphinorum miracula, & leonum agnita beneficia, relataſque gratias. Taceo vrſam Dauniam, ac bouem Tarentinum à Pythagora mãſuefactos, horumque ſimilia permulta: ſed quod omnium prodigiorum vincit admirationem, Ammonius Alexandrin⁹, ſummus ſuo tempore Philoſophus, D. Origenis & Porphyrij præceptor aſinum ſapientiæ auditorem illis cõdiſcipulum habuiſſe legitur: quin etiã ex ſacra bibliorum hiſtoria ſcimus aſinum aliquando prophetico ſpiritu donatum. nam cum Balaam vir ſciens & propheta exiret, vt malediceret populo Iſrael, Angelũ Domini non vidit, vidit autem aſinus, & humana voce ad ſeſſorem Balaam locut⁹ eſt, Sic inquam ſæpiſſime videt ſimplex & rudis idiota, quæ videre non poteſt deprauatus humanis ſcientiis ſcholaſtic⁹ doctor. Nõne Sampſon in maxilla aſini, in mãdibula pulli aſinarum percuſſit & deleuit viros Philiſtæorum? ſitienſque rogauit Dominum, qui aperuit molarem dẽtem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt aquæ viuæ, quib⁹ hau-

ſtis refocillati ſunt ſpiritus & vires eius? Nonne Chriſtus in bucca aſinorum ſuorum ſimplicium & rudium idiotarum Apoſtolorũ & diſcipulorum ſuorum vicit & percuſſit omnes philoſophos gentium & legiſperitos Iudæorum, omnemque humanam ſapientiam proſtrauit atque confecit, propinans nobis ex illorum ſuorum aſinorum maxilla aquas vitæ & ſapientiæ æternæ? Hactenus Agrippa. Cætera namq; quę ſubiungit, cum odioſa ſint nolo recenſere.

Eqves. Multa antea dixiſti liberè, ac videbaris mihi eſſe Veronenſis, ſed nunc, vt video, es Placẽtinus. Sanè olim apud Romanos Chriſtianorum nomẽ erat, vt vocarẽtur Aſinarij, ipſamq; Chriſti imaginem aſininis aurib⁹ pingere ſolebant: teſtis horũ eſt Tertullianus. quo circa iam nõ indignetur, nec ſibi opprobrio dari quiſquam putet, ſi apud iſtos ſcientiarũ giganteos, elephantes aſinus vocetur, nec miretur Chriſtianũ vulgus, ſi Eccleſiarũ præfectus & ſacrorum myſtas, quo qſq; doctior eſt, tãto inter reliquos fiat paucioris, non n. faciũt ad aſinorũ aures luſciniarũ cantus & moduli, atq; nec aſinorũ inſuauẽ & minime muſicũ rugitum ad lyram cõſonare in ꝓuerbio eſt, atq, tamen ex aſinorum oſſib. exempta medulla omnium optime fiunt tibiæ, quæ ſpiritu inflatæ ſicut omniũ auium eloquentiſſimam canoritatem, aut cuiuſq; lyræ aut cytharæ elegãtiſſimos ſonos longiſſime ſuperant atq; vincunt, ita religioſi iſti idiotæ ſuo aſinino clãgore omnes loquaciſſimos ſophiſtas ſuperant atq; percellunt. Sic legimus nonnullos gẽtiliũ philoſophos ad Antonium viſendum veniſſe diſſerẽdi gratia, & breui ſermone abs eo captos, cum rubore & verecundia abſceſſiſſe. Legimus etiam ſimplicem & idiotam hominem quendam in literis exercitatiſſimum ac verſatiſſimum hæreticũ paucis verbis deuiciſſe, ac reduxiſſe ad fidem, quem doctiſſimi viri & Epiſcopi, qui ad Nicænum Conciliũ conuenerunt, diuturna & anxia admodum diſputatione non poterant ſuperare: interrogatus autem poſtea ab amicis, quomodo idiotæ ceſſiſſet, qui tantis reſtitiſſet doctiſſimis Epiſcopis, reſpondit ſe Epiſcopis facile pro verbis verba dediſſe: huic autem idiotæ; qui non ex humana ſapientia, ſed ex ſpiritu loquebatur, reſiſtere nequiuiſſe.

Senex. Hiſtoriam ad quam alludis, recitabo integrã ex Ruffino. Is vero *lib. 10. hiſtor. Eccleſiaſt.* hanc ita recenſet: Senex, inquit, quidam in Synodo Nicæna, doctrina & artibus minus inſtructus, ſed cõfeſſor Chriſti conſtans, non dubitauit ſe opponere philoſopho facũdo & ingenioſo: & cum eo de veritate fidei diſputare. Neq; vero præſtigias ſermonis verſuti & callidi, ſed euidentẽ & planam ſententiam veritatis adhibuit. *Philoſophus ab idiota cõfuſus.*

Audi

Audi, inquit, Philoſophe, vnus eſt Deus cœli & terræ, & omnium tam viſibilium quam inuiſibilium opifex, qui vniuerſa creauit efficacia verbi, & ſanctitate Spiritus ſancti ſui firmauit. Hic igitur λόγος, quem nos filium Dei appellamus, miſert' hominum, qui in errore, brutorum ſimilem vitam degerent, ſuſtinuit de muliere naſci, verſari cum hominib', & pro ipſis mortem oppetere. Venturus eſt autem rurſus ad iudicium de iis, quæ ab vnoquoque acta fuerunt in vita. Hæc ad iſtum ſe modum habere credimus, neque in vllam partem curioſe inquirimus. Ne igitur te fruſtra defatiges, veſtigando argumenta & demonſtrationes eorum, quorum perfectio eſt fides, aut ſciſcitando de modo, quo aliquid horum fieri aut non fieri potuiſſe videatur: Sed reſponde interroganti mihi, an hæc credas? Hac oratione perculſus Philoſophus ille, credere ſe ait: & ſe victum eſſe gaudens, eadem profiteri ac ſentire quæ ſenex: & aliis ſuadere, vt ſecum conſentirent: ſanctè deierans, diuinitus factum eſſe, vt ad amplectendam religionem Chriſtianorum conuerteretur. Donec enim verbis, inquit, mecum geſta res eſt; verba verbis oppoſui: & quæ dicebantur, dicendi arte ſubuerti: vbi vero pro verbis virtus proceſſit ex ore dicentis, non potuerunt verba reſiſtere virtuti nec homo aduerſari potuit Deo. Hactenus Ruffinus.

IVVENIS. At ſunt tamen etiam interdum Aſini quidam inepti inter ipſos etiam Sacrorum antiſtites, è quorũ numero inter cæteros fuit, qui nuncians, Epiphaniæ celebritatem futuram: Cras, ait ſumma deuotione veneremini Epiphaniã, maximum eſt enim & præcipuum feſtum. neſcio autem, vir fuerit an fœmina: ſed quiſquis extiterit, à nobis eſt ſummo timore hic dies cuſtodiendus. *Concionatorũ indoctorũ ſtultitia.*

SENEX. Craſſus hic atque intolerabilis error fuit. Sed multo craſſiores atque inſulſiores ij, qui dum in explicandis literis Sacris multum ſibi promittunt, quoſdam locos, ita vt in buccam ipſis venit, explicare audent. Quod vt ne in obſcuro lateat, vel hoc ioco perſpicuum fiet. Paſtor quidam, depaſtor propemodum dixeram, vt alicuius ſibi apud promiſcuam multitudinem eruditionis opinionem conciliaret, *Ionam* Prophetam explicandum ſuſcepit. Vidit ergo ſibi ante Prophetæ etymon excutiendum eſſe, quam ad huius hiſtoriam enarrandam deſcenderet. Multum enim intereſt ſcire, quis ſit, qui vocetur auctor ille, vnde ſortitus nomen ſit, quem interpretandum ſumpſeris. Itaque ſic quidem auditores ſuos eſt affatus. Multum quidem in indagando huius vocis etymo ſtudij atque operæ poſui, ad extremum

tamen

tamen conſului & Hebræis, & Græcis, & Latinis interpretibus inuenio, *Ionæ* vocabulum Germanicum, idque compoſitum eſſe, atque adeo originem habere ab euentu. Cum enim præceps in mare ſit actus, hic equidem illud explicauerim, Jo, id eſt, perquam, & naß, hoc eſt, madefactus. Quod perinde eſt, ac ſi dicas, perquam ſane madefactus. Hoc igitur verum Prophetæ huius etymon eſſe, mihi Iouem lapidem iuranti, credite. Id quod etiam imperitæ multitudini facile perſuaſit.

IVVENIS. Poſſet hæc ſubtilitas etymologica inſeri illi ſubtilitatum volumini, quod olim conſcripſit Iulius Scaliger; vel quod magis foret, vt mihi quidem videtur, commodum, mille & quingentis illis Dubietatibus, quæ inſertæ ſunt aureæ illi tantopere decantatæ Poſtillæ; ſic namque forent mille quingentæ & vna dubietates magiſtraliter reſolutæ; hinc ad reciſionem ſiue totius operis, ſiue frontiſpici duntaxat, ſic ſonaret titulus: Aurea poſtilla, reuiſa, recognita, locupletata. Sed de his, cum de Typographis infra à nobis dicendum erit. Cæterum in Philoſophorum ſcholis quandoque etiam eiuſmodi a philoſophaſtris audiuntur ſubtilitates, quibus mirifice ſibi placent, præſertim cum ad ſuos domum redeunt. Vnicam de hac re hiſtoriam audite. Vir nullius equidem eruditionis rei tamen literariæ amator, magno impendio Lutetiæ filium aluit, vt imbibitis illic literis & rem & gloriam ſibi ac omni familiæ afferret. Cæterũ dum infelices quaſdam diſciplinas argutiarum ſophiſticarum, neque illas admodum feliciter attigiſſet, lauream adeptus, domum rediit. At pater non intelligens, quem fructum ſperare ex pecunia in filium collata auderet, operam & impenſam perdidiſſe plerunque dolebat. Et quia tu, inquit, ſemel documenta præbes, fili, te Lutetiæ percepiſſe, quo res humanæ iuuari queant, aut ornari? Verum filius extra captum quidem vulgi eſſe dicebat, quæ illic docerentur, fieri tamen poſſe, vt aliquãdo incidat materia oſtẽtandæ haud quaquam vulgaris eruditionis. Atque non ita multo poſt tria in menſam oua allata ſunt, cum ille lætus & animo geſtiens, aduenisse iam tempus diu optatum prædicat, quo ingenij & doctrinæ faciat periculum. Quis, inquit, eſt in tota hac vicinia, qui acutis argumentis docere queat, in tribus ouis quinque contineri? Cui parens: Rem prodigioſam narras, attamen per quam velim cognoſcere, quo pacto id coneris efficere? Tum exorſus filius. Num, inquit, cui tria ſunt oua, eidem ſunt & duo? At qui tria habet & duo quinq; nimirum habet. Verum, ait pater. Tum filius. Igitur qui tria poſſidet oua, quinque idem

Philoſophaſtri ſtultitia.

Stulta ſophiſtica.

idem poſſidet. Subriſit pater & vanam artem vana mercede dignam iudicans: Tu, inquit, fili, duobus ouis veſcere, quæ ars tibi peperit, ego tribus his, quæ edidit gallina, famē ſolabor.

EQVES. Huiuſmodi ſophiſticis etiam illi qui ex cerdonū ac triobolarium ſunt grege, etiam citra vllum bonorum atq; impēſarum diſpēdium, prompte admodum ac feliciter ſæpenumero ſolent ludere. Extat huius rei multis haud dubie nota [illegible]. Viator quidam eſuriēs cum diuertiſſet ad cauponulam vētrem cibo potuque fartiuit. petente pecuniam caupone, ait nullos ſibi eſſe nummos, ſed cantilenis ſe ſatis eſſe facturum. Tabernarius non cātu ſed precio ſibi opus eſſe reſpōdit. quid? alter, ſi eam cantionem dicā quæ placeat tibi? Num ea pro pecunia contentus eris? Annuente caupone cœpit viator canere, & an ea placeret, interrogauit. cum abnuiſſet caupo, vnam & deinde alteram cecinit, nullius cantu ſibi ſatisfieri ille teſtatus eſt. hic viator, dicam ergo nunc, inquit, eam quæ tibi ſit placitura. Et arrepto marſupio [illegible] ſoluens similis cœpit cantionem, quam viatores vti conſueuerunt. *Metti mano alla borſa & paga l'oste.* hoc eſt: *mitte manum ad burſam & ſatisfac hoſpiti.* Hac di[illegible] nunquid illa ſibi placeret rogat. Placet hæc, inquit h[illegible]. Tum viator [illegible] tibi ex pacto ait, poſtquam hæc [illegible]tio placuit tibi. Ita abſque ſolutione diſcedit.

Hoſpes à viatore egregie deluſus.

SENEX. Atque hi ipſi, ſiue imperiti illi ſint, ſiue leuiter literis imbuti, in morionum ex compoſito, quos Germanico idiomate Schalcks Narrn indigetant, caſtra tranſeunt. Cum enim nec laborare (iuxta illud iniqui illius apud Euangeliſtam diſpenſatoris: σκάπτειν οὐ δύναμαι, fodere non valeo) nec honeſto aliquo officio fungi poſſint, ſed neque didicerint; hinc adeo fit, vt famelici iſti, cum venter careat auribus, paraſitare cogantur. Extat de paraſito huiuſmodi apud Thomam Morum feſtiua quæ ſequitur hiſtoria. Aſtabat (inquit Thomas Morus) conuiuio paraſitus quidam, qui videri volebat imitari morionem, ſed ita ſimulabat, vt propior vero eſſet, tam frigidis dictis captans riſum, vt ipſe ſæpius quam dicta [illegible] rideretur. Excide[illegible] tamen interdum quædam, [illegible] n ab[illegible], vt fidem [illegible] fecerent, cre[illegible] iactu iaci aliquando Venerem. Is ergo dicente quodā è conuiuis: Iam meo ſermone bene prouiſum eſſe furibus, atque a Cardinale etiam cautum de erronibus, reſtare nunc, vti his præterea conſuleretur publicitus, quos ad egeſtatem [illegible] bus au[illegible], atq; ad labore[illegible] reddidiſſet impote[illegible], me, [illegible] & [illegible] videro. E[illegible]n hoc [illegible] hominum miſere cupio ali-

Moriones ex compoſito.

Paraſiti.

aliquo è conſpectu amoliri meo, ita me male exarunt ſæpe cum querulis illis opplorationibus flagitarent pecuniam, quas nunquam tamen tã commode potuerunt occinere, vt nummum à me extorquerẽt. Quippe ſemper alterum euenit, vt aut nõ libeat dare, aut ne liceat quidẽ, quãdo nihil eſt quod detur. Itaque nũc cœperunt ſapere, nam ne perdant operã, vbi me præterire vident, prętermittunt taciti, ita nihil à me ſperant amplius, nõ hercule magis quã ſi eſſem ſacerdos. Sed illos ego mẽdicos omnes lata lege diſtribui ac diſpartiri iubeo in Benedictinorum cœnobia, & fieri laicos, vt vocant, Monachos: Mulieres Monachas eſſe impero. Subriſit Cardinalis & approbauit iocum, cæteri etiam ſerio. Cæterum Theologus quidã frater hoc dicto in Sacerdotes ac Monachos adeo eſt exhilaratus, vt iam ipſe quoq; cęperit ludere, homo alioqui prope ad toruitatẽ grauis. Ac ne ſic quidem, inquit, extricaberis à mendicis, niſi nobis quoq; proſpexeris fratribus. Atqui, inquit Paraſitus, hoc iam curatũ eſt. Nam Cardinalis egregiè proſpexit vobis, cum ſtatueret de coercendis atque opere exercendis erronibus, nam vos eſtis errones maximi. Hoc quoq; dictũ, cum coniectis in Cardinalem oculis eum viderent non abnuere, cœperunt omnes non illibenter arripere, tacito fratre. Nam is, neque eq[illegible] a tali perfuſus aceto, ſic indignatus eſt atque incanduit, vt nec à conuiciis quidem potuerit temperare, hominem vocauit nebulonem, detractorem, ſuſurronem, & filium perditionis, minas interim terribiles citans è ſcriptura ſacra. Iam ſcurra ſerio ſcurrari cœpit, & erat plane in ſua paleſtra. Noli, inquit, iraſci bone frater, nam ſcriptum eſt: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.* Rurſum frater, Non iraſcor, inquit, furcifer, vel ſaltem non pecco: nam Pſalmiſta dicit, *Iraſcimini, & nolite peccare.* Admonitus deinde frater à Cardinale ſuauiter, vt ſuos affectus compeſceret: Non Domine inquit, ego loquor niſi ex bono zelo, ſicut debeo. Nam viri ſancti habuerunt bonum zelum, vnde dicitur: *Zelus domus tuæ comedit me,* & canitur in Eccleſiis: *Irriſores Heliſæi, dum conſcendit domum Dei, zelum calui ſentiunt,* ſicut fortaſſe ſentiet iſte deriſor, ſcurra, ribaldus. Facis, inquit Cardinalis, bono fortaſſis affectu, ſed mihi videris facturus, neſcio an ſanctius, certe ſapientius, ſi te ita compares, ne cum homine ſtulto & ridiculo ridiculum tibi certamen inſtituas. Non Domine, inquit, non facerem ſapientius. Nam Salomon ipſe ſapientiſſimus dicit: *Reſponde ſtulto ſecundum ſtultitiam eius,* ſicut ego nunc facio, & demonſtro ei foueam in quã cadet, niſi bene prouideat. Nam ſi multi irriſores Heliſæi, qui erat tãtum vnus

caluus, ſenſerunt zelum calui, quãto magis ſentiet vnus deriſor multorum fratrum, in quibus ſunt multi calui? & etiam habemus bullã papalem, per quam omnes qui derident nos, ſunt excõmunicati. Cardinalis vbi vidit, nullum fieri finem, nutu ablegato paraſito, ac aliam in rem cõmodum verſo ſemonẽ, paulo poſt ſurgit e menſa, atq; audiẽdis clientum negotiis dedit ſe, noſque dimiſit. Hæc Morus. I nunc & morioni litem vexatoriam intẽta. Vſq; adeo vera eſt ſententia, qua vulgo dicitur, Moriones infantes & ebrios abſq; fuco propalare veritatem; ob idque cum iis liberalius iocari periculoſum.

IVVENIS. Ad quodnam hilarium huiuſcemodi inſaniarum lucrum, quæ tandem apoſtrophe?

SENEX. Id lucri habent, quod, cum nihil omnino, quippe ſpem omnem in aliena ponentes, quadra, conquirant, omnium ſuarum facultatum ac bonorum Inuentarium intra os ſiue palatum, & anum repoſitum, prætereaque nihil, habeant, adeoque verè de ſe illud: *Nudus vt in terram veni, ſic nudus abibo*, prædicare poſſint; hinc adeo fit, vt cum nihil in reſiduo habeant, ab omnibus contributionibus, Imperialibus ſimul & nationalibus, omnino ſint exempti, immunes ac liberi, quamobrem etiam de teſtamenti alicuius ſiue vltimæ voluntatis factione, non opus eſt, vt ſint ſolliciti.

EQVES. Immenſis nimirum hac ratione ſunt liberati oneribus. Memini tamen me aliquando huiuſcemodi paraſiti ſiue Cynici potius, Teſtamentum, quod haud ita pridem in regno Neapolitano repertum ferunt, legere. Quod quia lepidum valdè eſt, vobis hac ſchedula, quæ typis expreſſa eſt, communicare operæ precium duco. Tu erudite Iuuenis lege, vt etiam Senex exaudiat atque diiudicet.

IVVENIS. Titulus eſt, vt video, prima ſtatim frõte ridiculus, ſic vero ſonat, vnà cum ipſius Teſtamenti tenore atque inſertis ſubſtantialibus: Teſtamentum cuiuſdam Cynici in regno Neapolitano repertum: *Teſtamentum Cynici.*

ÆGER TESTARI VOLO.

Bona mea cui relinquo?

Populone? minime.

Quia neq; in pace vulgus poſſidebit, neque viuet concorditer.

Regi? nil minus.

Quia militibus dabit, generi hominum peſſimo & inhumaniſſimo.

Ergo Pontifici?

Satis abundè habet, vnde podagras nutriat, & turpiter viuat.

Quid an Præſulibus?

Vt tumidos ventres augeant? Rumpantur ſi turgidi. NOLO.

Ergo

Ergo Sacerdotibus?

NOLO, quia ſcortis & lenonibus dabunt.

Quin tu Theologis dabis?

Vt inutiles ſophiſtæ me adiutore foueantur? NOLO.

At Iuriſconſultis?

Rhadamanthum non expaueſco; & ſatis abſque hoc, vulturibus ſunt cadauera.

Vel ſaltem Medicis?

Satis & ipſi corradunt ex lotij diuinationibus.

Vel etiam Academiis Publicis?

NOLO inutiles & ſtultos profeſſores mea pecunia ali.

Quid ſi Aulicis?

Vt ſtultitiæ & ſuperbiæ calcar addam, & inſolentiam foueam? NOLO.

Quid ſi Mercatoribus?

Hominibus Reipublicæ pernicioſis, qui eas res important, quibus virorum animi effœminantur: NOLO inquam, NOLO.

Viſne Senibus?

Minus, quia deliri noctes atque dies iurgabunt.

Viſne Pueris.

NOLO, quia perdent inſcitiâ bene parta.

Viſne Mulieribus?

Nequaquam; deteriores ipſis diuitiis ſunt.

Mendicis ergo?

Ne id quidem, ne deſinant moleſti eſſe diuitibus.

Monachos tandem hæredes inſtitues?

Improbe facerem, ſi validis mendicis darem, cum nihil dem ægris.

At tu Dijs Immortalibus dona?

Stultum eſt dare illis, qui deſpexerint; ſi voluiſſent, non dediſſent mihi.

Da Seruis?

Vt auferant? id etiam iniuſſu meo facient.

Quid igitur? Nunc id cogito primum.

Templa non ædifico: Ne nouas lites SACERDOTIBVS creem.

Nec do MENDICIS HOSPITALIVM: Ne deſides illi deſidiores fiant.

Cui ergo relinquam? Nemini.

At tibi FORTVNÆ reddo reſtituoq; quod commiſeras.

Poſteri valere.

MORS tu tuum facito officium.

Hactenus Teſtamenti huiuſce tenor. Quid vobis videtur?

SENEX. Quid aliud mihi, quam quod Teſtamentum dignum ſuo ſit autore, videatur? Memini me legere aliquando Teſtamentum Laconicum, id eſt, breue admodum, idque adeo breue, vt nil quicquam breuius in re præſertim tam ardua dici potuiſſet. Cum enim omnes cognati atque amici, boni cuiuſdam, eiuſdemque admodum

prædiuitis, quique nullos habebat liberos, viri diuitijs inhiarent, atq; vt ſeſe hæredem bonorum ſuorum per teſtamentū conſtitueret, quiſq; pro ſe efflagitaret atque obſecraret; bonus hic vir re ſecum deliberata, tale condidit, manuq; propria conſcripſit Teſtamentum: Animam meam Deo, bona autem mea hæredibus quibus de iure debentur, nuncupo. Breue hoc quidem, ſed pium & iuſtum fuit Teſtamentum. At vero iſtud Cynici illius Teſtamentum nil niſi Epicureiſmum & proteruam leuitatem ſapit. Et ſummopere dolendum eſt, eſſe in rerum natura, imo in ipſo Chriſtianitatis cætu, qui ita leuiter atque omnino data opera inſanire non vereatur; quamobrem etiam ipſorum condemnatio eo erit intolerabilior, quod omnia agunt ex affectata proteruia; ſecus quam illi qui ex deprauatis ſenſuum ac rationis organis nihil ex προαιρέσεως, ſed ſolo organorum vitio inducti ſtulta agunt & loquuntur; quorum etiam dicta atque acta apud neminem ſane mentis ſunt odioſa, quum contra perſonati iſti Moriones apud cordatum quemque, næ quam ſint ſæpenumero odioſi.

Moriones & ſtulti per naturam.

EQVES. Deus, qui eſt ſumme bonus & miſericors, ab illis qui per naturam ſunt moriones, non plus requiret, quam à natura ipſis tributum eſt, nec dubium eſt, illorum conditionem coram Deo meliorem eſſe, quam aliorum plurimorum etiam qui ſibi videntur maxime Chriſtiani. Cæterum morionum iſtorum, qui per naturam ita ſunt, hiſtorias adducere, cum vbiuis in propatulo extent, ſuperuacaneum videtur; attamen ne quid ſermoni noſtro deſit, vnum aut alterum in ſcenam noſtram producemus. Vixit paucis abhinc annis Caſſiliæ Heſſorum metropoli Morio quidam, nomine Michaël; hic cum paternis in ædibus pullos aliquando gallinaceos conſpicatus eſſet, cœpit ex patre percontari, eccunde illud volatilium genus proficiſceretur. Tum pater ei, Pulli vero hi gallinacei, vt ſis ſciens, fili mi, inquit, ex ouis quibus gallinæ ſeptimanas aliquot incubant, excluduntur. Tum morio artem excludendi pullos rectiſſime ſe iam tenere, atque adeo exercere poſſe ratus, matri clam caſeolos aliquot ſuffuratur, (oua & caſeos vnum idemque eſſe ratus) hiſque ad triduum incubat, in ſpem minime dubiam erectus, ſe hinc pullos gallinaceos excluſurum. Inueſtigatur interim miſer ille per omnes vrbis vniuerſæ regiones & angulos. At nuſquam gentium apparet. Itaque parentes non in nullo metu trepidationeque ſunt, Fuldæ eum aquis, à quibus non in propinquo habitabant, ſuffocatum eſſe exiſtimantes. Exacto

Morio caſeos excludere volens.

ēto autem quatriduo, cum parentes poſtremum ſe gnatum hunc ſuum vidiſſe perſuaſiſſimum haberent, ac forte fortuna ſuperiorem ædium ſuarum partem aſcenderent, vt inde ſcilicet frumenta in molam tranſuehenda molaque ſubigenda curarent, ecce ibi fatuum caſeis quintum iam diem incubantem inueniunt. Itaque gaudio illi exſiliunt: non tamen non cum ipſo expoſtulant, quod toties tantoque clamore appellatus reſponderit verbum nullum, perinde ac ſi domi non, ſed ſummo ſilentio ſub tecto nidoque permanſerit. Morio autem hanc in rationem ſeſe purgat: Animaduerteram equidem, parentes cariſſimi, miluum pullorum noſtrorum numerum rapacitate iſta ſua non mediocriter diminuiſſe. Quamobrem vt numerus iſte inſtauraretur, priſtinumque ſtatum recuperaret, putaui, me frugi filij officium facturum eſſe, ſi caſeis hiſce incubans, alios pullos excluderem, ac ſucceſſiſſet etiam ſine dubio conatus, niſi eos veſtra me præpropera intempeſtiuaque intemperie interturbaſſetis. Quod ergo damnum iſtud à miluis accipitribuſque nobis datum reſarcire ſtuduerim, amore mehercule, non odio, aut eiuſmodi obiurgatione dignus videor. Facite igitur, vt pultem mihi auenaceam adipe et atq; etiam circumfluentē apparetis. Quintus enim iam dies agitur, cum cibum nullum viderim, nedum deguſtarim. Quid multis? Parentes ſtoliditate hac filij ſui placati ad miſericordiamque reducti, voti eum ſui compotem fa-tum, mora, neſcio qua, præpediuntur. Itaque noſter ille latrantem ſtomachum placaturus, ad caſeos iſtos, vnde pullos gallinaceos excluſurus erat, conuerſus, eos ad vnum omnes auidiſſime deuorat, nihil moratus quicquam, quod quatriduo eos iſto culi ſui fumis probe probeque maceraſſet.

IVVENIS. Bene adhuc ego memini, hunc eundem parentes puerum in ſcholas mittere, in quibus ipſis tantum profecit, vt expedite non modo legeret atque pingeret, verum latine etiam nonnulla intelligeret. At vero cum parentes eum quotidie magis magiſque deſipere animaduerterent, à Muſis tandem aliquando abſtractum piſtoriæ præfecerunt, quam ipſam quoque artem vtcunque perdidicit. Interim dominicis diebus condiſcipulos ſuos diligenter inuiſebat, cum iiſque lectiones olim in ſchola auditas conferebat. Cumprimis autem Muſices amore incredibili tenebatur, cuius cum fundamentum aliquod iecisset, ſibi non conquieſcendum exiſtimauit, tantiſper dum integram perdiſceret. Itaque vel hoc nomine indiuulſe ſcholaſticis adhærebat. *Morio Muſices amator.*

rebat. Euenit autem, vt Iohannem quendam Nordecum aliis tum ſtudiis occupatum rudendo obtunderet. Itaque ira ille accenſus, hanc in rationem Michaëlem corripuit. Cum Moricho ſis ſtultior, nunquam tu quidem hercle arté hanc, aliis ratione vtentibus perceptu difficilem atque operoſam imbiberis. Quæ igitur (malum) dementia eſt, cum re ipſum defatigare, tum aliis etiam moleſtiam exhibere. Verum lenem hanc correptionem Michaël ſummæ in iniuriæ loco poſuit, ideoque ſic illi reſpondit: Ego verò, Nordece, minime omnium ſum mōrio, quippe qui & legere & ſcribere didicerim, & artem denique piſtoriam egregie calleam. Crediderim autem, parentem tuum haud grauate aureos centum numeraturum eſſe, ſi Philippus frater tuus (erat is in eadem cum Michaële naui, hoc eſt, æque atque hic fatuus) vel tam doctus eſſet, quam ego ſum, vel non minus ſaperet, quam ego ſapio. Quo quidem dicto Michaël hic, cum omnibus audientibus riſum mouit, tum Nordeco etiam optimo alioqui iuueni linguam intercluſit, vt rudere ipſum, quoad vellet, permitteret.

EQVES. Conſimilem fere hiſtoriam de quodam Balthaſare morione, ingenij tamen diſparis, referam. Balthazar hic, puer adhuc, inter Stabularios Cattorum Principis locum inueniebat. Quoniam vero cum reliquis equiſonibus aulam conſectabatur, facile animaduertit, Muſicos pueros aliquanto liberalius prolixiuſque accipi, quam reliquam equitum fæcem. Itaque rei ſtabulariæ pertæſus cœpit animum ad Muſicam appellere, Iohannemque Heugelium, puerorum iſtorum Magiſtrum, ſummis precibus obteſtari, vt ſe quoque Muſicis imbuendum ſuſciperet. Heugelius initio quidem multa prætendebat, quamobrem ſuam in diſciplinam recipi non poſſet. Verum cùm Balthazar rogandi nullum neque finem neque modum faceret, precibus eius tandem aliquando locum reliquit, hac tamen adhibita præmonitione, futurum, vt largiter virgis cæderetur, ſi in diſcendo vel tardior vel negligentior foret. Hoc enim vno ſe fatuum abſterriturum putabat, vt ne in diſciplinam ſe daret. Verum quid fit? Balthazar conditiones omnes, quaſcunque etiam Heugelius præſcriberet, accipit. Tantus nimirum diſcenda Muſices ardor, tantum epulandi cum huius alumnis deſiderium hominem tenebat. Suſcipitur igitur ad extremum. Cæterum cum diem iam vnum atq; alterum apud Heugelium confeciſſet, pueriſque, quoties Muſicen exercerent, eſſet adhibitus, Heugelius, quem magna fatui ſacietas iam ceperat, ad

cum

eum conuerſus: Volo, inquit, Balthazar, vt reliquis pueris ſilentibus vnus tu cantes, vt quid biduo hoc profeceris, audiam. Dicto Heugelij Morio eſt audiens, librumque tum capit, tum etiam aperit. Verum, cum ne gry quidem, nedum canere poſſet, Heugelius ſcamno illum incumbere, atque nates caligis nudare iubet, haſque ita ei virgis concidit, vt totæ cruore diffluerent. Morio autem hunc ad modum acceptus, in pedes ſeſe mox coniiciens ad priſtina præſepia recurrit, Muſico ac Muſis illius in ſecula ſeculorum valere iuſſis. Quin imo Heugelium per multos annos poſtea cum in aula, tum etiam in publico non ſecus, quam Diabolum quempiam fugiebat, tantum abeſt, vt cum ipſo pranſitare in aula eiuſue pueris adhærere expeteret.

Ivvenis. Hac nimirum via ac ratione obuiandum eſt ſtultis, imo etiam quandoque peruerſis Morionum deſiderijs. Memini enim quoſdam Moriones valde pronos eſſe ad luxuriam, & res venereas, huiuſmodi itaque peruerſi Morionum conatus iiſdem, virgarum nempe cæſura atque inciſura, medijs reſtinguendi ſunt. Memini ego, virum Principem, cum animaduerteret, morionem ſuum ad luxuriam eſſe procliuem, præſens hoc antidotum commentus eſt. Scis, inquit, mi Cloaſe, quantum mihi damni ciuium atque incolarum huius ciuitatis famulæ inferant, dum ſubinde gramina, quæ in pratis meis naſcuntur, falcibus abſcindunt; cum vero id mihi ſit magnopere damnoſum, viſum mihi eſt, conſtituere aliquem, qui furtiuas illas famularum ciuicarum abſciſſiones obſeruet, atque ad debitas mulctas pertrahat; quam ad rem, modo tibi id non erit graue, te conſtituere, atque huic muneri præficere, in animum induxi meum. His dictis, dici non poteſt, quibus fuerit perfuſus gaudijs morio; hac namque via ſe ſubinde potiturum ſexui fœmineo exiſtimabat. Mandarat interim Princeps, vt duo robuſti iuuenes veſtibus muliebribus induti, ac virgis in gremio recõditis probe inſtructi, pratum in confinio arcis ſitum inirent, ac ſtrenue falcibus gramen demeterent, inter hæc Princeps extra palatij feneſtram proſpectãs, ac duos illos iuuenes, ſiue perſonatas ancillas, quas ex compoſito eò ablegarat, in prato cernens, vocato ad ſe ſubito Morione, Eia verò, inquit, Cloaſe, quam egregie tuo fungeris officio? rumpe moras, & citato curſu properans famulas iſtas quam citiſſime è prato meo abigas. Ibi vero Morio quantum geſtiebat animo? Subitoque ad pratum accurrens, proximam quæ ad manus ipſi veniebat, perſonatam famulam in vlnas accipiens amplexabatur,

illa viciſſim ambabus vlnis amplexum in terram deuoluebat, & reſupina iacens tam arcte ipſum continuit ac compreſſit, vt mouere ſeſe Morio inde minime poſſet; interim altera illa famula perſonata Morionis caligas à natibus detrahens, virgis indeſinenter ac ſtrenue nates ipſius ita cædebat & diuerberabat, vt ſanguis copioſe inde eliceretur atque deflueret. Atque hoc vnicum fuit ἀντίδοτον ac remedium ad reſtinguendas Morionis iſtius infanas cupiditates vſque adeo efficax, vt ab iſto tempore nunquam inpoſterum vllius fœminæ expeteret commercium.

Morionis re preſſa luxuria.

SENEX. Sunt huiuſmodi actus ridiculi, quibus ineſt ſuauis quædam iucunditas cum honeſtate coniuncta, quibus tantum abeſt, vt leuitatis aliquid ineſſe dicamus, vt potius nullum præſentius ad reſtinguendas in huiuſmodi hominum genere, libidinis flammas, remedium inueniri atque honeſte vſurpari poſſe ſtatuam. Sunt alioqui Morionum iſtiuſmodi acta, illa ſcilicet, quæ per ſe & ſua natura nec bona nec mala ſunt, pleraque fere omnia ridicula, quale inter infinita alia eſt illud Achæi, de quo Euſtath. *Odyſſ. x.* Achæus, inquit, Callit[illegible] cognomine, fictile vas puluinaris loco, capiti ſupponebat. Verum quia duritie illius offendebatur, paleis [illegible] [illegible] vt commodius haberet ſibi-

Morionis puluinar.

le. At enim hiſce prolixius accenſendis ſuperſedebimus, cum paſſim ſint obuia.

EQVES. Vnicum adhuc, valde, vt mihi quidem videtur, lepidum recenſebo, de Morione mortuo-viuo, ad ſepulchrum deducto, loquente & riſum mouente. Erat Florentiæ ſtultus cognomine Nigniaca: haud nimium inſaniens & ſatis iocundus. iuuenes quidam faceti ioci gratia cum vellent ei perſuadere illum grauiter ægrotare, re compoſita exeunti mane domo vnus obuiam fit, petens, Numquid ei mali (cum facie eſſet immutata & pallida) contigiſſet, nequaquam, reſpondit ſtultus. Cum paulum proceſſiſſet longius, alius ex compoſito rogauit, an teneretur febri, cum macra eſſet facie & ægritudine oſtentante. cæpit addubitare ſtultus, verum quod dicebatur credens, cum prodiret timidus lento paſſu. tertius vt conſtitutum erat conſpecto illo, Vultus, ait, tuus iudicat te febri valida torqueri & grauem morbum eſſe. Timuit ille magis, & repreſſo pede cogitabundus animo pendebat an febricitaret. Tum ſuperueniens quartus grauiſſime illum infirmari affirmabat, mirarique ſe d[illegible], non illum in lecto eſſe. Suaſitque vt domum e veſtigio rediret, ſeque ſocium obtulit vt fratrem curaturum. Retro[illegible]it ſtultus tanquam magna grauatus infirmitate, & lectulum

Morio ſe mortuum exiſtimat.

lum ingreſſus, expiranti ſimilis videbatur. Cæteri ſocij e veſtigio domum prodeunt, dicentes recte illum qui in lecto ſe collocaſſet, feciſſe. Paulopoſt ſuperuenit quidam qui ſe medicum profitebatur. Et tacto pulſu teſtatus eſt ægrum paulo poſt ex eo morbo periturum. Deinde circumſtantes lectum omnes dicentes alter alteri: Iam iſte incipit mori, iam pedes frigeſcunt, lingua balbutit, & caligant oculi, ſtatimque expirauit, inquit. Claudamus igitur oculos & componamus manus & ad ſepeliendum feramus. Et ô quam magna iactura in iſtius obitu facta eſt, bonus enim & amicus noſter, & ſe inuicem conſolabantur. Stultus vt defunctus nihil locutus perſuaſerat ſibiipſi ſe mortuum eſſe. poſito in feretro cum iuuenes illi per vrbem portarent, petentibus cæteris quidnam rei eſſet, ſe Nigniacam ad ſepulchrum ferre mortuum dicebant. Inter petendum multi ad ludum concurrebant: cum omnes Nigniacam mortuum ad ſepulturam deferre dicerent. Vnus ex tabernariis, O quam mala beſtia fuit & fur peſſimus (ait) dignus certe ſuſpendi laqueo. Tum ſtultus cum hæc audiſſet, erecto capite, ſi viuus eſſem ſicut ſum mortuus (inquit) dicerem furcifer te per gulam mentiri. Qui eum portabant oborto riſu maximo hominẽ in feretro reliqre.

SENEX. Poteſt ẽtiã vana huiuſcemodi perſuaſio oboriri ex prauis ac vitioſis quibuſdam huius morib. Melancholicis; qualis fuit pluſculis abhinc annis in vero quodam illuſtri, qui in eum mentis errorem incidit, vt mortem animo conceperit ac ſe iam è viuis exceſſiſſe haberet perſuaſum, adeo, vt quum illum amici ac familiares ad inſtaurãdas vires iam collapſas precibus, blandimentis, obiurgatione hortarentur atque vrgerent, omnia reſpueret, quod cauſaretur, mortuum eſſe ſe, ac nihil ita conſtituto opus eſſe alimento. Quum autem fame enecandus videretur, inſtante ſcilicet ſeptimo die, qui famelicis atque inedia confectis lethalis eſſe ſolet, comminiſci cœperunt atque excogitare rationem aliquam, qua poſſet hic mentis error eximi, itaque inducti ſunt in conclaue arte atq; induſtria obſcuratum perſonati quidam hiſtriones linteo obuelati ac faſciis obuincti, quibus mortui ſepulcris inferri ſolent, inſtructaque menſa ferculorum apparatu, liberalius largiuſque ſe cibo ac potu reficiunt. Æger autem hæc conſpicatus ſciſcitatur quid moliantur, & quod ſint genus hominum, reſponſum eſt, mortuos eſſe ſe: Tum is; Mortuine edunt? Illi, maxime. Si libeat accumbere, id non vanum experietur. Confeſtim mente captus exſilijt, lectoque ſe ſubduxit, atque vna cum mortuis commentitijs cibo fruitur affluentius:

Melancholicus mortuus ſibi viſus.

Ee 2 per-

peracta autem cœna ſomnus illi obrepit in eum vſum confecto liquamine. Siquidem, qui ſenſu mentiſque iudicio ac ratione ſunt orbati, arte tractandi ſunt, nec vlla re efficacius, quam ſomno, domandi. *Leuin. Lemnius lib. 2. de Complex. cap. 6. pag. 141. fac. 2. & Io. Schenckius à Grafenberg in obſeruationibus ſuis Medicis de capite humano, obſeruat. 228. pag. 272.*

Melancholici naſus. IVVENIS. Cuidam aliquando perſuaſum erat, naſum ſibi excreuiſſe in immenſum, atque in prodigioſam longitudinem exporrectum, ſic vt Elephantis proboſcidem circumferre viſus ſit, qui nuſquam non eſſet impedimento, adeo vt ſubinde patinis, vt illi creditum eſt, innataret. Accitus Medicus, atque affectum Melancholicum adeſſe ſuspicatus, dexteritate quadam ac latenti habilitate longum farcimen naribus admouit, arreptaque nouacula ſeu cultro naſorio, apprehenſa nonnulla carnis parte imaginarium naſum auulſit, confeſtim exhibita homini parum ſobriæ mentis ſoporifera potione, præſcriptaque ſalubri diæta, omnis mali metus ademptus eſt. *Schenck. in obſeruat. Med. de capite humano, pag. 141.*

Melancholici ranæ & rubetæ. EQVES. Alij cuidam hypochondriaco, hoc eſt, cui præcordia humore melancholico ac flatibus turgida eſſent, perſuaſum erat ranas ac rubetas quas bufones vocant, inteſtina pertetebrare, nec vlla ratione ea opinio illi eximi potuit. Medicus, quo illum magis haberet obſequentem (nam melancholici ægre ab opinione dimouentur) tale quiddam corpori inhærere pronunciauit. Itaque exhibita purgante potione, ac ſubdito clyſtere, procuratum eſt, vt aliquot eius generis reptilia in ſubiectam peluim conijcerentur: vbi autem pharmacum vires ſuas explicuit, alutus affatim exinanitus eſt, conſpectiſque excrementis, & quæ illis innatabant, animalculis, vana illa opinio animo excuſſa eſt. *Lemnius & Schenckius ibidem.*

Melancholici nates vitrei. SENEX. Alter quidem opinatus eſt, ex vitro ſibi conflatas clunes, ſic vt omnia ſua negotia atque actiones ſtando perficeret, metuens, ne, ſi in ſedile ſe inclinaret, nates confringeret, ac vitri fragmenta hinc inde diſſilirent. *Idem ibidem.*

Melancholicus granũ mylij. IVVENIS. De Melancholico quodam refertur, quod cum in mylij granum ſe transformatum crederet, diu noluerit cameram egredi, ne à gallinis deglutiretur.

Melancholici naues. EQVES. Scribit Athenæus lib. 12. de quodam Thraſylao, qui tam vitiato cerebro erat, vt putaret, omnes naues quæ in Piræum portum appellebant, ſuas eſſe, recenſebat, nautas ſoluere præcipiebat, redeuntibus non aliter gratulabatur, quam ſi omnium rerum

rerum quibus onuſtæ erant, dominus eſſet. Is toto illo tempore, quo mente captus fuerat, ſuauem vitam duxiſſe ſe aiebat, donec Medicus ab hac inſania ipſum liberaſſet.

Mundus vitreus. SENEX. Vidi quendam, qui totam mundi ſuperficiem imaginabatur eſſe ex ſubtiliſſimo vitro, & ſubtus eſſe ſerpentes, ſe in lecto tanquam in inſula, vnde ſi egrederetur, frangeret vitrum, & ideo nolebat ex ex lecto egredi. *Iohan. Bapt. Montan. Conſ.23. & Schenckius in d. lib pag.127.*

Manuum complosio. IVVENIS. Ariſtoteles ſcribit in libro ſuo de rebus mirãdis, de quodã mente capto, qui in Abydo vrbe Aſiæ, multis diebus ſe in theatrum conferens vacuum, ſedebat, & non minus manuum comploſione teſtabatur ſibi omnia placere, quam ſi Comœdia vel Tragœdia aliqua egregie fuiſſet acta. *Lauaterus de ſpectris, pag.12.*

EQVES. Similem Hiſtoriam deſcribit Horatius lib.2. Epiſtolarum, de quodam, qui *Argis* in theatrũ vacuum ſeſe ponẽs idem fecerit, quod alter ille: Cumq; cognati ipſius medicorum opera eum curaſſent, indigniſſime tulerit, negans ſe vnquam vixiſſe ſuauius, quam cum mẽtis parum fuiſſet compos.

Melãcholicæ orbis in digito. SENEX. Vidi ego, inquit Ioan. Schenckius à Grafenberg mulierẽ, quæ ea imaginatione vexabatur, ne medium manus ſuæ digitum conſtringeret, tanquam in ipſo totum geſtaret orbem. Plorabat autem illa quoque, verita, ne quando digitum ſuum inflecteret, & totus orbis corrueret, & omnia ſtatim interirent. *Io. Schenckius à Grafenberg in obſeruationibus Medicis, pag.170.*

Mulier nuda. EQVES. Exemplum vnum referam mulieris nudæ per ciuitatem peragrantis in quadam Italiæ vrbe, quæ cum in officinam quãdam meritoriã incidiſſet, nocte tota à quindecim viris Venere defatigata, menſium largo profluuio, qui pluribus annis antea conſtiterant, non ſine magno pudore diluculo menti reſtituta diſceſſit. *Schenckius in dict. lib. pag.275.*

Melancholici epitaphium. SENEX. Multi etiã eo ipſo momento, quo expleto curſu naturæ, vitæ finem impoſituri erant, ſtultitiæ ſuæ perſpicuũ poſteris reliquere teſtimonium. Sicut melancholicus ille Athenienſis, qui poſt mortem non minus, quam in vita, hominum conuerſationem reſpuens, tales ſepulchro ſuo iuſſit inſcribi verſiculos.

Hic iaceo, & amplius illic non ſum, qui fui.
De nomine non ſis ſollicitus, hæc qui legis:
In peßimam ito rem, Dij quam duint tibi.

Virginum Mileſiarum inſania. SENEX. Sub finem huius noſtri de melancholicis diſcurſus, recitabo ex Æliano mirificam Melancholiæ ſeu inſaniæ potius hiſtoriam de virginibus Mileſiis inſanientibus & quomodo ab inſania iſthac fue-

rint liberatæ, vbi ſimul de quibuſdam inſaniæ ſpeciebus quædam ex Ariſtotele diſſerit. Sic autem *lib. 2. de varia hiſtoria, cap. 18.* ſcribit: Inſaniæ plures & pene innumerabiles eſſe ſpecies omnes ferè medici voluerūt quandoquidē per ſapientiam quoſdam etiam inſanire planè affirmant. Cæterum raras admodum has & nouas, memoriæ proditas legimus. Abydi quendam Ariſtoteles fuiſſe referr, qui cum aliquando inſanire cœpiſſet, per multos poſtea continenter dies in theatrum ventitare, ibique tanquam aliud ageretur diligenter & intenre ſpectare ſit ſolitus, geſtus etiam quoſdam cum oris, tum reliqui corporis efficiens, veluti ſpectatum illic quippiam, auditumúe probaret, aut econtra damnaret. Verum illum poſtea ab inſania liberatum, popularibus ſuis narrare ſolitum dicit, nunquam ſe iucundius per omne ante actum tēpus, quàm per eos dies vixiſſe. Idem etiam ſcribit autor, Tarenti cauponem fuiſſe quendam qui noctibus quidem fureret, interdiu vero proprio, ſi quis alius, exercitio diligenter operam nauaret, cæterum noctū etiam dum inſaniret ſua illum ſolerter omnia cuſtodiſſe ait. Siquidem tabernæ clauem, quam ſub zona ferre ſolitus eſſet, nunquam amiſiſſe, quinimo multis plerumque, vt fit, illam clam ſubducere tētantibus, ſemper cuſtodiſſe diligenterque conſeruaſſe affirmat. Mileſias autem virgines nouum quoddā & miſerandum inſaniæ genus inuaſiſſe, autor eſt Plutarchus. Siquidem ignora, vt ait, cauſa, quam alij ad aeris intemperiē corruptionemque quandam, nonnulli ad terrarū peſtilentem halitum referebant, ad inſaniam omnes conuerſæ in vehemens adeo mortis deſiderium cōpulſæ fuiſſe dicuntur, vt per omnes fere domos tota paſſim vrbe laqueo ſe ſuſpenderent, ad id enim maxime, & non aliud ferè mortis genus furenter impulſas illas fuiſſe ſcribit. Luctuoſum igitur (vt ait) & turpe pendentium virginum ſpectaculū: Mileti quotidia cernebatur, cui peſti nullum penitus afferri efficax poterat remedium. Non enim maiorum ea in calamitate monita, non parentum preces & lachrymę quicquam proficere valebant, in dieſque paſſim, id excreſcere videbatur malum, vt non humanis illud amplius iam cauſis, ſed deorum potius indignationi omnes conſtanter adſcriberent. Donec prudentis cuiuſdam viri, & rerum vſu periti admonitu, Mileſiorum decernente ſenatu, vt quæ poſthac ſuſpendio ſe conficerent virgines, nudato corpore omnes per fori medium palàm efferrentur, huiuſmodi ceſſaſſe malum perhibetur. Hoc enim publicato decreto, adeo illas animis concidiſſe, ſic turpitudinis illius phantaſia perterritas fuiſſe ferunt, vt nulla poſtmodum ſibi ipſi durius

Ariſtoteles.

Caupo Tarenti.

Mileſiæ virgines.

durius conſuluiſſe dicatur, tantum ingenuis animis pudoris exiſtimationiſque efficax valuit vis, vt quas antea quominus ſibi manus afferrent terribilium, vt aiunt, extremum, non abſterruit mors, eaſdem vel inanis contumeliæ turpitudiniſque iniecta opinio, nullo poſtea negotio commouere, & à propoſito tam cito labefactare, & euertere potuerit.

EQVES. Melancholia etiam familiaris eſt viris heroicis. Ita Carolus Burgundus, cum ad Granſoniū oppidum ſuperatus & profligatus eſſet & omnem ferè theſaurū amiſiſſet, ex mœrore animi incidit in Melancholiam, hoc eſt, in mentis quandam alienationem, quæ ipſum totum immutauit.

IVVENIS. Ego magnum habere momentum ad concitandos in animis hominum eiuſmodi inordinatos, quales hactenus diximus, humores, ipſam aëris diuerſam in temperiem, minime dubium eſt. Et aſtipulantur huic meæ ſententiæ Galenus & Polybius, autores grauiſſimi, effectuumq; atq; κράσεων aëris ſolertiſſimi. Et Plato *lib. 5. de legib.* expreſſe ſcribit, alios aliis meliores aut deteriores effici ex ipſa locorum varietate: quos propterea legib⁹ ſæpe contrariis ac repugnantibus moderari neceſſe eſt: eam quoq, varietatē ab aquis & aere, tum etiam à ciborū varietate manare extra dubium eſt.

Ex . ē is tēperie aut intemperie diuerſi hominum humores.

EQVES. Quaſdam regionū, etiam ipſius Germaniæ, angulos quoſdam ſtupor vſq; adeo peruaſit, vt vix domum, quæ quidem numeroſam alit familiam, inuenias, in qua nō ſit vnus aut alter homo ſtupid⁹, qui in modum ſurdaſtri difficulter ea quæ ab aliis dicuntur, intelligat, imò patriam vix norit linguam.

SENEX. Dixi ego, multam varietatem ab aquis & aëre, tum etiam à ciborum varietate manare; id verò ipſa rei veritas non tam in hominibus, quam etiam in animantibus planum facit. Sic ſanguis Scytharum fibris plenus eſt, vt in apris ac tauris. Vnde robur & audaciam ingenerari tradunt. Auſtrales tenui ſunt ſanguine, vt lepores, cerui, quo fit vt timidiores ſint & imbecilliores. Qui igitur à 45. gradu ad 75. verſus ſeptentrionales poſiti ſunt, intus magis ac magis caleſcunt. Auſtrales vero quo plus habent caloris à Sole, eò minus à ſeipſis habent. Nam hyeme calor intus cogitur, æſtate diffluit, quò fit vt hyeme vegetiores ac robuſtiores: æſtate languidiores ſimus. Eadem ratio facit vt hyeme plus appetere & coquere, quam æſtate ſoleamus, præſertim flante Aquilone. Auſter cōtrarium efficit, vt ſcilicet minus appetant animantia, vt Ariſtoteles ſcribit: atq; hinc fit, vt cum Germani in Italiam, aut Galli in Hiſpaniā proficiſcūtur, frugalius veſci aut ſuffocari videamus: quod Philippo Duci Auſtriæ contigit, cum in Hiſpania ſuo more epu-

Septentrionalium & auſtralium natura.

epularetur. Hiſpani vero, qui frugaliſſimè in patria viuunt, in Gallia voraciores ſunt Gallis, argumento eſt etiam illud quod paſtores vulgò ferunt, armenta gregeſque macie tabeſcere cum ad Auſtrum proficiſcuntur: Ad Aquilonem vegetari. Nec mirū ſi Leo Afer ſcribit, nullà ferè boum aut equorum armenta, raros etiā greges ouium in Africa videri, aut parum admodum lactis habere. Contrà vero laudantur ab omnibus ferè ſcriptoribus Germanorum & Scytharum armenta, non quod habeāt paſcua meliora, quam Auſtrales, vt Plinius putat, ſed cœlo illud tribuendum eſt.

Animantiū vigor ex aeris temperie.

EQVES. Hic igitur vis tam caloris quam humoris conſideranda eſt. Vis autem interni caloris apparet, in robore, in bellis, in bibendo; Nam primo quod ad robur attinet, facit vis interni caloris, vt qui ad ſeptentrionem vergunt vegetiores ac robuſtiores ſint Auſtralibus. Quod etiam in aduerſa parte vltra capricorni circulum æquè contingit, vt homines quo ab æquatore longius diſcedunt, maiores fiant, vt in terra Patagonum, qui Gigantes appellantur, eadem latitudine qua Germani. Secundo quoad bella idem calor internus cauſa eſt, cur Scythæ graues ſemper incurſiones fecerunt meridiem verſus: Quodque incredibile videatur, verum tamen ſit, imperia maxima verſus auſtrum propagata ſemper fuerunt, vix ab auſtro verſus ſeptentriones. Nam Aſſyrij Chaldæos, Medi Aſſyrios, Græci Perſas, Parthi Græcos, Romani Pœnos, Gothi Romanos, Turcę Arabas, Tartari Turcas fregerunt. At Romani vltra Danubium progredi noluerunt; Traianus quidem ponte lapideo miræ magnitudinis ſupra Danubium extructo (nam 20. pilas, quarum veſtigia & hodie extant, habuiſſe dicitur. Dacos fortiter domuit: ſed cum Adrianus intelligeret, gentes illas nec facile vinci nec victas acquieſcere, pontem dirui mandauit. Sic Galli ſępe ab Anglis maximas in ipſa Gallia clades acceperunt, ac pene imperium amiſerunt, nunquam in Angliam niſi ab incolis acciti penetrare potuerunt; Angli vero ſæpe à Scotis victi ſunt, & cum annos amplius mille ducentos de imperio acerrime inter ſe dimicarint, eos tamen de Inſulæ particula depellere non potuerunt. Tametſi opibus ac legionibus tanto ſuperiores ſunt quanto Gallis inferiores. Omitto grauiſſimas Scytharū, Parthorū, Gallorum, Hunnorū, Sueſſionum, in Europam & Aſiam incurſiones, in quibus enumerandis infinitus ſim.

SENEX. Atque illud nimirum eſt, ni fallor, quod Ezechiel, Hieremias, Eſaias ac reliqui prophetæ toties cōminantur, ab Aquilone bella, legiones, equitatus, rerum publ. venturas euerſiones. Cæterum ad biben-

Bibacitas ſeptentrionalum.

bibendum admodum ſunt proni;id namque calor efficit, vt ad reſtinguendum cum potu ſępius vtantur. Diem, inquit Tacitus, continuare potando, nulli probrum: crebræ,vt inter vinolentos,rixæ.

EQVES. Cibo minus quam potu delectantur,quia plus habent caloris.Quę ratio eſt,curHippocrates fieri nō poſſe putat, vt idem cibo ac potu copioſe vtatur: ꝙ in Germanis cum animaduertiſſet Tacitus, cauſam nō intellexit: Inediam& frigus, inquit Tacitus, cœli ac ſoli conſuetudine ferunt: quia cœlum frigidū ac ſolum ſterile: imo vero calor internus ambienti frigori validius reſiſtit,humor vegetans famē propellit.Quod ad incremētum attinet: id etiam argumentum eſt humoris:ſic enim & beluæ marinę ꝓpter humiditatis copiam reliquis animantib. præſtāt.Accedit raucavox & grauis, quę in Hiſpanis,Pęnis &Æthiopib. ſupra modum tenuis eſt & clara: ꝙ in his frigiditatem & ſiccitatem arguit: in illis humorem & calorē.Nā humor nimius in plumbo & ligno virenti ſonum grauem efficit: calor etiā interiores meatus aperit frigus cogit. Hinc fœminæ naturâ frigidiores, clarius quam viri loquūtur: media temperie vox ſuauis afficitur & canora: qualis eſt Aſiaticis, Italis & Gallis. Denique quod ad ſudorem attinet, humor multus facit, vt ſeptentrionaels,cum ad auſtrum iter faciunt,aut in regionibus calidis bella gerunt, ſudore diffluant.

Germani ſudore diffluunt.

SENEX. Hæc Plutarch' in Mario confirmat, vbi fluxa corpora Cimbrorum caloribus & ſudorib' ſolui conſueuiſſe ſcribit. Quamobrem Hiſpani & Itali, ſi Gallorum & Germanorum primos impetus ſuſtineant, eos facilè frangunt, vt Polybius primum animaduertit: deinde Marius & Cæſar elatiſſimis victoriis comprobarunt.

EQVES. Cæſar falſo autumat Germanos ſtaturam ac robur augere quod animi libertate fruerentur nec honeſtis diſciplinis à puero imbuerentur, cum tamen id calori & humori tribuendum ſit. Quod denique ad bibendum attinet: idem calor efficit vt ad eum reſtinguendum potu ſæpius vtantur ſeptentrionales. Neque in illa perpotandi forma qua Germani (præſertim Saxones & accolæ Balthici maris vtuntur) vllis vnquam temporibus aut legibus potuit emendari.Diem inquit Tacitus, continuare potando nulli probrum: crebræ vt inter vinilentos, rixæ.

SENEX. Afri ſicco, frigido ac præduro corpore, laborem & æſtū patienter ferunt: vt Aphrodiſæus in quæſtionibus ſcribit: frigus tamen ferre non poſſunt,cum nihil habeant calori interni, contra quàm Scythæ qui calorem externum ægre patiuntur, cum vrgeantur ab interiore; vt equi ſuapte na-

tura calidi & humidi, ægrè in Æthiopia, optime in Scythia viuunt. Aſini vero frigidi ac ſicci, alacres ſunt in Africa, languidi in Europa, nulli in Scythia.

Qui mediam regionem tenent, impatientes ſunt frigoris & caloris: quia medium cum vtroq; extremo pugnat: vtrunq; tamen æquè ferũt.

Auſtralium forma corporis.

EQVES. Sunt igitur auſtrales quod ad formã corporis attinet, frigidi, ſicci, duri, glabri, debiles colore fuſco, paruo corpore criſpo capillo, nigris oculis, voce clara. Septentrionales calidi, humidi, piloſi, robuſti, colore cãdido, magno corpore, carne molli, fluxo capillo, cæſiis oculis, voce graui. Qui inter hos verſantur omnia moderate conſecuti ſunt.

Auſtralium mores.

SENEX. Nimirum ex hac forma corporis, illorum mores animi colliguntur. Cũ enim corpus & intellectus cõtrario modo afficiãtur: quo maior vis eſt hui⁹, eo minor eſt illius: & quo quiſq; plus intellectu, eo minus corpore viget, ſi modo sẽſus integri fuerint. Igitur planũ eſt auſtrales intellectu, Scythas corpore præſtare. Id enim Ariſtoteles *lib. 7. de Rep.* innuit, homines robuſtos & animoſos, minus ingenio valere, nec Remp recte moderari. Afri vero plus ſatis habent conſilij, virium non item: quæ tamen neceſſariæ ſunt tum ad hoſtes repellẽdos tum etiam ad ciues tuendos.

Scythæ. *Afri.*

Tertium genus eſt hominum qui pulcherrimas parendi & imperandi artes habent: qui viribus auſtralium calliditatem frangere & conſilio Scytharum impetus coërcere poſſunt.

EQVES. Hinc iudicari poteſt, cur Gothi, Hunni, Heruli, Vandali, Europam, Aſiam, & Africam armis inuaſerunt, ſed inopes à conſilio retinere non potuerunt. Qui vero prudentium conſilia ſibi aſciuerunt, gentes ad ciuilem ſocietatem idoneas nacti florentiſſima Imperia diutiſſimè tenuerunt. Et quo manu Scythæ ferè ſemper à literis, auſtrales ab armis abhorruerũt, nullũ magnũ imperiũ ſtabilire potuerũt.

Romani.

IVVENIS. Vtrumque Romani ſumma quadam felicitate ſunt conſecuti, & gymnaſticen cum Muſica (vt Plato voluit) prudenter coniunxerũt. Sed illud diuina quadam bonitate dicam an prudentia factum eſt, vt Afri plus ingenio; Scythæ corporibus valerent: ne ſi barbaris hominibus quaſi tauris vulpinam calliditatem: aut Pænis vulpibus magnam vim ac robur dediſſet: eius donis ad perniciem vtrique abuterentur. Nihil enim eſt crudelius, inquit Ariſtoteles, iniuſtitia armata χαλεπωτάτη ἀδικία ἔχουσα ὅπλα: quibus autem vires moderatas dedit, humanitate voluit ac iuſtitia reliquis præſtare: id quod regioni temperatæ tribuit Ariſtot. *in quæſtionib.*

Septentrionaliũ animi ſimplices.

EQVES. Eſt igitur in animo ſeptentrionalium, innocentia & ſimpli-

plicitas. Nam homines obeſi minime ſunt mali: vt recte Cæſar de Antonio ac Dolabella iudicabat: Brutū vero & Caſſium macilentos homines metuendos eſſe. At ſeptentrionales obeſi ſunt, auſtrales macilēti. Verū eſt igitur ꝙ ait Tacitus de Germanis: Gens, inquit, non aſtuta, nec callida, aperit n. ſecreta pectoris licentia ioci, & nuda omnium mens poſtera die retractatur ſalua vtriuſque temporis ratione.

SENEX. Quin etiam hæc vna ratio eſt, cur reges ac tyranni olim hiſque temporibus ad præſidium corporis Thraces, Scythas, Germanos, Circaſſios, Heluetios, magna mercede ſemper quæſierunt: quod intelligunt in illa vaſtitate corporū, minimum calliditatis ac malitiæ latere, eoſque potius militis quam Imperatoris munere delectari.

Crudeles & barbari. IVVENIS. Ineſt tamen iiſdem etiam quædam crudelitas & barbaries. Nam quo quiſque plus abeſt ab humanitate, id eſt, ab hominum natura, eo propius ad ferarū ſimilitudinem accedit: quæ cum ratione careant, iracundiam & appetitus cohibere nequeunt: ita fit vt ſeptentrionales ad crudelitatem impetu feruntur. Hinc Thucydides Thracas, vbi nihil extimeſcant, φονικώτατον γένος appellat. Tacitus vero de Germanis: occidere ſolent, inquit, non diſciplina & ſeueritate, ſed impetu ac ira vt inimicum. Omitto Gothorum & Hunnorum crudelitates, nō modo in homines, ſed in beluas, vrbes, arces, lapides & ſepulchra Romanorum quæ funditus euerterunt.

Auaritia. EQVES. Sed & auaritia inter eos nimium gliſcit. Hinc Tacitus de Germanis: Aleam, inquit, ſobrij inter ſeria exercent, tanta lucrandi perdendiue temeritate, vt cum omnia defecerunt, extremo iactu de liberalitate contendant. Hinc etiam illa quæ in Germanos & Francos iactatur à Procopio cupiditas habendi tanta vt vitam auro, bellum pecunia commutent: Auſtrales non ita tam auari, quam parci ac tenaces: Scythę prodigi ac rapaces.

Suſpicaces. SENEX. Suſpicione quoque minime carent, cum ab ingenio ſe deſeri ſentiunt, ſupra modum ſuſpicioſi euadunt. Sic in Gothia in hoſpitijs publicis ſpeculatores & ὠτακουσταὶ latent (oritur enim ſuſpicio ab inopia conſilij.) Atque non niſi ieiuni cum auſtralibus contrahunt: cumque ſe deceptos ſentiunt, calculum reducunt aut plerumque decipiendo præoccupant, aut denique vim afferunt.

Auſtralium animi. *Dotes ingenij.* EQVES. Auſtralium quoque à nobis conſiderandi ſunt animi, apud quos primum occurrunt inſignes ingenij dotes. Sic enim Columella *lib. prim. capit. 3.* *Pæni.* conſtat, inquit Pænos, gentem acutiſſimam dixiſſe, imbecillio-

rem agrum quam agricolam eſſe debere. Et Hircius de Ægyptiis cõtra Cæſarem dimicantibus: Ipſi homines, inquit, ingenioſiſſimi. Quis autem neſcit, quibus artibus & quãdiu Romanorum potentiam eluſerunt Pœni?

SENEX. Sunt tamen interim etiam nimis crudeles. Crudelitatem enim in hoſtes incredibilem ſemper exercuerunt, vt videre eſt in bello Punico. A Pœnis etiam profectæ ſunt exoculationes, membrorum auulſiones, excoriationes, ſectiones, lentæ vſtiones & palorum traiectiones: totius verò corporis in rota confractio à Germanis: à quib. ſuppliciis Itali, Galli, Hiſpani, Græci Aſiatici ſemper abhorruerũt, aut ab aliis inuiti acceperunt. Ac ne quis à praua diſciplina tantam crudelitatẽ manare credat, vt Polybius: Americorum auſtralium naturam ſpectet, qui in Cæſorum hoſtium ſanguine pueros mergunt, deinde ſanguinẽ ſugunt & membris conciſis epulãtur. Eſt igitur Auſtraliũ & Scytharũ crudelitas longe diſſimilis ꝙ hi ſolo impetu ad iram & generoſa quadã animi audacia feruntur ad vindictã; tum etiã irritati facillime placãtur: At illi nec facile irritãtur & irari difficillime leniũtur, tum hoſtes inuadunt vulpina calliditate, nõ vi aperta: Victoſq; immani ſuppliciorum acerbitate cruciãt. Quæ immanitas partim ab ea tyrannide proficiſcitur quam praua educatio & immoderati appetit⁹ in homine ſtabiliunt: ſed multo magis ab inæquali humorũ confuſione: hæc autem ab elemẽtis inæqualiter affectis. In elementis enim corpus humanum continetur ſanguis in corpore, ſpiritus in ſanguine, anima in ſpiritu, mens in anima: quæ tametſi eſt ab omni cõcretione, libera cõtagione tamẽ ex illa cohærentia plurimum afficitur: ita fit, vt qui ſunt in extremis regionib⁹ ad vitia procliuiores ſint. Nam perturbationes animi quæ ab atra bile proficiſcuntur tenaciſſime hærent. Nam atra bilis non aliter à ſanguine quã fex à vino diuellitur. At auſtrales abundãt atra bile, quæ exhauſtis ardore cœli humoribus quaſi fex in imo ſubſidet, & perturbationib. magis ac magis augetur. Auſtrales igitur plane implacabiles ſunt: quales fuerũt Aiax & Martius Coriolanus.

Crudeles.

EQVES. Sed & non minus furore concitantur: Conſtat auſtrales furore facilius capi, quã ſeptentrionales. Scribit n. Leo Afer, infinitam eſſe in Africa furioſorum hominũ multitudinem & vbiq; publicas ædes furioſis conſtitui: quibus etiam abundat Hiſpaniæ pars illa quæ auſtralior eſt. In inferiore Germania nulli ferè ab atra bile furioſi, ſed à ſãguine, quod gen⁹ furoris vulgò morbum S. Viti appellat.

Furor.

IVVENIS. Voluptas quoq; & Venus apud Auſtrales dominatur. Auſtrales enim omnibus voluptatibus ac Veneri maxime deditiſunt.

Voluptuarij. *Venerei.*

Scythas

Scythas vero negat Hippocrates ad Venêrem aptos eſſe, ob nimiam (vt ipſe ſcribit) ventris frigiditatem ac humiditatem, tum etiam ob equitationem, ac propterea infæcũdos eſſe: & cum fruſtra venerem tentarint, odio veneris ſeipſos caſtrare. Caſtrationem vocat alibi venæ cephalicæ (quæ ſub auribus latet) ſectionem. Hæc tamen omnibus fere hiſtoricis repugnant. Nam Gothorum, Scytharum & Germanorum tanta fœcunditas eſt, vt non modo Septentrionis vaſtas ſolitudines ac ſyluas maximis vrbibus decorarint: ſed etiam in vniuerſam Europam Colonias miſerint: non tantum Germani vltra Danubium, verum etiam Scandi in extremis Scythiæ finibus poſiti. Illinc Methodius & Paulus Diaconus exercitus, quaſi apum examina erumpere conſueuiſſe tradunt. Iornandes vero hominum vaginam, Olaus eorundem officinam appellant; quod inde Gothi, Gepidæ, Hunni, Cimbri, Longobardi, Alani, Burgundi, Normani, Picti, Heruli, Sueui, Sclaui, Suiceri, Rugi originem traxerunt, cum autem Scythæ calidi ſint & humidi, vnde fœcunditas ingeneratur dubium non eſt, quin omnium populorum fœcundiſſimi ſint. Ac neſcio quonam modo Hippocrates Scythas ventre frigidos eſſe putat; id enim falſum eſſe, natura ipſa demonſtrat, nam quæ ratio eſt, vt hyeme maior ſit in viſceribus, quam in æſtate calor (id enim feruens ore fumanti halitus ſignificat) eadem eſt ijs, qui ſeptentriones incolunt: ac propterea ſunt hyeme viri ad gignendum aptiores, non ſalaciores, vt putauit Ariſtoteles. Nam ſalatiores ſunt æſtate viri (propter acrimoniam flauæ bilis, quæ æſtate copioſior eſt) minus tamen idonei: ita quoque auſtrales, ſalatiores: ſeptentrionales vero magis idonei.

Scythæ ad venerem inepti.

Hippocratis quoque rationem cur Scythæ ad venerem minus idonei ſunt: quia brãcis & æquitatione perpetua vtuntur: Ariſtotelis teſtimonium & quidem certiſſima ratio, quam affert *in quæſtionibus*, refellit, cum ſalaciores ſint qui æquitare conſueuerunt. Septentrionales itaque ſuapte natura intemperatiſſimi in potu, cibo, ira, alea, rapinis. At Auſtrales cum difficilime ſe continere poſſint, promiſcuos beluarum hominum concubitus vſurpant, vnde tot monſtra pariunt Africæ regiones.

E Q V E S. Cæterum & Pœnorum apud Leonem incredibilis eſt Zelotypia, à qua Germani lõgiſſime abſunt. Cæſar quoque ſcribit Britannos duo denas vxores habere communes & fratres cum ſororibus, parentes cum liberis. Itali hunc morem ferre nunquam potuerunt, multo minus Hiſpani:

Zelotypia.

qui amore & Zelotypia ſæpe inſaniunt. Pœni vero & Americi mortem præſtabiliorem ducunt. Eſt igitur cauſa generationis à calore & humore libidinis, ab vtraque bile; à flaua quidem propter acrimoniam: ab atra vero propter ſpumam & flatum, qui plurimus eſt in eo genere bilis. Atque id voluit Ariſtoteles, vbi diſputat, cum Melancholici ſalaciores ſint: argumento eſt, quod qui acribus & flatulentis cibis vtuntur, ſalaciores euadunt, eoque magis ſi bilis ex aduſtione acris vel ſalſa euaſerit. Hinc fortaſſis Poëtæ venerem fingunt maris ſpuma natam.

Lepra auſtralium. SENEX. Habent vero etiam auſtrales ex atra bile quòd lepra laborant, qui propterea morbus Punicus à veteribus appellatur, non propter ruborem (cum auſtralis lepra, iudicio Moſis & Plinij, nihil habeat ruboris) ſed quoniam illinc originem habet.

Illinc etiam morbus Arabum, qui ἄλφος à quibuſdam, ab alijs λεύκη & vitiligo appellatur. Nam ante Pompeium M. nullos leproſos viderat Italia, teſte Plinio, quem morbum Ægypti peculiarem eſſe tradit.

Triſtitia. EQVES. Sed & atra bilis facit, vt Auſtrales triſtes ſint ac demiſſo vultu, inceſſu tardi & cogitabundi; ſeptentrionales læti & alacres, propter ſanguinis copiam. Ideoque auſtrales ad maxima Corporis & animi vitia procliues ſunt; cum male fuerint ab atra bile conſtituti: ſin bene temperata fuerit ea melancholia, quæ dicitur abradens, (ſunt autem multa genera) egregias corporis & animi vires adipiſcuntur: liberi enim ſunt ab infinitis morborum generibus, quæ à repletione, fluxione & ſanguine putri deriuantur.

IVVENIS. Ad morbos vero quod attinet, ſunt in Africa rariſſimæ ac leuiſſimæ febres, propter humoris interni & caloris inopiam. Quartana verò (quæ melancholiæ propria eſt) ſemel curata, vt ait Hippocrates; nunquam recurrit. In ſeptentrione putres à ſanguine febres, tumores & œdemata, morbi comitiales, conuulſiones, cæcitates, quo longius à medio receditur: quorum vna ratio eſt, craſſi humoris & excrementorum copia, quæ exigua ſunt in auſtralibus. *Morbi.*

In media regione graſſantur peſtes, propter aëris frequentes mutationes, cum in extremis perpetua ſit hyems aut æſtas: in medio, veris etiam & autumni magnæ mutationes. Hinc etiam morbi articulares, tertianæ, herpes, & gangræna quam in-

inepte dicam an impie acceptant ferunt D. Antonio.

Vita longitudo & breuitas.

Senex. Quod ad auſtralium longitudinem & breuitatem vitæ attinet; falluntur. Falluntur, qui putant mediæ regionis homines, quod ab extremis longius abſunt, ſalutem aut vitam habere diuturniorem. Auſtralium enim natura congruit cum calore: Scytharum cum frigore: qui in medio ſunt, tametſi cæteris temperatiores videntur, nihilominus à calore & frigore oppugnantur, & frequentes habent aëris mutationes, quæ morbos pariunt & ſenectam præmaturam.

Hinc diſcrepantes opiniones de vitæ breuitate. Putauit Ariſtoteles diutius eom quas nos victitare, Plinius ad ſeptentrionem, Galenus in media regione, quam ipſe in Aſia minore collocauit; vbi homines optimo temperamento eſſe putat. Gallos vero Scythas, Ægyptios, Arabes, ne per ſomnium quidem eiuſmodi temperamentum attigiſſe idem tradit Hippocrates, omnia pulcriora, maiora, & meliora in Aſia naſci: quæ partim vera, partim etiam falſa mihi videntur: nam maiores ſunt, qui ad ſeptentrionem, & quidem præſtantiore forma, idque Ioſippus, Cæſar & Tacitus de Germanorum mira magnitudine teſtantur, & veteres formam Gallorum (quos à candore candido lacteos ſeu Gallactas ipſi Aſiatici vocarunt) & Gallicos vultus quaſi prouerbio Tertullianus vſurparit: in eo tamen genere Britannis inferiores videntur.

Sed Galeno ignota fuit Gallia quam vt viſeret, à M. Aurelio rogatus adduci non poterit. Cum autem vita diuturna calido & humido ſuſtineatur: par eſſet ad ſeptentrionem diutius viui.

Atque hinc fortaſſe Plinius Hyperboreos annoſo æuo vitam protrahere putauit; Et quidem notum eſt in Britannia vltra centeſimum annum viui, nec dubito, quin Scytharum vita longe diuturnior eſſet futura, niſi potu ac cibo ſeipſos obruerent. Auſtralium quoque vitam longiſſimam eſſe, veterum ac iuniorum ſcripta teſtantur.

Tametſi enim calore & humore copioſo minime abundent; excrementa quoque multa deſunt, quæ ſenectam & internum afferre omnium conſenſu putantur, nam quo minus plantæ habent incrementi, eo diutius vigent, vt eſt apud Theo-

Theophraſtum; Alij temperatiore cælo vitam protrahi longiorem arbitrantur. Nam Italia multos alit, qui centeſimum annum his quoque temporibus ſuperarunt. Plinius ex cenſu Romanorum annos 140. quoſdam vixiſſe tradit. Auſtrales autem longiore vita fruuntur maxime tamen Numidæ, cum annoſæ cornices (quæ nihil fere caloris minus etiam humoris habent) quatuor hominum ætates implere dicantur. Præterea Elephantes (qui Ariſtotelis ac Iubæ teſtimonio vitam hominum animantium ſuperant) non alibi quam ad Auſtrum reperiuntur. Itidem Palma quæ interdum annos mille vigere dicitur, non niſi ad Auſtralem plagam ali poteſt. Quin etiam aurum & Adamas (quæ à ſeipſa nunquam interitum ſentiunt ad Auſtrum optima, nulla fere ad ſeptentrionem. Neque enim verum eſt ab optimo temperamento (vt putat Galenus) vitam effici longiorem: alioqui lapides plantis, plantæ animantibus, elephas & coruus homine temperatiores eſſent, quod abſurdum ſit: cum ingenij præſtantiam ab optima temperie iudicari putet.

Virtutes & vitia auſtralium.

EQVES. Virtutes & vitia auſtralium quod attinet; cum animus corpori præſtet, maiorque vis ingeniorum ſit ad Auſtrum quam ad ſeptentrionem: dubium non eſt, quia potior mundi pars ad Auſtrum poſita ſit, & maiores ſint in Auſtralibus quam in Scythis virtutes: vitia quoque maiora in quamcunque partem inclinarint. Hinc Liuius cum Annibalis virtutes commemoraſſet. Has, inquit, tantas viri virtutes ingentia vitia æquabant: Inhumana crudelitas perfidia pluſquam punica, nihil veri, nihil ſancti, nullus Deorum motus, nullum iuſiurandum, nulla religio. Neque enim ſtupidi homines & ruſtici valde flagitioſi eſſe poſſunt, ſed in magnis ingenijs (vt eſt apud Platonem) magnæ virtutes aut vitia ineſſe conſueuerunt, & quemadmodum fœcunda tellus niſi excolatur, magnam nocentium herbarum vim profert & modice culta valde frugifera fit: ſterilis vero neque ſalutares, neque noxias herbas, nec quicquam omnino, niſi maximo labore parit, ita quoque de Auſtralium ac Scytharum ingenijs iudico. Quare non mirum ſi omnes prope hiſtorici ac Poëtæ iam inde ab Æſchylo magnam Scytharum innocentiam laudant, malitiam Auſtralium inſectantur.

Studia & inuenta Auſtralium.

SENEX. Studia & inuenta auſtralium quod attinet; Etſi Ægyptiorum, Arabum, Chaldæorum ſuperſtitionem, impietatem, magiam, flagitioſas libidines & crudelitates Hiſtorici inſectantur, ab iiſdem tamen literæ, bonæ artes, vir-

virtutes, diſciplina, Philoſophia, religio, humanitas denique ipſa in orbem terrarum velut à fonte profluxit. Neque tamen Scythis ſua induſtria defuit neque item iis qui mediam regionem tenent, ſed egregias à Deo immortali dotes ſunt conſecuti: Auſtrales itaque diuturno contemplandi ſtudio (quod atræ bili congruit) pulcherrimarum ſcientiarum auctores ac principes fuerunt. Naturæ arcana detexerunt: Mathematicas diſciplinas inuenerunt, denique religionis, cæleſtiumque ſiderum vim & naturam primi perſpexerunt. Scythæ quod eſſent ad contemplationem minus idonei, propter ſanguinis & humoris copiam, (quibus ita mens obruitur vt vix vnquam emergat) ad ea quæ ſub ſenſum cadunt, id eſt, ad artes & opificia tractanda ſponte ferri cœperunt; Hincà ſeptentrionibus ea, quæ Mechanica dicuntur, belli tormenta, fuſoriæ artes, typographia, quæque pertinent ad metallicam artem, quam ita tractauit Georgius Agricola Germanus, vt Ariſtoteles ac Plinius in eo genere nihil intellexiſſe videantur.

Mechanica Septentrionalium.

Nec mirum ſi Germanos & Britannos accire ſolent Itali & Hiſpani, quod cæleſti quodam munere occultas terræ venas inuenire & inventas aperire norunt. Iidem quoque alumni Martis militarem diſciplinam antea ſemper & nunc quoque incredibili ſtudio colunt, arma tractant, montes æquant, aquas deriuant: Seque totos venationibus, agriculturæ, pecuariæ aut ijs artibus quæ opera moliuntur, dare conſueuerunt, vt illorum ingenium in manu poſitum eſſe videatur, quod ſatis indicat omne genus ſuppellectilis & inſtrumentorum, quæ ab illis tam artificioſe tam affabre fiunt, vt ea cæteri populi mirentur, imitari non poſſint. At mediæ regionis homines neque ad occultas ſcientias ita nati, vt Auſtrales, neque opificijs ita dediti ſunt, vt ſeptentrionales, ſed ad res agendas omnium aptiſſimi.

Nam ab iis primum profecta ſunt inſtituta, leges, mores, atque optima Reipubl. moderandæ ratio: Tum etiam mercatura, gubernatoria, oratoria, dialectica, imperatoria denique diſciplina. Et quidem conſtat, in Aſia, Græcia, Aſſyria, Italia, Gallia, Germania ſuperiore (quæ inter polum & æquatorem à 40. ad 50. gradum interiacent, maxima imperia ſemper floruiſſe, & ab illis regionibus ſummos Impp. optimos legum latores, æquiſſimos iudices, prudentes iuriſconſultos, diſertos oratores, ſagaces mercatores, clariſſimos denique hiſtriones & fabularum

Leges & inſtituta vnde

Gg acto-

actores ortum habuiſſe, Nulli ab Africa, multo minus à Scythia Iuriſconſulti, nulli oratores, rari Poëtæ, pauciores hiſtorici, pauciſſimi qui copioſam & vberem exerceant mercaturam, qualem Itali, Græci, Hiſpani, Aſiatici.

IVVENIS. Queritur itaque Galenus, nullos vnquam à Scythia Philoſophos, præter Anacharſim, innumerabiles à Græcia fluxiſſe.

Scribit quoque Iulianus Imp. Celtas nec Philoſophiæ nec diſciplinis mathematicis operam dare: Sed in Dialecticis fere ac Rhetoricis acquieſcere. Hinc Iuuenalis:

Gallia cauſidicos docuit facunda Britannos.

Quod experientia diuturna comprobauit: neque enim vſquam terrarum plures cauſidici, nuſquam ciuilis ſcientia maiore ſtudio colitur, occultæ vero ſcientiæ ac mathematicæ diſciplinæ valde frigent. Contra vero Auſtrales quod aſſiduæ contemplantur, propter inſitum atræ bibis humorem, ſeipſos à rebus agendis ſponte ſubducunt, ac deſertiſſimas ſolitudines quærunt, Contemplationis autem & meditationis (quæ pretioſa mors ab Hebræis & Academicis appellatur) ea vis eſt, vt ingenium acuat, & hominem ab homine ſeiungat: quod cum adeptus eſt, non modo rerum naturalium arcana videt, ſed etiam pernicibus alis in cælum purgata mente fertur.

Quod igitur de vna ciuitate, idem quoque de mundana republic. iudicandum relinquitur.

Sicut enim ſapientes precibus & monitis, prudentes imperio & iuſſu, robuſti viribus & executione rempublicam tuentur, (nam in hos tribus partibus, decretis inquam, edictis & executione Reſpon. continetur,) ita diſtributis populorum muneribus auſtralium ſapientia, Scytharum robur, mediorum prudentia quodammodo propria eſt, id quod etiam in animæ partibus videre eſt, etenim mens ipſa maneto, ratio iubet, ſenſus autem veluti ſatellites ad exequendum adhibentur; & in triplici animæ facultate animali, vitali & naturali; vna quidem à cerebro motum & ſenſum: altera à corde ſpiritum vitalem, tertia ab epate vegetationem.

EQVES. De leuitate ſimul & conſtantia auſtralium à nobis ſermo habendus. Quod ſi enim vitia ſunt extremorum, conſequens eſt, vt ſi pertinax Auſtralis, Scytha leuis ſit, intermedius conſtans. Certe barbari & qui *Leuitas & conſtantia.*

qui minus habent rationis, ad beluarum ſimilitudinem propius accedunt, quæ vt facile viritantur: ita facile placantur, & paulo momento huc illuc ſine ratione feruntur. Conſimiliter pueri ac fœminæ amicitias contrahunt ac deponunt, homines conſilij participes non item: & in hominum genere quo quiſque plus ingenio valet, eo minus ad amicitias, vel odia, vel opinionum nouitatem trahi ſolet: eo tamen pertractus ægrè vellitur. Ac recte intuenti, auſtrales, intermedij & Scythæ, ſenum, virorum & adoleſcentium mores & humores habere videntur, Scythæ quidem humidi & calidi, adoleſcentium in modum: Auſtrales frigidi & ſicci, quod ſenibus congruit; qui mediam ætatem attigerunt, temperiem optimam conſequuntur. Adoleſcentes cupiditatibus & ἐπιθυμίαις intemperanter laborant quod epatis & vulgi proprium eſt. εὐμετάβολοι δὲ καὶ ἁψίκοροι πρὸς τὰς ἐπιθυμίας καὶ σφόδρα μὲν ἐπιθυμοῦσι, ταχὺ δὲ ἰδάνονται: id eſt, cum ſint leues ac mutabiles, eos repente faſtidium ac deſiderium capit nouarum cupiditatum: Repentinæ eorum voluntates, nec tamen diuturnæ. Ambitioſi, audaces, iracundi, faceti, prodigi, non improbi, ſed εὐηθεῖς ac ſimplices διὰ τὸ μὴ τεθεωρηκέναι πολλὰς πονηρίας, id eſt, quod ignorantiæ tribuitur, non virtuti: ſed etiam valde creduli ſunt, & inani ſpe paſcuntur, ſenes contra. Qui vero mediam ætatem tenent, omnia ſunt mediocriter conſecuti.

Sobrietas & ebrietas.

IVVENIS. Sed & quæ ſobrietatis, ebrietatiſue apud eos ſit conditio, à nobis conſiderandum eſt. Auſtrales propter caloris inopiam, cibo ac potu ſtatim obruuntur: Scythæ vero ſi velint, ſe cohibere non poſſunt facile, cum vrgeantur ab interiori calore & ingenij viribus deſerantur.

Sordes luxus.

EQVES. Sordes vero & luxus apud eoſdem diuerſimode vigent. Scytharum ſordes in conuiuijs olim parum admodum differebant à paſtu beſtiarum. Tacitus de veteribus Germanis: ſine apparatu, inquit, ac ſine blandimentis expellunt famem: in omni domo nudi ac ſordidi: in hos artus, in hæc membra quæ miramur, excreſcunt: inter eadem pecora, in eadem domo degunt Scythæ vero, vbi fames ingruit equorum ſecta vena ſub auriculis ſanguinem ſugunt, & carnibus equorum epulantur, vt de Tamerlanis, eorumque exercitu proditum eſt.

At Auſtrales mūdi ſunt ac nitidi

nec ſordes ferre poſſunt idque facile intelligitur ex illis quibus vtuntur lauacris ac balneis, non tantum in ſacris ſed etiam in priuatis rebus: neque ſolum ex veteribus & Xenophonte, verum etiam ex Aluare ſic planum fit quorum alter apud Perſas quoquo modo ſpuere turpe: alter apud Abyſſinos vel mucorem, vel ſputum exereare in templis, pro inſigni flagitio habere ſcribit. Athenæus vero Aſiaticorum & Ægyptiorum, delicias incredibiles tradit: In quo genere cum M. Antonius nobilis decoctor à Cleopatra facile vinceretur, Romanos velut ineptos ac barbaros, ſeque ipſum irriſit. Omitto Perſarum præmia, lege tributa ijs, qui nouas voluptates iuueniſſent.

IVVENIS. Conſiderandi quoque illorum Geſtus, actio, vox.

Geſtus, actio vox. Scythæ ſuauitatem orationis ac veneres dicendi reſpuunt, vt ex eorum ſermone & literis ſiue vocalibus aſperrimè colliſis intelligitur, nec Lydium modum ferre poſſunt: ſed vocis aſperitatem affectant, vt ſcribit Tacitus, barrituque accendunt animos, fracto murmure obiectis ad os ſcutis, quo vox plenior & grauior intumeſcat: tubas & tympanà libenter audiunt, fides negligunt. At auſtrales ſuaues concentus & Lydios modos fidibus conſectantur.

EQVES. De conuictu quoque illorum à nobis dicendum. *Conuictus.* Amant Scythæ mirum in modum ſocietates, & cætus hominum inter ipſos: hinc Nomades à veteribus dicti, & his quoque temporibus Hordæ, vt Tartari vocant, cum infinita multitudine vagantur in agris. Auſtrales ſolitudinem quærunt & in ſyluis deliteſcere, quam in luce populi verſari malunt.

IVVENIS. Muſicam illorum quod attinet, *Muſica.* Scythæ Phrygio modo ſæpius vtuntur: Auſtrales Lydio. Medij Dorio ferociores fiunt, & Martem, vt ait Poëta, cantu accendunt. Lydius auſtrales etiam molliores reddit, Dorius naturæ congruens motus animorum ad virtutem, & honeſtatem dirigit.

Lacedæmonij tibias: Cretenſes cythara vtebantur in bellis: non ad cohibendam iram vt Thucydides & Plutarchus ſcripſerunt (eſt enim iudicio Platonis & Ariſtotelis, vtiliter hominibus ad vltionem tributa) ſed

cum

cum nulli ſint Cretenſibus & Lacedæmoniis auſtraliores in Europa, ſuæ naturæ inſeruiebant. Et vt in ſumma de ſeptentrionalibus, mediis & auſtralibus concludamus, contrariorum eſt contraria diſciplina.

Igitur ſi auſtralis ater eſt, ſeptẽtrionalis candidus: ſi magnus hic, ille paruus; hic robuſtus, ille debilis; hic calidus, humidus, ille frigidus, ſiccus; hic piloſus, ille glaber: huic rauca vox, ille clara, hic calorem meruit, ille frigus: hic lætus, ille triſtis: hic ſociabilis, ille ſolitarius: hic audax, ille timidus: hic vinoſus, ille ſobrius: hic ſui & alieni negligens, ille circumſpectus & cæremoniis deditus: hic ruſtice arrogans, ille animo elatus: hic prodigus, ille parcus: hic minime ſalax, ille ſalaciſſimus: hic ſordidus ille nitidus: hic ſimplex, ille verſutus; hic miles, ille ſacerdos: hic opifex, ille Philoſophus: hic manibus vtitur, ille mente: hic terræ venas, ille cœleſtes inquirit.

Orientaliũ & occidentalium natura.

SENEX. Satis mihi videmur dixiſſe de ſeptentrionalium & auſtralium natura & moribus; reſtat opinor, vt etiam de orientalium & occidentalium natura diſſeramus. Cæterum de ortu & occaſu in locis planis ac æqualibus iudicare difficile eſt, cum reuera nihil oriatur, nihil occidat: ſed in locis inæqualibus magnum vtriuſque diſcrimen eſſe, non modo medici, ſed etiam ruſtici & architecti maximis argumentis deprehenderunt. Vt ager Taurinus orientalis eſt, quod Alpes ad occaſum poſitas habet: Paleſtinus occidentalis, quod Hermon & Libanum ſpectat ab ortu: tametſi ſol in Æquatore citius oritur Paleſtinis quam Taurinis, hora ferè ac dimidia.

At cum lux oriens maleficam & craſſam aëris obſcuritatem moderato calore perpurgat, efficit regionem multò temperatiorem: cũ autem maximis ardoribus flagrat Sol, id eſt, poſt meridiem, orientali regioni occidit, & oritur occidentali. Hinc magnum diſcrimen inter Allobroges & Taurinos, qui ſunt in eadem latitudine ac longitudine. Hoc quidem rationi congruit, ſed in locis æqualibus certa ratio nulla videtur, cur Galatia minoris Aſiæ, ab Italiæ Campania differat, cum in eadem latitudine ſint. Eſt tamen Hebræorum, Græcorũ, & Latinorum ſummo conſenſu (quem experientia diuturna comprobauit) temperatior ac melior ſitus orientis quam obitus. Hinc Ezechiel de electis facie ad Oriẽtem conuerſa adoraſſe ſcribit: & Eſaias, iuſtitiam ab Oriente proficiſci. His enim teſtibus libenter vtor, quod rerum naturalium ac diuinarum veriſſimi interpretes ſunt.

EQVES. Plinius *lib. 7.* ſcribit, obſeruatione diuturna cõpertum eſſe, *eſtiu-*

peſtem ab ortu ad occaſum ferri: vt ſi contrà fiat, peſtem vbique graſſaturam ominentur, Ammianus ſcribit: Seleucia direpta & aperto templi adyto quodam Caldæorum arcanis concluſo, labem exiluiſſe incurabilium morborum, qui Marci ac Veri temporibus, ab ipſis Perſarum finibus, ad Rhenum vſque & Gallias cuncta contagione ac multitudine morientium fœdarũt. Non multo poſt ab Æthiopia verſus ſeptentriones peſtis vniuerſum penè terrarum orbem populata dicitur. Huius quidem perſpicua ratio eſt, cum auſter humidas ſeptentrionis regiones afflauit, calore putredinem augente. Eſt igitur cauſa proxima in ventorum varietate. Nam venti ab auſtro ſpirantes calidi, humidi; à ſeptentrione frigidi, ſicci. Sed quia venti à cardinibus & decumanis ſpirantes, leuiter flare conſueuerunt: non efficiunt illam aëris varietatem, quam qui à lateribus oriũtur: quia cum ſol à cardinibus longiſſimè abſit, exaltationes vehementes cõmouere nequit: in decumanis vero calor ſolis violẽtior ventũ excitat, ſed ei⁹ vim cohibet. Quæ ratio facit, vt Vere & Autumno ventorum vis multo maior ſit, quam hyeme ac æſtate. Cauſa vero remotior & occulta, cur Oriens locus Occidente melior ſit, cum nihil propriè oriatur aut occidat, planè me latet: ſed quæ conſequuntur effectiones perſpicuæ ſunt & admirabiles.

IVVENIS. Vbi verò Orientis & Occidẽtis cõſtituti ſunt termini?

EQVES. Terminus Orientis eſt in inſulis Moluccarum: obitus vero in inſulis Heſperidum. Eſt enim pars orbis vniuerſo dimidia. Nam meridiani harum inſularum 180. gradibus à ſe inuicem abſunt. Reſtat altera pars orbis, in qua ſita eſt America infinito maris ſpacio ab vtroque termino diuiſa, vt Orientis & Occidentis rationem habere videatur. Omitto, quam multa magi de natura dæmonum vtriuſque religionis diſputant. *Terminus.*

SENEX. Vires & ingenium illorum quod attinet, Ariſtoteles, Hippocrates, Gallenus, Cteſias vbique confirmant propoſitis exemplis omnia pulchriora ac meliora in Aſia quam in Europa naſci. Ac tametſi propter ignotas regionum latitudines ſæpe labuntur, nihilominus tamen iis noſtra ætate planè cognitis compertum eſt in eodem cæli tractu populos ad occaſum corporis viribus longe præſtare, Orientales ingenio. Nam Celtæ innumerabiles ſæpè copias in Italiam, Græciam, Aſiam duxerunt: Itali vero non prius in Galliam penetrare auſi ſunt, quam imperium ad ſummum perduxiſſent, & quidem Cæſare duce, belloque inteſtino flagrãte Gallia. Hinc laudes Ciceronis & Agrippe in Cæſarem, quod eas gẽtes domuiſſet, quarum impetus Romani ſuſtinere vix poſſent, laceſſere *Vires & ingenium.*

non

non auderent. At Itali Græcos ita ſubegerunt vt nullas acceperint offenſiones. Gręci vero qui ſuis armis intimos Aſiæ receſſus aperuerunt, vix vnquam in Italiam præterquam Pyrrho rege venerunt, qui tamē victus fuga turpi ſibi ſalutē quæſiuit: vt & Xerxes. Hinc illud Iuliani Imp. Celtæ & Germani audaces, Græci ac Romani tum bellicoſi, tum vrbani: Ægyptij magis induſtrij & ſagaces, quamuis imbelles ac molles: Syri cum alacritate & facilitate animi ad diſciplinas apti: Quid commemorem, quam cupidi libertatis & ſeruitutis impatientes ſint Germani? quam tractabiles & quieti Syri, Perſæ, Parthi, ac denique populi omnes ad Ortum & Auſtrum? Hæc ille in libris aduerſus Chriſtianos: vbi vim Ort⁹ & Occaſus apertè demōſtrat. Tacitus vero ſcribit, Batauos qui ad occaſum extrema Germaniæ tenent, omniū ferociſſimos ac virtute præcipuos fuiſſe, quod Plutarchus in Mario cōfirmat. Magnitudine quidē præſtant, vt omnes qui loca paluſtra & frigida incolunt. Ita quoq; bellicoſiſſimi totius Galliæ putātur, qui magis occidui ſunt: quod Cęſar ipſe primus animaduertit: Optimi generis homines, inqt, ex Aquitanis & Rhutenis. Omniū autem Europę populorum maxime occidui Britanni & Hiſpani, ſtrenuiſſimi ſunt. Sed hæc poſſunt requiri latius, in illorum libris, qui ex profeſſo hac de re ſcripſerunt. Trāſeamus etiam pauliſper ad plana & montana.

E Q V E S. Hoc inter plana & mōtana intereſt in hominum naturis, quod inter Auſtrū & Septentrionem: & eadem ferme temperatura, ſi loca plana non fuerunt paluſtria. Vt enim maximum frigus ad ſeptētrionem, ęqualiter fuſum eſt in planis: ſic ad auſtrum in montanis & media regione aëris, tāta vis eſt frigoris ex antiperiſtaſi caloris, vt non magis Hyperborei (ſi tamē vlli ſunt) quam Lunæ montes aut Picus in Inſula Tenariſe mons omnium altiſſimus, gelu concreſcant. Id facile colligitur ęſtatis habita ratione, qua tum maxime grādo in media regione aëris cogitur, ꝙ hyeme vix vnquā contingere videmus: quia frig⁹ vbiq; diſperſum, minorē vim habet.

Montanorū & planorū conſideratio.

Frigus.

I V V E N I S. Falſum eſt igitur, ꝙ putat Auerroës, q plantas & animātia vegetiora eſſe putat in mōtibus, quod cœlo propiora ſint. Sic n. diuiniores eſſent montani homines ac magis ingenioſi: qui tamē valide rudes ac barbari ab omnib. appellātur. Falſum etiā quod Hippocrates ſcribit, mutationes temporum in mōtibus efficere hominum feritatē ac proceritatem. Cum autem plane regiones ſeptentrionis fere aquis immerſę ſint, mōtes non item: neceſſe eſt, montanos duriores, robuſtiores ac vitæ lōgioris eſſe, eoq; meliore habitu, quo mōtanæ aues & pecora paluſtrib. & mōtanæ arbores reliq̃s præ-

Montani viuaces.

præſtant. Et quoniam nulla fere iuga, ſed latera montium coluntur: temperatior eſt ac magis ſalutaris ea pars, quæ ad ſeptentrionem conuertitur, vltra quintum & quadrageſimum à polo gradum: citra vero ſalubrior, quæ ad auſtrum. Eſt enim magnum vtriuſque diſcrimen, quod ſatis intelligũt ij, qui vel in montibus iter habuerunt. Quod igitur de media regione ac populorum moribus diximus, nõ pertinet ad eos, qui in Alpib⁹, Pyrenæis, Cemeno, Acrocerauniis, Hæmo, Carpatho, Olympo, Tauro, Stella, Caucaſo, Imao, & Aruerniæ montibus ſiti ſunt, tametſi cœli tractus eſt omnium temperatiſſim⁹. Ab auſtralibus etiam excipiendi ſunt accolæ Atlantis, Arabiæ montanæ, Bethæ, Angæi, Pici, Serraleonę (qui mons ὄχημα θεῶν à Plinio vocatur) ſunt enim mõtani duri, agreſtes, bellicoſi, laboris patientes, minimeque ingenioſi: Ideoque non tantum in mõtibus ſeptẽtrionis, ſed etiam in ipſa Atlante, qui Tropico proximus eſt, magni ac robuſti homines naſci dicuntur: vnde legiones conſcribunt Mauritaniæ ac Numidiæ reguli.

EQVES. Illud certè admiratione dignum eſt, quod qui montes Arabiæ tenent, nunquam feritatem & animi robur deponere potuerũt: ſed aut naturæ viribus, aut locorum præſidio freti, in ſumma libertate ſemper vixerunt. Quinetiam Turcarum princeps ſexaginta millia aureorũ illis tribuere dicitur, vt agro Paleſtino ac Damaſceno liberè fruatur. Iam vero Marſi, veteres Apennini accolæ, omnium Italiæ populorum ferociſſimi fuiſſe feruntur: vulgatum eſt illud: Sine Marſis triumphaſſe neminẽ. Vnde vero Goſtauus legiones conſcripſit, vt Sueciæ regnum inuaderet, niſi ex Dalecarlis, qui Sueciæ montes occupãt? Ex quo intelligitur id quod ait Cicero: Ligures montanos ſuapte natura duros & agreſtos: maritimos verſutos eſſe. Omitto, quam diuturna bella montani Cilices & Acroceraunij cum Turcis geſſerunt: quam diu potentiam eorum Ducibus Caramanis ſuſtinuerunt ac repulerunt.

Arabes.

SENEX. Montanis omninò repugnat eorum natura, qui in locis paluſtribus verſantur, qui propter humoris copiam maiores ſunt in eadem latitudine: vt Bataui & Phryſij, qui Rheni oſtia tenent, maiores ſunt reliquis in eodem tractu Germanis: Et Belgæ propter paludes, & locorum planiciem, longiores ſunt Britannis, quorum regio plana fertur, minimeque paluſtris, ſed arenoſa. Peſſimè qui in locis paluſtrib⁹ & calidis verſantur: vt in Ægygto & in Gallia Narbonenſi, qua paludib⁹ eſt immerſa: illic peſtes, hydrocele vitiligo, lepra perpetuo graſſantur. Illic quoque videre eſt languentes homines & fœdos pallore vultus. Eſt enim floridus calor præcipuum tem-

Loci paluſtres.

Bataui.
Phryſij.
Belgæ.

Ægyptus.
Gallia Narbonenſis.

temperatę regionis argumentum.

EQVES. Aridorum quoque locorum naturas & conditiones conſiderabimus. Aridæ regiones, quantumuis caleant, ſalubres tamen ſunt. Nam Hiſpania, Numidia, Perſia, Chaldęa, Arabia fœlix, homines habent alacres, duros, ac cæteris in eodem tractu robuſtiores. Cùm enim Ægyptus, Cyrenaica, Mauritania, Gallia Narbonéſis, alba lepra infectæ ſint: rariſſimi tamen ſunt in Hiſpania & Numidia leproſi, vt Leo Afer deſcribit. Facit etiam vnius interdum fluminis diſcrimen, naturas hominum diſcrepantes, cum in longitudinem fluit (vt Danubius, Niger, Eridanus, Tagus, Aſopus) quia ſeptentrionales ab auſtralibus diuidit, ne tam facilè ſocietatibus aut commerciis vtantur: quo fit vt capitalibus odiis ſæpe diſſideant. Auſtrales enim qui Nigrum fluu. accolunt, parui, debiles, ſubcinericij, qui ad ſeptentrionem ex altera parte maiores ac robuſtiores ſunt, ac penitus atri. Nec mirum ſi Plato diis gratias egit, quod Athenienſis eſſet, non Thebanus. Athenæ tamen ac Thebæ Aſopo fl. duntaxat ac 20. circiter milliaribus diuiduntur: ſed Athenienſes ad auſtrum, Thebani ad ſeptentrionem conuerſi ſunt.

Aridæ regiones.

Hiſpania. Numidia. Perſia. Chaldæa. Arabia fœlix.

IVVENIS, Sed & loci concaui à nobis conſiderandi ſunt. Qui itaque ſunt in conuallibus ad meridiem, maiori calore vrgētur, quam qui in eodem tractu ſeptentrionem ſpectant: ita vt hi ad Scytharum, illi ad auſtralium naturam magis accedant. Inde fit, vt qui Carpatho adiacent, meridiem verſus retorridi ſint: ex aduerſa parte candidi. Eandem ob cauſam Galenus homines rapidos in agrum Tabianum mittebat inter Sarrentum & Neapolim, vbi vallis ad auſtrum hyeme quoque veris temperiem habet. Inde quoque morum diſſimilitudines ac diſcrepantes eorum naturæ, qui Rhetiam*, Carinthiam & Croatiam incolunt, ab Iſtris & Illyricis & Inſubrum à Liguribus & Hetruſcis. Sunt etiam qui conuallibus vndique ambiuntur, qui maximis caloribus vtuntur vltra 45. à polo gradum propter mutuum radiorum concurſum, & concluſa vndique loca. Cum autem è montibus fontes & imbres limoſi fluant, neceſſe eſt fertilitatem maximam ingenerari. Neque enim fabuloſa mihi videntur, quæ veteres de Mauritania & conuallibus vtriuſque Atlantis prodiderunt, centeſimam colligi meſſem: cum ſuis quoque temporibus Leo Afer quinquageſimam ſe vidiſſe fateatur. Certè Plinius ſcribit, Mauritaniæ procuratorem Auguſto tritici granum miſiſſe, quod 400. germina, paucis minus haberet. Magis incredibile eſt illud Strabonis de vallibus Tauri montis, racemos

Loci concaui.

duorum cubitorum naſci & ex vna ficu modios colligi ſeptuaginta, eadem ferè de agro Damaſceno, in conuallibus Libani montis. Nota eſt Aruernorum limonia. Taurinus ager, aurea vallis Pyreneorũ, Theſſala Tẽpe, vallis Sedunenſis & Carpathi conualles: quæ tanta fertilitate luxuriant, vt montium ſterilitatem conuallium vbertas abunde compenſare poſſit. In hac igitur frugum copia, neceſſe eſt agriculturæ deditos eſſe incolas, rem militarem negligere, otium colere, delitiis diffluere. Id quod Athenæus lib. 12. ſcribit de Lydis & Vmbris. Vtraque enim regio ſita eſt in locis planis & humilibus. Hinc Propertius Meuanicam ſitam loco plano & cauo dixit. Talis etiam fuiſſe dicitur Sibaritarum, qui neque Orientem neque Occidentem videbant: quorum delicias & luxum deſcripſit Athenæus: ſed ridicule Alciatus, qui apud Plautum & Catullum, qui porcos Vmbros appellant, parcos legit. Multò etiam abſurdius, quod apud Plutarchum *libr. 2. capit. 10.* Sympoſiacon, ὀμφελικὰς λαῦζας ad Umbros pertinere putauit, cum de feris illic agatur. Sic enim ὀμφείκα & ὀμφείκαλα Æliano & Æſchylo dicuntur catuli ferarum & qui ex oue & muſimone fero animali naſcuntur, Umbri à Latinis dicti ſunt. Sunt igitur luxui dediti, qui fertiles eiuſmodi conualles habitant: contra quam accidit iis, qui loca ſterilia colunt. Sunt enim in bello ſtrenui milites, in pace ingenioſi opifices, aut diligenter mercaturam exercent. Eam ob rem Atticus ager ſterilis, Athenienſes habuerunt artium inuentores (apud quos [illegible] capitale fuiſſe memoratur) vt Genuenſes apud Italos, Lemouiças apud Gallos, Norbergenſes apud Germanos, Beatiores igitur illi copia; hi vero ingenio.

EQVES. Verumenimverò, quoniam aquæ gelidæ ex niuibus coactæ in valles deriuantur: fit ſæpiſſime vt ſtruma vel hydrocele capiantur: præſertim ſi vallis ad Occaſum & Septentrionem conuertatur. Nam quà Valledocam agri Taurini vallem incolunt, omnes ſtrumas habent & gulæ tumores aut tonſillas: amentes quoque ſunt, & inepti ad loquendum, vt [illegible] Aquitania Labdani populi Labdaciſmo balbutiunt. Atque hi morbi ab aquis ad corpora deriuantur, ab his ad animum transferuntur. Quanta ſit aquis ad mores immutandos vis ac poteſtas, ex Hippocrate ſatis intelligitur, nec pluribus opus eſt: illud tamen animaduerſione dignum quod ſcribit Plinius: Haliacmone fl. Græciæ oues fieri candidas, Axio nigras, Xantho flauas: hoc etiam Vitruuius confirmat. *Struma.*

SENEX. Ab aëre vero, quo maximè viuimus, vitia non minora: li. *Loci ventoſi & trãquilla: li.*

ra: interdum etiam maiora oriuntur. Singulare autem eſt, quod ventoſa loca ferociores homines ac mobiliores reddunt: quieta vero humaniores & conſtantiores. Neque enim tranquilla mens poteſt eſſe in eo, qui huc illuc iactatur. Cuius rei argumento eſt, quod in motu ac tumultu contemplari nemo poteſt, ſed purgata mente ac perturbatione vacua, tum etiam immoto corpore id fiat oportet: & quo quiſque magis ſapit, eo tandiores habet corporis & animorum motus: qui verò inſaniunt, perpetuo corpore æquè atque animo iactantur. Itaque nautas, opinor, aquarum & ventorum perpetua iactatio, barbaros & inhumanos reddit. Vt vt ſit, compertum eſt, Thraciam Galliam, Britanniam, Circaſſiam, Lybiam deſertam, Luſitaniam, Perſiam, Noruegiam, Noricum & Pannonias (quæ ventorum impetu magis agitari dicuntur) populos habere mobiliores ac ferociores, quam quæ regiones eodem cœli tractu quietæ ſunt, vt Aſſyria, minor Aſia, Italia (præter Liguriam) Ægyptus, vbi cœlum aureum eſſe fertur. Nam Circaſſij, qui Tauricam Cherſoneſum incolunt, cœli tractum valdè temperatum habent: mirum tamen in modum feroces perfidi & crudeles eſſe dicuntur: at nuſquam ventorum maior vis eſt. Conſtat enim nullos eſſe populos in Gallia, Narbonenſibus, Aquitanis & prouincialibus ferociores, qui tamen aliis auſtraliores ſunt: vt putem partim ab Altanis (ſic enim vulgo & Plinio vocatur Vulturnus, qui Galliam Narbonenſem perpetuo infeſtat) partim etiam à Coro ſiue Circio (qui ab incolis Serra dicitur, & omnium violentiſſime ſpirat) hanc feritatem & irrequietam animi agitationem ingeneratam.

EQVES. Non parum etiam mores hominum & naturam immutant confuſiones populorum. *Cõfuſio populorum.* Neque enim verum eſt, ab eadem cœli temperie Scythas omnes ſui ſimiles eſſe, vt putauit Hippocrates: cum vbique terrarum ſua ſit propria quædam temperatio. Verior eſſet Empedoclis & Stoicorum opinio, qui (vt refert Plutarchus) diſſimilitudines oris ab imagine animo concepta fieri putant. Nam beluarum ſimiles ſunt partus, quod nullis cogitationibus (vt eſt apud Plinium) ſed ſolo ſenſu mouentur: Ita Scythæ, qui puras & naturæ congruentes amant voluptates minuſque cogitationum varietate diſtrahuntur, ſimiliores parentibus liberos procreare ſolent. Alia tamen ratione ducor. Nam in Æthiopia, vbi hominum genus acutiſſimum & ſalaciſſimũ eſt, nemo tam ſui ſimilis eſt, quam omnes omnium. Sunt *Æthiopes omnes ſibi inuicẽ ſunt ſimiles.*

autem parui, criſpi, aſiri, ſimi, labeones, glabri albiſſimis dentibus, nigris oculis. Scytharum nullam eſſe. diſſimilitudinem, tum Hippocrates ipſe, tum etiam Tacitus de Germanis ſcribit: & re ipſa compertum eſt, quo longius à medio diſceditur, eo ſibi ſimiliores eſſe vultus: In regione media videmus infinitam hominum diſſimilitudinem. Cum enim in illa regione omnium oculi flaueſcere debeant (nam ex atro, cæruleo, & flauo omnis illa varietas oculorum conflatur) videmus tamen præter flauos, glaucos, cæſios, nigros, rauos, & ex his infinitam confuſionem. Sunt naſuti, ſimi, criſpi, nigri, candidi, rufi, œnobarbi, punicei, pallentes, nani, gigantes. Hoc igitur tribuendum eſt homini confuſioni, qui ab extremis ad media, velut ad optimam temperiem, confluere ſolent. Nam illæ Scytharum, Gothorum, Turcarum & Tartarorum innumerabiles exercitus in media regione conſtiterunt. Nulli, præter Vandalos in Africam traiecerunt: ex qua paulo poſt eiecti ſunt. Et cum Arabes ac Pæni (quos Saracenos veteres appellarunt) ex Africa in Europam & Aſiam colonias deduxiſſent, in media regione conquieuerunt, nulli in Scythiam penetrarunt. Cum enim Hiſpaniam, Italiam & Græciam inuaſiſſent, in Gallia cæſi & proſtrati fuerunt: poſt etiam Galli, Italiam & Hiſpaniæ magnam partem à ſeruitute liberarunt. Similiter Celtarum ac Romanorum coloniæ veteres in media regione ſedes quæſierunt: nullæ in Scythiam aut Æthiopiam deductæ. Quemadmodum igitur videmus ex animantium & ſtirpium diuerſis generibus diuerſas naſci formas: vt in mulo, pardo, crocuta, lyciſca, Camelopardale, quæ parentibus diſſimiles ſunt: ita quoque iudicandum eſt in hominum varietate. Nihil ferè lyciſca ex lupo concepta differt à cane: quia lupus nihil aliud eſt quã canis ſylueſter. ipſi Varroni. Sed mulus ab equo & aſina, Camelopardalis, à Camelo & panthera, maximè differt: ita ſi miſceantur Scythæ cum Æthiopibus, dubium non eſt, quin hominum genus varium ac diſſimile ſint edituri.

SENEX. Scribit Athenæus, Ptolomæum Philadelphum hominem in ſcena exhibuiſſe, qui ore ac toto corpore bicolor eſſet: vno quidẽ latere niger, dextro candidus. Vt autẽ ſtirpes altò tranſlatę non citò vim amittunt, ſoliue, vnde alimenta trahunt; naturam induunt: ita quoque homines inſitam ſuę naturæ vim facile mutant; ſed longa temporis intercapedine ac diuturnitate.

IVVENIS. Exiſtimaui à vobis aliquam etiam Lappiæ gentis factam iri mentionem; ſed neſcio an iniuria an vero data opera à vobis inter- *Lappiæ ſitus & incolæ.*

intermiſſa huiuſce regionis eiuſque incolarum ſit mentio; Si ita vobis non eſt graue, proinde, vt Lappiæ ſitum, eiuſque regionis incolas velitis recéſere, votum meum eſt ac deſiderium.

EQVES. Ego data opera Lappianæ gentis nullam volui facere mentionem. Nam vel ipſa regionis vox atque etymologia ſuſpectam facit regionis iſtius atque incolarum naturam atque ingenia. Siquidem Lappia latino ſermone exponitur inepta ſiue ſecors prouincia. Nomen pure inditum inde, quo ex nimio & intenſo frigore ſolum tanquam ſtupidum minime aptum ſit, nec ad recipiendum, nec ad procreandum fruges. Indigenæ iſtius prouinciæ neruoſi & mediocris ſtaturæ ſunt, mire dextri & agiles in arcubus & ſagittis vtẽdis: quam artem iaculandi ab incunabulis ſic exercent, vt puero à ſcopo errantibus non detur tantiſper, donec in eum recte ſagittam dirigat. Pellibus non ineleganter contextis loco veſtium præcipue vtuntur, quibus ſe à frigoris iniuria tutantur: quod ita etiam pati aſſueuerunt, vt dum opus ſit, id ſine aliquo pellium munimine expugnare valeant. In tabernaculis habitant, nec domus eis alicui vſui ſunt, quippe ſæpius hinc inde migrant. Aliam viuendi rationem quam venationis, aucupij, & piſcationis non habent, in quibus plurimum præſtant. Eſt enim prouincia illa iſtarum rerum feraciſſima. Agrum non colunt, nauiculis vtuntur, ſine aliquo ferreo clauo compactis, quibus piſcibus aëre exſiccatis, ac pellibus onuſtis ad vicinos nauigant, vt permutatione tantum annonam & pecuniam, nullo ſermone adhibito, ſed ſolis nutibus agentes, acquirant. Id ſolum accidit ob linguæ barbariem, & aſperitatem, quæ à vicinis nullo pacto intelligitur, alioqui in ſuis permutationibus ſagaces & expertiſſimi ſunt. Gens bellicoſa & animoſa eſt. Loco equorum vtuntur animalibus, quæ Raingi ſuo ſermone vocant, magnitudinem & colorem aſini, vngulas bifidas, formam atque cornua ceruorum habentibus, ſed cornua lanugine quadam cooperiuntur, & humiliora, & ramis rariora cerui (vt ipſi vidimus) ſunt. Hæc tantæ ſunt velocitatis, vt ſpatio XII. horarum vehiculum ad XXX. milliaria Germanica proripiant. In quorum progreſſu, lento vel celeri, ex tibiarum articulorum agitatione, ad inſtar nucum colliſionis crepitus auditur. Religio iſtius gentis eſt, & ignem, & ſtatuas lapideas pro diis habere. Ex quauis re animata eis mane occurrente, totius diei euentum iudicant & augurantur. Matrimonium obſeruant, & mire ſunt zelotypi. Incantamentis ſic pollent, vt inter multa alia di-

ctu mira quæ prætermitto, naues in medio curſu retineant, ſic vt nulla vi ventorum amoueri poſſint. Quod malum ſolo virginum excremento ſeris nauium ac tranſtris illitis, curatur, à quo ſpiritus illi, vt ab incolis accepi, natura abhorrent. Hæc ex Damiano à Goës, eò quod Lappiæ notitiam aliquam habere deſideras, breuibus volui recenſere.

EQVES. Lappia orientalis, quæ lacum album tangit, Eccleſiam D. Andreæ in gradu eleuationis poli octogeſimo quarto habet, quæ magnifico & ſumptuoſo templo, ac doctis & ſacrarum literarum eruditis viris ornatur. Eccleſiæ hæ Vpſalenſi Archiepiſcopo Vpſalenſi obedit & obtemperat, ſub cuius diæceſi ſita eſt. Nihilominus eius circumuicini ſiue incuria, ſiue auaritia prælatorum & Magnatum, Chriſtum non agnoſcunt; id quod vel ex hoc vnico Damiani à Goës Anno Chriſti 1540. ad Pontificem Max. deſuper edito ſcripto elucet. In eo namque inter cætera ſic ſcribit: Sub Vpſalienſi Archiepiſcopatu pars illius Lappianæ prouinciç habetur; cuius in[illegible] Chriſti Seruatoris noſtri legem minime norunt, id quod..., vt à multis tum bonis, tum fide dignis viris, dum in illis prouincijs verſarer, ob turpiſſimum Prælatorum & nobilium quæſtum ac auaritiam accidere intellexi. Nam ſi Chriſtiani eſſent, liberi eſſent ab illis vectigalibus & tributis, quibus ipſi vt Ethnici mulctantur, nobilitas contra cum Epiſcopis diteſcit. Vetant igitur eos Chriſtianos fieri, ne ſubditi ſuaui iugo Chriſti, aliquid lucelli eorum tyrannidi & rapacitati ſubducant, & aliquid ex vectigalibus decreſcat, quibus gens illa miſeranda, ab ipſis Monarchis turpiter & inſatiabiliter premitur & torquetur: qui impatientiſſime ferunt, ſi illi Chriſtiani facti, non longe plus vectigalium ipſis penderent quam cæteri Chriſtiani ſuis principibus pendunt: ac proinde deformem iſtum & ſacrilegum quæſtum fidei ac religioni Chriſtianæ, contempta tot animarum ſalute, antepònunt: vere habentes claues, quibus nec ipſi intrant, nec alios intrare ſinunt. Auaritiam ſane inexplebilem, & impietatem intolerabilem, ac à pijs pectoribus, armis & ſcriptis, denique totis viribus expugnandam, quem procul dubio ſepitam hoc tempore habuiſſemus, ſi hic bonus vir in priſtinum ſuum honorem reſtitutus eſſet: nihil enim magis cupit, nihil acrius meditatur, quam quo pacto hæc gens ad Chriſti fidem reduci poſſit: nihil flebilius deplorat, quam quod ſe auctore (id quod ſepe animo voluerat) hæ miſerandæ pecudes adhuc propter impiā religionem, per Chriſtianam fidem Chriſti oues factę nō ſint, nec tam quæritur ſe ab archiepiſcopatu

Lappianæ gentis deploratio.

piſcopatu, vel bonis auitis depulſum, quam quod careat neruis, auxilio, & facultatibus, quibus hanc Lappianam plagam, & medicari, & ſub Chriſti iugum mittere, & Romanæ Eccleſiæ coniungere poſſit. Id quidem poſtea mihi ſæpius per literas confirmauit, quibus nondum ipſe placatus, acrem huius negotij, in fine illius primæ Precioſi Ioannis legationis (quam ipſi Joanni Magno Gottho conſecraui) mentionem feci: ne tum quidem mihi ipſi in hoc negotio ſatis feci, ſed cum Eraſmo Roterodamo meis literis egi, vt cauſam iſtius rei ſcriptis commendaret. Poſtmodum in illius contubernio agens, quid mihi cum eo Friburgi Briſgoiæ ad quinque menſes fuit, præſens cum præſente verba ſuper eodem negotio feci. Quibus rebus impulſus, conſtituerat de hac re iuſtum volumen emittere, mortis tamen interuentu operis materia, quam iam congeſſerat, diſſoluta eſt. Nihilominus in ſuo Eccleſiaſte tam nefandam impietatem non obticuit, quæ ſane talis eſt, vt omnes Chriſtianos, quibus potẽtia, & doctrina à Deo conceſſæ ſunt, poſſet quodammodo reos facere, & ab eis in vltimo iudicio coram iuſto Chriſto iudice vindictam petere.

Videant iam Chriſtianorum Monarchæ, quam rationem, quem calculum tantarum perditarum animarum in nouiſſimo die ad Chriſti tribunal, vbi nec gratiæ, nec indulgentiæ locus eſt, nec blandimenta, nec aſſentationes recipiuntur, reddituri ſint. Hactenus Damianus à Goës.

IVVENIS. Quid vero de nouis illis Inſulis, quas Hiſpani primum inuenerunt, nobis diſſeris?

EQVES. Multi contendunt, inſulas nuper ab Hiſpanis inuentas omni ætati fuiſſe incognitas: libuit hic adijcere, quid Ariſtoteles in libro de admirandis in natura auditis, de illis ſcripſerit, quæ talia fere ſunt.

Aiunt etiam Phœnices illos, qui vltima Gadium incolunt, quum trans Herculis columnas per dies quatuor enauigaſſent, vento maximo Apeliote tracti, adplicuiſſe tandem ad loca quædam inculta prorſus ac deſerta, verũ plena multa illuuie, & continuo pene conquaſſata motu, ea vbi ceſſauerit æſtus, facile conſpici poſſe: ſed redeunte immergi, in quibus inueniſſe eos affirmant incredibilem quandam thynnorum multitudinem, magnitudine quidem & amplitudine admirabili. Tum vero ab his parari laqueos cœpiſſe: quibus cum caperentur, captos autem membratim concidere, atque eorum carnes deſiccare paulatim conſueuiſſe, ac demum in vaſis reconditos, deferre Charthaginem. Verum à Charthaginenſib. nõ amoueri amplius è ciuitate,

Inſulæ nouæ ab Hiſpanis nunc primũ inuentæ.

tate, ſed potius eos inter ſe conſumere, ob eam quam ferunt huiuſmodi piſces in conuiuiis dignitatem & excellentiam de ſe præſtare. Hanc Thunnorum multitudinem palam iam cernere eſt in inſula Madera, & inſulis quæ Faial ſeu Noua Flandria adpellantur. Proinde in eodem libello Ariſtoteles ita quoque ſcriptum reliquit.

Trans Herculis columnas in eo mari quod Athlanticum dicitur, inuentam quandam inſulam à Carthaginenſium mercatoribus olim fuiſſe inquiunt, à nullis ante id temporis habitatam, præterquam à feris, & propterea ſyluestrem admodum & multis refertam arboribus: alioquin fluminibus plurimis ad nauigandum aptiſſimis plenam, ac incredibili quadam omnium rerum naſcentium vbertate profluentem, ſed remotam à continenti plurium dierum nauigatione: ad quam cum nonnulli Carthaginenſium mercatores forte acceſſiſſent, captique eius loci fertilitate ac aëris clementia, ibi ſedem fixiſſent: commotos ob id Carthaginenſes ferunt, ſtatim conſilio publico decreuiſſe, morte indicta, ne quis poſthac illuc nauigare auderet. & qui iam ierant iuſſiſſe ſtatim interfici, ne ipſius inſulæ fama perueniret ad alias nationes, ſubmitterenturq; alicui fortiori imperio, ac fieret quaſi oppugnaculum quoddam aduerſus eorum libertatem.

Proinde compertum eſt ex obſeruatione eclipſis, quæ fuit in menſe Septembri an. ſalutis. 1494. Hiſpanam inſulam, quatuor ferme horarum interſtitio ab Hyſpali, quæ Sibilia eſt diſtare, hoc eſt gradibus. 60. qualium eſt circulus maximus. 360. medium vero inſulæ continet gradus. 20. circiter in altitudine polari. Nauigatur autem ſpacium illud communiter in diebus 35. altitudo vero continentis oppoſiti, cui Hiſpani ſanctæ Marthæ nomen indidere, circiter graduum eſt 12. Darieni vero terra & ſinus de Vraca gradus quaſi tenent ſeptem cum dimidio in altitudine polari, vnde longiſſimo tractu occidentem verſus terra eſt, quæ vocatur Mexico & Temiſtitan, à qua etiam non longe remota eſt inſula Iucatan cum alijs nuper repertis. Sed quid attinet tractare exotica; ſiue illa Aſiatica ſint, ſiue Africæ adnumerentur. Europæa potius, quippe quæ nobis ſunt notiora magis, à nobis vt tractentur, operæ pretium exiſtimo.

SENEX. Memini me paucis ab hinc diebus, Laconicam, eamque elegantem Europæ legere verſibus comprehenſam deſcriptionem, quæ ſic ſonat:

Europæ breuis deſcriptio.

Virginis en caput eſt Hiſpania, Gallia pectus,
Italiæ fines dextera conſtituit.
Anglos atque Scotos & Hybernos Orcadas atque.

Lumi-

Limitibus claudit palma ſiniſtra ſuis.
In medio reſidet fortis Germania ventre,
Occupat vmbilici terra Bohema locum.
Vngarus ad dextrum femur è regione Polonus,
Græcia pes prior eſt, Moſchia poſterior.

IVVENIS. Et ego proprietates populorum quorundam, breui eoque identidem eleganti comprehenſas carmine, legiſſe memini. Carmen id eſt:

Populorum proprietates

Gallus amat celerem pede non remorante puellam
Quæ leuis eſt certis ac magis apta modis
Hiſpano magis illa placet cui forma benigna,
Cui Venus ex oculis ſemper amica videt.
Aſt Italus timidæ lætatur amore puellæ,
Dulcia quæ Veneris prælia ſæpe fugit
Virgo ſed audaci quæ prouocat ore maritum
Illa eſt Germano dulcis amica Viro.

EQVES. Verba mentem produnt. Amatoria pro ætate atque ingenio tuo libenter tractas; ſed vide ne iiſdem temere te immergas. Cæterum quia Europæa vt tractemus, allubeſcit, agite, quarundam in Europa nationum mores, ritus atque ingenia, & ſi quæ ſunt in iiſdem notatu digna, proſequemur idque ordine alphabetico.

SENEX. Europæ prima ab ortu pars eſt Græcia. Inter cæteras ciuitates, quibus Græcia claruit, Athenæ, ciuitas liberalium literarũ & philoſophorum mater fuit, qua nihil habuit tota Græcia clarius atque nobilius. Athenienſibus Draco primum leges conſcripſit, deinde Solon Salaminius multis prioribus ob pœnarum magnitudinem abrogatis: omnibus fere enim legibus, quas Draco tulerat, pœna erat morte definita, vt otij & deſidiæ conuicti capite plecterentur. Qui olera, fructuſve in alieno prædio legiſſet, eodem quo & parricidæ ſupplicio puniretur. Ciuitatem cenſus æſtimatione Solon in ordines diſtribuit. In primo ij fere, quibus quingentorum Medimnum eſſet cenſus. Secundo de in loco, adſcripti, qui trecentis cenſi forent, equoſque alere poſſent. Tertius equorum onere adempto pari caſu æſtimatus. Et ex his fere ordinibus Magiſtratus creari: qui infra fuerunt, Mercenarij nuncupati, concionis habendæ, iudicandique munia, cæteris excluſi magiſtratibus, obibant. Quam ciuilem inſtitutionem Romæ Seruius Tullius magna ex parte imitatus creditur. Concilium in Areopago ex annuis magiſtratibus conſtituit: inſtituti huius Draconem auctorem prodiderunt. Quidam ſecundum hæc, quæ dixi, vt omnem Solon ciuilis diſcordiæ

Athenæ ciuitas Græciæ celeberrima

Solonis ſtatuta.

Conciliũ in Areopago.

Quadringenti viri Areopagitis additi. occaſionem in futurum tolleret: ne temeraria multitudo incertis (vt ſolet flatibus iudicia, turbaret: ex quatuor tribubus, quæ Athenis erant, quadringentos legit viros, ex ſingulis centum: his permiſſum, vt quæ Æreopagitæ decreuiſſent, ſi æqua viſa forent, probarent: ſi minus eſſent placita, pari poteſtate reſcinderent. Atque ita velut duabus anchoris nixus, aduerſus omnes fluctus immobilis manſurus ciuitatis ſtatus videri potuit. Parricidij, affectatæque tyrannidis damnati, ne magiſtratum caperent lege vetuit. Nec hos ſolum ab honorum petitione excluſit, ſed eum quoque qui orta in ciuitate ſeditione neutram partium ſequutus eſſet: mali ciuis eſſe ratus, quum proprias rationes in tuto collocarit, nulla communi cura ſolitudineue teneri. *Lex admiranda pro mulieribus.* Habuit nec minus admirationis illud, vt fœminæ, quæ viros parum ad rem veneream idoneos ſortita eſſent, vnum, quem vellent, ex mariti propinquis impune admitterent. *Dotes pecuniariæ ſublatæ.* Pecuniarias dotes è medio ſuſtulit, vt pauca veſtimenta, & vaſa quædam paruo empta paterna domo ferret mulier: teſtatus coniugij ſocietatem, non pretio, ſed natorum charitate iungi oportere: ne in defunctos vita maledicta iacerentur. Ploratus & lamentationes in alieno funere ſuſtulit. *Luctus in alieno funere inhibitus.* Nec ſubſidia alimentaue vlla filius patri deberet, à quo non arte eſſet aliqua ad vſum vitæ inſtitutus: Qui illegitimo eſſent toro procreati, neu parentes alerent. Enimuero qui meretricio non abſtinet congreſſu, perbelle demonſtrat, ſe non liberorum procreationi, ſed voluptati ſtudere, ſeque ipſum mercede priuat. Mœchum in adulterio deprehenſum impune necari voluit. *Adulterorũ pœna.* Eorum liberos, qui in prælijs occubuiſſent, publice nutriendos erudiendoſque præcepit, quo ſane animati ſinguli fortiter ac ſtrenue in bellis dimicarent. *Militum liberi.* Voluit etiam vt & is, qui oculos in bello amiſiſſet, publice aleretur. Præclare & illud ſtatuit, curatorem cum pupillorum matre non inhabitare. Cauit ne is fieret curator, ad quem poſt pupillorum obitum ſubſtantia ſpectaret. *Legum tabulæ Axiones dictæ.* Has earumque plures leges Solon ligneis tabulis, quas Axionas dixere, notatas, in centum annos ſanciendas curauit, haud ignarus fore, vt his ciuitas longa temporis intercapedine aſſueta, in perpetuum deinceps ſanciret.

EQVES. Satius eſt integras nationes, quam vnam quandam earum particulam recenſere. Et facerem ego initium ab ipſa Bohemia, *Bohemia.* ſed quia Bohemorum ritus atque inſtituta publice extant, nolo in illorum enumeratione terere tempus. Hoc dũtaxat breuiter dico: Bohemiæ ſolum hordei & tritici ferax, pabulo, pecore, atque piſcibus abundat,

undat, olei ſterilis eſt, quemadmodum Germania ipſa: vino nō omnino caret, ceruiſiam optimam facit, quæ Vieunam vſque Auſtriæ vehitur. Boëmi Germanis licet vndique circumſepti ſint, Germanica tamen lingua non loquuntur, in templis plebes ſermone Teutonico docentur, id cæmiteriis Boëmico. Quod ad religionem illorum attinet, quum diuerſimoda illa ſit, nil certi de ea ſtatuam.

Ceruiſia Boëmica.

Sermo.

SENEX. Bauaria nunc in ordine ſequitur alphabetico. Sed & eiuſdem generis mores viuendique inſtituta publice extant. Itaque & ipſe ero in ijs recenſendis breuior. Cæterum Bauaria viribus præterquam vbi auſtralior eſt, non ſentitur. Nemoroſa multum eſt, & montuoſa. Sues glandibus, ſylueſtribuſue pomis, credo, tanta copia nutrit, vt veluti Hungaria boues, ita hæc ſues cæteris Europæ nationibus large ſuppeditet. Eſt gens adeo ſuillis & ipſa moribus famoſa, vt cæteris Germanis comparata Barbari nomen ipſi optime conuenire videtur. Veſtitu vt plurimum blauo colore amicitur, ocreis libentius, quam caligis, calciatur.

EQVES. Baioariæ, ſiue Bauariæ ad Auſtriam contigua eſt partim Carinthia, partim Styria. Eſt Carinthia montana regio Carnis ad ortum, Styriæ ad occaſum ac meridiem iuncta, Alpes Italas & forum Iulij contingit: multæ in ea valles colleſque feraces tritici, multi lacus, multi amnes, quorum præcipuus Drauus, qui per Styriam ac Pannoniam in Danubium fertur haud inferior Sauo. Imperium Auſtriæ principes obtinent, & Archiducem appellant, cui ea regio paret.

Carinthia.

Drauus amnis.

Sauus amnis

Quoties nouus princeps Reipublicæ gubernationem iniit, ſolennitatem nuſquam alibi auditam obſeruant. Non longe ab opido S. Viti in valle ſpatioſa dirutæ ciuitatis veſtigia viſuntur: nomen loci vetuſtas perdidit: nec procul hinc in patentibus pratis erectus lapis marmoreus eſt, quem, quum dux creandus eſt, ruſticus quidam, cui per ſtirpis ſuæ ſucceſſionem hæreditariò id officium debetur, aſcendit, ad dextram bouem habens fœtam, nigri coloris: ad læuam equa illi ſiſtitur ſtrigoſa, macieque inſigni, frequens circa populus, agreſtiumque turba ingens: dux inde futurus ex aduerſo mouet purpuratorum multitudine ſeptus: præcedunt principatus ſigna, omneſque in toto comitatu egregie culti, præter futurum ducem. Is agreſti habitu, pileo tectus, calceos & paſtoralem baculum gerens, paſtorem agit magis, quam principem.

Feſtiuitas in noui ducis acceptione miranda.

Princeps in agreſti habitu.

Hunc venientem intuitus qui lapidem obtinet, Illyrica voce (ſunt enim Carinthij Illyrij: hoc eſt,

Carinthiorum lingua. Sclauoni) quis eſt hic, exclamat, qui tam ſuperbe incedit? Reſpondet circumfuſa multitudo, principem regionis aduentare. Tum ille, Iuſtus ne iudex? ſalutem patriæ quærens? liberæ conditionis? dignuſne honore eſt? Chriſtianæ pietatis cultor ac defenſor? clamatur: eſt quidem & erit. Rurſus idem, quæro quo me iure hac à ſede dimouebit? Reſpondet ducalis aulæ magiſter, Sexaginta denarijs hic abs te locus emitur: iumenta hæc tua erunt, ad bouem & equam manum intendens. Veſtimenta, quæ dux exuet, habebis, eriſque tu cum domo tua tota liber à tributo. Quibus dictis, ruſticus malam Principis percutit, alapa leniter incuſſa, iubetque æquum iudicem eſſe: præmioque abducto, loco cedit. Tum lapidem Dux occupat, nudum gladium vibrans ad omnem ſe partem vertit: populum affatur, polliceturque ſe æquum iudicem futurum. Ferunt & aquam agreſti pileo oblatam potare, in futuræ ſobrietatis argumentum. Deinde ad Solemnenſem eccleſiam, *Solemnenſis eccleſia.* quæ in proximo tumulo ſanctæ Mariæ vocabulum & nomen habet, perductus, ſacrificijs intereſt. Quibus peractis, humili veſte, qua adhuc indutus eſt, depoſita, paludamentum induit; ſplendideque cum proceribus ſuis conuiuatur. Poſtremo in pratum reuertitur pro tribunali ſedens, ius dicit, & feuda confert. Hic honos Principis inueſtiendi ruſticis datus eſt, quod illi primum in ea terra Chriſti fidem accepere, nobilibus & Principibus in errore aduſque Caroli magni tempora permanentibus, quando & ipſi baptiſmati admoti ſunt. *Honos principem inueniendi ruſticu datus.* Fuit Carinthiæ Dux venator Imperij, vnde ad eum lites & contentiones venatorum omnium deferebantur: vocatus in iudicio coram Imperatore querulantibus non niſi Sclauonica lingua reſpondebat. *Carinthiæ Dux imperij venator.* Eſt & alia huius prouinciæ conſuetudo in opido Klagen furibus duriſſima: Si quis in furti ſuſpicionem venerit, eueſtigio ſuſpenditur: poſtridie de ſuſpicione iudicant: ſi ſontem inueniunt, pendere ſinunt, donec per partes ad terram defluat cadauer. *Conſuetudo furib. grauis.* Inſons repertus ſepelitur, exſequiæque ex publico perſoluuntur. Penulis natiui velleris haud fucati Carinthij teguntur, vulgoque capita pileo obmuniunt: ſermone loquuntur Sclauonico.

SENEX. Sed neque Creta Inſula Cretenſiumque celebrari mores à nobis debent prætermitti. Cretam itaq; quod attinet; Nullum in Creta animal noxium eſt. *In Creta nullum animal noxium.* Serpens ibi nullus: nulla noctua: & ſi inuehatur, ſtatim morit. Capris copioſa. Ceruis eget. Optimi vini feraciſſima. Herbã producit, quæ diptamos dicitur: & Aluno ſam, quæ morſa diu-

diuturnam famem prohibet. Sfalágos etiam venenatos gignit, & lapidem, qui Idæus dactylus dicitur. Cureta olim vocabatur ab habitantibus Curetibus, & per ſyncopam Creta. Alij dicunt Cretam dictam à Crete quodam Iouis filio Curetũ Rege. Alij à Crete Nympha Heſperidis filia. Incultum hominum genus à principio habuit: Rhadamanthus ad manſuetiores vitę ritus perduxit: Sequutus inde Minos, qui æquitate & iuſtitia adhuc magis excoluit. Plato auctor eſt, Lacedæmonios, & alias vetuſtiſſimas Græciæ ciuitates hic ſibi leges & inſtituta quæſiuiſſe. Optimum gentis ſtatum euertit primò tyrannicus dominatus, mox & Cilicum latrocinia. Fuit gens ab initio libertatis ſtudioſa, ea ſe poſſidere arbitrati, quæ nõ eſſent tyrannorũ libidinibus expoſita. Fuit & cõcordiæ perpetua cura, quæ ſeditioni diuitiarum auaritiæ alumnæ inimica eſt: modicè proinde antiquitus, frugaliterque vitam agitari. Frequentabant pueri conuentus quos greges nominabant. Adultæ ætatis viri publica inter ſe conuiuia celebrare, arma Reipublicæ cauſa tractare, ab ineunte ætate corpora laboribus exercere. Maris æſtus & frigora perpeti accliues ſemitas ſaltuſque curſu ſuperare, in gymnaſiis pugnas ciere, arcub⁹ & ſagittis plurimũ vti, in armis ſaltationem, quã pyrrichen nominãt, vulgo celebrare; flexu corporis hæc ſaltatio fiebat, quo plagæ telaque euitarentur. Sagulum & militarem calceum ſibi inducere, arma pretioſiſſimum munus credere: tantum adhæc rei maritimæ ſtudium, vt in prouerbium abierit, ſi quis quæ noſſet ſe neſcire diſſimularet, Cretes (diceretur) pelagus neſcit. Inter æquales connubia conciliari, ex omnique iuuenum cœtu virginibus ſibi ſponſos optare eius erat, nec pri⁹ paterna domo abduci moris erat, quam ad domeſticam adminiſtrationem eſſent idoneæ. Dotis magnitudo fuit, ſi frater aderat, patrimonij dimidium. Pueri ex legibus literas, & cantilenas, & muſicæ artis modulamina quædam diſcebãt. Ad virorum Syſſitia perducti humi vilibus tecti amiculis ſedebant, illiſque pugnam cientibus miniſtrare puerorum validiſſimus, maximeque elatus ductabat gregem. Pro viribus ſinguli plurimos aggregabant æquales, ad venationes egredi, curſu exercebãtur corpora, ſtatis diebus puerorũ cœtus ad tibiæ & lyræ cantum inter ſe committi, vt in re bellica, conſueuere. Huius gentis etiam fuiſſe quidam memorant lætos dies candido notare calculo, triſtes atque moleſtos atro: etſi plures hunc morem ad Thraces referunt.

Mores Cretenſium. *Saltatio pyrricha.* *Matrimonia.* *Dos.* *Muſica ſtudium.* *Dies lapillo ſignare.*

EQVES. Franconiam nunc ordo tangit. Eſtque Francorum regio latis ac denſiſſimis ſyluis aſperiſque montibus vſque adeo vndiq; clauſa, vt difficulter adiri poſſit: intus

plana eſt, innumeris turritis oppidis, caſtris & pagis exculta. Sylua, quæ Hercynia dicitur, editiſſimis iugis per circuitum obfirmans eam veluti natiuo muro ambit. Moganus nauigabile flumē, Sala, & Thuberus, Neccharus etiam perlabuntur. Valles, in quib⁹ decurrunt, amplæ, & profundæ ſunt, earumque vtraque latera vitibus conſita vinum producũt, quod ob ſui præſtantiam ad remotiſſimas gentes tranſportatur. Terra præterquam ea pars, quę Norica hodie vocatur, atq; vbi fluminibus vicinior eſt, arenoſa nimiũ non eſt, vt Aeneas Syluius ſcriptum reliquit, nec nimium etiam ſilicoſa. Fertilis omnis eſt. Hordeum, triticum, & omne frumentum, legumenq; ſatum multo cum fœnore, reddit. Nulla germaniæ prouincia plures & maiores cæpas gignit, nulla grandiora rapa, & caulis capita. Adde Glycyrhiſam radicem melleam, quæ in Babemburgenſi agro tanta copia effoditur, vt ingentes currus ea onerari videas. Eſt etiam vndecumque terra cultiſſimis pomariis & pratis amœna. Hominibus, omnigeniſque pecoribus abundans. Eſt piſcatio, propter fluuiorũ copiam, multa. Maior tamen venatio: feræ in nemoribus à principibus fouẽtur: aperta ſtabula hæ plurima habent, in quibus hyemis tẽpore, pabulum, & interdum ſal accipiunt, ſeque à cœli inclemẽtia tutantur: eis captare, aut ſaltem perſe-

Hercynia ſylua Franconiã claudit.

Vinum Frãconicum.

Fertilitas Franconiæ.

Liquiritia Glycyrhiſa.

qui, priuatorum nemini cõceſſum. Principes, quibus Franconia ſubiecta eſt, quinque ſunt, Burggrauius Nornbergenſis, Comes Palatinus Rheni, duo ſeculares: Babemburgẽſis, Herbipolenſis, Moguntinenſis, tres Eccleſiaſtici. Herbipolenſis tertiæ ducatũ habet: quare dum ſacris operatur, in altari denudatũ gladiũ habet, atq; vexillum. In die quo Metropolim primum, cathedramq; Epiſcopalem poſſidere intendit, pro more ciuitatem ipſam ingenti ac exquiſitiſſimo equitatu accedit: in quã admiſſ⁹, intra portas de equo deſcẽdit, & paludamento omni abiecto, griſeam & vilem tunicam induit, funeq; præcingit, atq; in ea palmis & capite nudus humiliter in baſilicam ad patres cõcanonicos aſcẽdit: quib. fidelitate ꝓmiſſa in cathedram ſublimatur. Ducitur tamen prius ad Epiſcopi cuiuſdã ſtatuam, ibiq; ſetiò admonetur, vt talẽ agere velit, qualis ille fuerit, q ex humili & abiecto ſcholaſticulo per diſcordiam contẽptumq; elect⁹ Eccleſiæ ſtatum optime adminiſtrauit. Huic cathedræ nullus ex Ducibus, aut etiam Comitibus progenitus præficitur, ſed qui ex inferiori nobiliũ ordine ſint. Nõ quod principem ſuſtentare nõ poſſit, quum opulenta & potẽs ſatis exſiſtat, verum vt Epiſcopatus apud eos permaneat, ex quib⁹ maior Canonicorum pars conſtet. Eſt etiam Herbipolenſis Eccleſiæ præpoſitura inſignis: quã quoties nouus poſ-

Franconiæ Principes.

Epiſcopus Herbipolẽſis Frãconiæ dux.

Epiſcopatũ Herbipolenſem quis adminiſtret.

Præpoſitura Herbipolenſis.

ſeſſor intrat, debet ille in multis per regionem pagis, ob decimam, quã in his habet, referta vino ingentia dolia in publicũ ſtatuere, & ſcutellas aliquot imponere, ex quib⁹ quicumque velit, bibere poſſit. Fraconiæ gens à cæteris Germanis & habitu & corpore nihil differt: laboris patientiſſima eſt: in vinetis colẽdis, tam viri, quam mulieres exercẽtur: nemini otium datur. Vinum, quod inde percipit, ob domeſticã egeſtatem vulgo vendit, ipſa aquam bibit. Ceruiſiam contemnit, nec facile ad ſe deferri permittit. Inſolens gens eſt, ſuperbaq; multum ſibi arrogãs, multum præſumens, alias nationes contemnit: cauillisq; adeo plerumque proſequitur, vt qui cum ea morantur, niſi lingua prodat, patriam ſuam non dicant. Eos, qui hæc patienter ferunt, facilè ſecum commorari patitur, & veluti per hoc approbatos coniugiis admittit: vnde multi Sueui, multi Bauari, Haſſique in Franconia habitant. Duo tamen nõ mediocria vitiã ſunt, quibus plus ſatis hodie gens illa indulget, blaſphemia videlicet, & latrocinium, illud decorum, hoc honeſtum reputans, & ſibi ex longo vſu licitum. Multos mirandos ritus obſeruat, quos ideo referre volo, ne quæ de externis ſcribuntur, inanes fabulæ æſtimentur. In trium quintarum feriarum noctibus, quæ proxime Domini noſtri natalem præcedunt, vtriuſque ſexus pueri domeſticatim eunt ianuas pulſitantes, cantantesque, futurum Saluatoris exortum tum annunciant, & ſalubrem annum: vnde ab his qui in ædib⁹ ſunt, pyra, poma, nuces & nummos etiam percipiũt. Quo Chriſti Ieſu natalem gaudio in templis non clerus ſolum, ſed omnis populus excipiat, ex hoc attendi poteſt, quod pueruli ſtatuncula in altari collocata, quæ nuper æditum repræſentet, iuuenes cum puellis per circuitum tripudiantes choreas agant, ſeniores cantent, more haud multum ab eo quidem diuerſo, quo Corybantes olim in Idæ mõtis antro circa Iouem vagientem exſultaſſe fabulãtur. Calendis Ianuarij, quo tempore & annus, & omnis computatio noſtra inchoatur, cognatus cognatum, amicus amicum accedunt, & conſertis manibus inuicem in nouum annum proſperitatem imprecãtur, diemque illum feſtiua congratulatione & compotatione deducunt. Tunc etiam ex auita conſuetudine vltro citroq; munera mittũtur, quæ à Saturnalibus, quæ eo tempore celebrantur à Romanis, Saturnalitia, à Græcis Apophoteta dicta ſunt. In Epiphania Domini ſingulę familiæ ex melle, farina, addito zinzibere, & pipere, libum conficiunt, & regem ſibi legunt hoc modo: Libum materfamilias facit, cui abſque conſideratione inter ſubigendum denarium vnum immittit, poſtea amoto igne ſupra calidũ focum

Francones à cæteris Germanis nihil differunt.

Ceruiſia cõtemnitur à Franconib⁹.

In Franconia multi aduenæ.

Duobus vitiis Francones obnoxij.

Mores in quintis feriis ante Chriſti natalem.

Mos in Chriſti natali.

Corybantes circa Iouẽ.

In Epiphania Domini domeſtica, tim rex eligitur.

cum

cum illud torret, toſtum in tot partes frangit, quot homines familia habet: demum diſtribuit, cuique partem vnam tribuens. Adſignantur etiam Chriſto, beatæque virgini, & tribus Magis ſuæ partes, quæ loco eleemoſynæ elargiũtur.

Quomodo rex eligatur.

In cuius autem portione denarius repertus fuerit, hic rex ab omnibus ſalutatus, in ſedem locatur, & ter in altum cũ iubilo eleuatur: ipſe in dextra cretam habet, qua toties ſignum Crucis ſupra in triclinij laquearijs delineat: quę Cruces ꝗ obſtare plurimis malis credantur, in multa obſeruatione habentur.

Aedes ſubfumigãtur.

Duodecim illis noctibus, quæ Chriſti natalem Epiphaniamque intercurrunt, nulla fere per Franconiam domus eſt, quæ ſaltem inhabitetur, quæ thure aut aliqua alia redolenti materia aduerſus dæmonum, incãtatricumque inſidias nõ ſubfumigetur.

Carniſpriuij dies.

Quo item modo tres præcedentes quadrageſimale ieiunium dies peragat, dicere opus non erit, ſi cognoſcatur, qua populari, qua ſpontanea inſania cætera Germania, à qua & Franconia minime deſciſcit, tunc viuat. Comedit enim & bibit, ſeque ludo iocoque omnimodo adeo dedit, quaſi vſui nunquam veniant; quaſi cras moritura, hodie prius omnium rerum ſatietatem capere velit.

Germani annuatim inſaniunt.

Noui aliquid ſpectaculi quiſque excogitat, quo mentes & oculos omnium delectet, admirationeque detineat. Atque ne pudor obſtet, qui ſe ludicro illi committunt, facies laruis obducunt, ſexum & ætatem mentientes, viri mulierum veſtimenta, mulieres virorum induunt. Quidam ſatyros, aut malos dæmones potius repræſentare volentes, minio ſe, aut attramento tingunt, habituq; nefando deturpant, alij nudi diſcurrentes Lupercos agunt, à quibus ego annuum iſtum delirandi morem ad nos defluxiſſe exiſtimo.

Lupercalia.

Non enim multum diuerſus eſt à Lupercalibus ſacris, quæ Lycæo Pani in menſe Februario olim à nobiliſſimis Romanorum iuuenibus celebrabantur: qui nudi facieſque ſanguine fœdati, per vrbem vagantes obuios loris cædebant, quos noſtri ſaccis cinere refertis percutiunt.

Mos in cinerum die.

In die cinerum mirum eſt, quod in pleriſque locis agitur. Virgines quotquot per annũ choream frequentauerunt, à iuuenibus congregantur, & aratro pro equis aduectæ, cum tibicine, qui ſuper illud modulans ſedet, in fluuium aut lacum trahuntur.

Mos in medio quadrageſima.

In medio quadrageſimæ, iuuentus ex ſtramine imaginem cõtexit, quæ mortem ipſam (quemadmodum depingitur) imitetur: inde haſtã ſuſpenſam in vicinos pagos vociferans portat. Ab aliquibus perhumane ſuſcipitur, & lacte, piſcis, ſiccatiſque pyris, (quibus tum vulgo veſci ſolemus) refecta, domum remittitur: à cæteris, quia malæ res (vt puta mortis) prænuncia ſit, humanitatis nihil percipit.

pit: ſed armis, & ignominia etiam adfecta, à finibus repellitur. Eodem tempore & talis mos obſeruatur: Intexitur ſtramine vetus vna lignea rota, atque à maggo iuuenum cœtu in editiorem montem geſtata, poſt varios luſus, quos in illius vertice illi toto die, niſi frigus impediat, celebrant, circiter veſpetam incenditur, & ita flammans in ſubiectam vallem ab alto rotatur: ſtupendum certe ſpectaculum præbet, vt plerique, qui prius non viderint, Solem putant, aut lunam cœlo decidere. In Paſchate vulgo placentæ pinſuntur, quarum vna, interdum duæ, adoleſcentibus vna, puellis altera, à ditiori aliquo proponuntur: pro quibus in prato, vbi ante noctem ingens hominum cōcurſus fit, quique agiles pedeſtres currant. Ad parochialium templorum dedicationes, quæ Chriſtiano inſtituto quotannis feſtiuo gaudio, & comeſſatione à totis pagis peraguntur, adoleſcentes ex aliis locis non templa, ſed choreas viſitaturi, cum armis & tympano, veluti ad pugnam, quam & ſæpius aut inueniunt, aut ſuſcitant, turmatim eunt, redeuntque, capitibus ob id multoties cruentatis. Tribus illis diebus, quibus maiores Litaniæ paſſim peraguntur, in plurimis Frāconiæ locis multæ cruces conueniunt. In ſacriſque ædibus non ſimul & vnam melodiam, ſed ſingulæ ſingulam per choros ſeparatim canunt: & puellæ & adoleſcentes mundiori quiq; habitu amicti frondentibus ſertis caput coronati omneis, & ſcipionib⁹ ſalignis inſtructi. Stant ſacerdotes diligenter ſingularū cantus attendētes, & quamcumq; ſuauius cantare cognoſcunt, illi ex veteri more aliquot vini conchos dari adiudicant. Pentecoſtes tempore vbique ferè hoc agitur: Conueniunt quicumque equos habent, aut mutuare poſſunt, & cum Hoſtia conſecrata, quam ſacerdotum vnus, etiam equo inſidens, collo in burſa ſuſpenſum defert, totius agri ſui limites obequitant, cātantes, ſupplicanteſque, vt ſegetes Deus ab omni cœli iniuria & calamitate conſeruare velit. In die ſancti Vrbani vinitores in foro, aut alio publico loco, menſam locant, mappis, fronde, & plurimis redolentibus herbis inſtruunt, deſuper ſtatunculam B. Pontificis ſtatuentes: quam, ſi dies ſerena eſt, largo vino coronant, & omni honore proſequuntur: ſi vero pluuialis, id non ſolum non faciunt, ſed luto proiiciunt, & aqua immolica perfundunt. Perſuaſum enim habent, illius diei tempeſtate auſpicioque vinum tunc floreſcens & augmentari & diminui. In nocte ſancti Ioannis Baptiſtæ in plurimis per Germaniam vicis & oppidis publici ignes parantur, ad quem vtriuſque ſexus iuuenes & ſenes cōuenientes, choreas cum cantu agunt: multas etiam ſuper-

In Paſchate ritus.

In Eccleſiarum dedicationibus ritus.

Rit⁹ in maioribus ſupplicationibus.

Pentecoſtes tempore ritus.

Ritus in die ſancti Vrbani.

In vigilia S. Ioannis ritus varij.

ſuper-

ſuperſtitiones obſeruant. Artemiſia & verbena coronati in manibus flores, qui à ſimilitudine calcaris militaria calcaria dicuntur, geſtantes, ignem, niſi per eos, non aſpiciunt: oculos id per totum annum à languoribus conſeruare credunt. Qui abire intendit, ille herbas, quibus vt dixi, præcinctus fuit, igni inijcit, dicens, abeat, & comburatur cum his omne infortunium meum. Ante arcem in monte, qui vrbi Herbipoli ſupereminet, ab Epiſcopi aulicis etiam ignis fit, cui orbiculi quidam lignei perforati imponuntur, qui quum inflammantur, flexilibus virgis præfixi, arte & vi in aërem ſupra Moganum amnem excutiuntur: Draconem igneum volare putant, qui prius non viderunt. Fiunt eodem tempore figulino opere ollæ quædam, ita multis foraminibus diſciſſæ perforatæque, vt partes vix ſibi cohæreant: puellæ illas emunt, & purpurearum roſarum folijs obductas impoſito lumine ex domorum culminibus pro lucerna ſuſpendunt. Tunc temporis adoleſcentes pagis totas pinos inferunt: quarum inferioribus ramis abſectis, ſuperiores ſpeculis, vitris, ſertis, bracteoliſque ſplendicātibus exornant, arborem terræ infixam per totam æſtatem ita ſtare ſinunt. Autumni tempore quum vuę iam maturæ ſunt, non antea vindemiare cuiquam cōceſſum, quàm domini, quibus decima debetur, hoc permiſerint: non enim ille hodie, cras alter legit, ſed quotquot in vno colle vina habent, vno, vel duobus diebus omnes omnia abſcerpunt: indicitur hodie in illo, cras in altero legendum: decimæ in vallibus ſub vinetis excipiuntur. Qui tardius, quam iuſſum eſt, vindemiare volunt, non ſolum cum licentia facere debent, ſed etiam ſuis expenſis decimam in domini torcular inferre. Herbipoli cuique vindemianti ob exhibitam credo in decimando infidelitatem iuuenis adijcitur, qui diligenter notet, & iubeat etiam, vt quodque decimum vas lectum abſque fraude domino ſuo tribuatur. Finita vindemia hi pueri omnes in campo conuenientes ſinguli ſe de ſtramine, quod ad hoc adlectum eſt, vna, aut duabus facibus armant, quibus ſub noctem incenſis cantantes ciuitatem ingrediuntur. Hoc more autumnum ſe expurgare, atque exurere dicunt. Martini & Nicolai ſanctorum præſulum vtrorumque dies miro gaudio, mira feſtiuitate Franconiæ gēs colit, diuerſimodi tamen, in ſacris ædibus & altari hæc, illa in menſa & popinis. Nemo per totam regionem tanta paupertate premitur, nemo tanta tenacitate tenetur, qui in feſto ſancti Martini non altili aliquo, vel ſaltem ſuillo vitulinoue viſcere aſſato veſcatur, qui vino non remiſſius indulgeat. Quilibet enim tunc noua vina ſua, à quibus ſe adhuc

Ollæ cum luminibus ſuſpenduntur.

Arbores frōdentes pagis inuehūtur.

Vindemiandi ritus.

In feſtis ſanctorū Martini & Nicolai ritus.

In feſto ſancti Martini.

hac vſque abſtinuit, deguſtat, & dat deguſtare, omni. Erogantur in Herbipoli & pleriſque locis hac etiam die pauperibus vina. Spectacula publica eduntur, duo aut plures frendentes apri circo includuntur: vt mutuò ſe exertis dentibus viſceratim diſſecent: quorum carnes vbi vulnerati conciderint, partim plebi, partim poteſtatibus diuiduntur. In die vero ſancti Nicolai adoleſcentes, qui diſciplinarū gratia ſcholas frequentant, inter ſe tres eligunt: vnum, qui epiſcopum: duos, qui diaconos agant: is ipſa die in ſacram ædem ſolenniter à ſcholaſtico cœtu introductus, diuinis officiis infulatus præſidet: quibus finitis, cum electis domeſticatim cantādo nummos colligit, eleemoſinam eſſe negant, ſed epiſcopi ſubſidium. Vigiliam diei pueri à parentibus ieiunare eo modo inuitantur, quod perſuaſum habeant, ea munuſcula, quæ noctu ipſis in calceos ſub menſam ad hoc locatos imponuntur, ſe à largiſſimo præſule Nicolao percipere: vnde tanto deſiderio plerique ieiunant, vt quia eorum ſanitati timeatur, ad cibum cōpellendi ſint. Tales Francorum famoſi mores ſunt, tales annui ritus.

In die ſancti Nicolai.

Pueri ieiunant.

SENEX. Germanorum quoq; multa nobis habenda eſſet mentio, niſi moderni rerum Germanicarū ſcriptores extarét publicè. Aliquid tamen de illis, qualis nimirum etiā priſcus eorum fuerit ſtatus & conditio dicemus. Et quia Saxones maxima ferè Germanorum turba eſt, de iis vnà ſimul obiter dicemus. Atque ad Germanos quidem in genere, quod attinet. De illis Tacitus olim hæc prodidit: Magna inquit, Germanorum corpora & tantum ad impetum valida, labor atque operum non eadem patientia, minimeque ſitim & æſtum tolerant: frigus tamen facile ferunt: & vt Mela ſcribit, ad pubertatem vſque nudi vagantur: Galenus vero miratur, in frigidam à parentibus mergi ſimul ac nati ſunt.

Germania.

EQVES. Germani ab antiquo omnia impetu aggrediuntur, diſciplinam tamen militarem tenent, vt nulla hodie natio, ac armis inuicti ſunt, haud perinde ad imperandum idonei, vt qui ſatis habent irruere, agere, deuaſtare, proſternere, diripere, conculcare, exurere, poſt largiſſime inuitant ſe haud ſolliciti de conſeruandis, quæ rapuerunt, oppidis, & vrbibus. Et parare quidem imperia volunt, ac poſſunt, retinere & tueri non curant, ita vincere ſciunt, victoria frui neſciunt.

SENEX. Germanorum turba eſt promiſcua & varia: Armati illi, inermes alij, hi accelerantes, quidā haud ita feſtināter, vnum omnes ad locū conueniunt, vbi alios ſedere videas ſecure crapulantes, quoſdā grauiter conſultantes nonnullos per vices, aut promiſcue etiam agere hæc.

EQVES. Hinc ferè eſt, quod Romani Germanorũ gentem; non minus quam Gallos, & extra Italiã reliquas nationes, pro barbaris habẽt. Verumenimvero quod ad morum bonitatem pertinet, & ciuilitatis opinionem, virtutiſque ſtudia, & animorum conſtantiam, ac integritatem, cultiſſima eſt natio, contra Romani iſti extrema barbarie deformati. Sunt enim mollitie primum, & luxu perditi, deinde leuitas eſt, & inconſtantia pluſquam muliebris, fides rara, fraus, & malitia, quæ vinci non poſſint.

SENEX. Placet de Germanis quæ narras, atque vtinam ebrij non eſſent, qui tales alioqui ſunt.

EQVES. At illi, niſi ebrij, pugnare ſe non poſſe exiſtimant. Hinc in compotationibus ſuis mutuis, decem & viginti Italos, Turcas, &c. inuicem propinant.

SENEX. Bibuntne etiã ibi Principes?

EQVES. Niſi in hunc etiam ordinem peruaſiſſet corruptio, actũ erat de tota iam ebriorum factione, hi partes has tuentur exemplo ſui, habentque ſuffragantes ſibi magna vi Saxones, in totum ebrietati deditos, ſoli enim nondum quicquam de veteri inſtituto remiſerunt, ſoli pertinaciter moribus reſiſtunt, & patrium defendunt morem. *Saxones bibaces.*

SENEX. Qui vero ſunt iſti Saxones, illorum nimirum nimis vetuſta eſt origo.

EQVES. Erat Saxonica gens ab initio inquieta nimis, finitimorum ſedibus infeſta, domi tamen pacata, & ciuium vtilitatibus placida benignitate conſulens. Generis quoque ac nobilitatis ſuæ prouidẽtiſſimam curam habens, nec facile vllis aliarum gentium, vel ſibi inferiorum, connubiis infecta, proprium, ſyncerum, & tantum ſui ſimilem populum facere conata. Vnde habitus quoque, ac corporum magnitudo, comarum color tanquam in tanto numero hominum idem penè omnibus. Quatuor in genere differentias habuit, nobilium, liberorum, libertorum, atque ſeruorũ. *Differentia Saxonum quatuor.* Et id legibus cautum erat, ne vlla pars ſuæ ſortis oblita terminos in copulandis cõiugiis tranſgrediatur. Sed nobilis nobilem ducat vxorem, & liber liberam, libertus coniungatur libertę, & ſeruus ancillæ. Quicunque vero contra faciat, cum vitæ ſuæ id damno luat. Legibus ad malefactorum vindictam optimis vtebatur. *Leges quædam Saxonum.* Multa quoque vtilia, & ſecundum naturæ legem honeſta, in morum ꝓbitate habere ſtuduit, quæ ei ad veram beatitudinem promerẽdam ſuffeciſſent, ſi aliqualem creatoris ſui Dei optimi maxim notitiam habuiſſet. *Idololatria Saxones dediti.* Frondoſis arboribus, fontibuſque venerationem exhibuit, & trunco ligneo non paruæ magnitudinis ſub diuo erecto, quẽ patria lingua Irminſaul, Latine vniuerſalem columnam dixit, quaſi

omnia

Mercurius à Saxonibus obſeruatus.

omnia ſuſtinentem. Coluit etiam Mercurium, cui certis diebus humanis hoſtijs litabat. Deos ſuos neque templis includere, neque humanæ ſpeciei aſſimilare pro diuinitatis magnitudine & dignitate licitum arbitrata eſt. His lucos & nemora conſecrauit, ab illorumque nominibus dixit: ſecreta non niſi cum maxima reuerentia contemplabantur.

Auſpicia & ſortes.

Auſpicia & ſortes gens illa quam maxime obſeruabat. Virgam frugiferæ arbori deciſam in ſurculos amputabat, eoſque notis quibuſdam diſcretos ſuper candidam veſtem temere, ac fortuito ſpargebat. Mox ſi publica conſultatio fuit, ſacerdos populi, ſi priuata, ipſe paterfamilias precatus deos, cælumque ſuſpiciens, ter ſingulos tulit, ſublatiſque ſecundum impreſſam antea notam interpretatus eſt: & ſi prohibuerunt, nulla de eadem re ipſa die conſultatio erat. Si permiſſum eſt, euentuum adhuc fides exigebatur. Auium voces, volatuſque interrogare proprium gentis erat. Equorum quoque præſagia ac monitus experiri:

Equorū præſagia & monitus experiebantur Saxones.

publice alebantur iiſdem in nemoribus ac lucis candidi, & nullo mortali opere contacti, quos preſſos ſacro curru ſacerdos, vel Rex, princepsue ciuitatis comitabantur, atque hinnitus ac fremitus obſeruabant: nec vlli auſpicio maior fides adhibebatur, non ſolum apud plebem, ſed apud proceres etiam atque ſacerdotes. Eos enim miniſtros deorum eſſe, & diuinorum conſiliorum conſcios credebant.

Alia auſpiciorum captatio.

Erat & alia auſpiciorum obſeruatio genti in vſu, quâ grauium bellorum euentus explorabant: eius videlicet gentis, cum qua bellandum fuit, captiuum quemque interceptum compellendo cum electo popularium ſuorum decertare: victoria huius vel illius pro præiudicio accipiebatur. Carolus Magnus diutino bello gentem omni impietate abiecta, Chriſtianam fidem aſſumere coëgit.

IVVENIS. Eſt ager Saxonicus rerum omnium, præterquam vini, ferax, argenti, atque æris foſſiones multas habet. Ad Goslariam & pleriſque alijs locis ſalem ex fontium quorumdam aquis albiſſimum coquunt, & vectigal ingens percipiunt. Hordeum & triticum ſerunt, ex quibus non ſolum candidiſſimum panem efficiunt, ſed etiam ob vini caritatem potum Ceruiſiam, quæ adeo ſitienter & immodeſte ab ipſis bibitur, vt ibi in ſympoſiis, conuiuijſque pocillatores nec hyalis nec cantharis ſat infundere poſſint, repletum mulctrale apponant, & ſcutella iniecta hortentur quemque pro libito potare. Dictu incredibile eſt, quantum huius liquoris in ſe gens iſta capiat, quantum mutuo ad bibendum cogant & hortentur: Inimicus arbitratur,

Sal Saxonicum.

Ceruiſia Saxonib. potus.

Saxonum potandi immodeſtia.

tratur, qui ſæpius inuitatus, non prætenta cauſa, compotare recuſat: cæde nonnunquam, & multo ſanguine hoc dedecus expiatur. *Saxonum cibus.* Cibatu Saxones duro & inconcinno vtuntur, lardum, aridæ, hilæ, cæpæ crudæ, butyrum ſalſum & nondum adhuc liquatum peculiaris genti cibus. Dominicis diebus in pleriſque locis coquunt, quo per hebdomadem veſcantur. *Infantum nutrimenta* Infantes non, vt apud nos, pulte, quæ farina & lacte concinnatur, nutriuntur, verum ſolidiori cibo qui bene maſticatus à nutricibus, ad deglutiendum tenello ori immittitur: vnde Saxones tali cibo in tenera ætate aſſueti, & tolerantiores redduntur, & validiores.

SENEX. Verum cum tantopere ſeſe ingurgitent, & quidem non vino, ſed cereuiſia, eſtne etiam huic hominum generi ſenſus, vt alijs, habentne etiam, vt alij, rationem?

EQVES. Imo & rationem habent & ſenſibus vigent, vt alij. Nam ciuitatem ſuam nemo rectius gubernant, tutius nemo viuit, vel aliorum iniurias felicius arcet, bello autem ſunt inuicti.

SENEX. Corporibus autem vt ſunt homines?

EQVES. Ita vegetis, & bene habitis, vt extra nulli. Quinetiam medicos, hi fere ignorant, per raro ægrotantes alioqui.

SENEX. Interim ius quomodo dicunt?

EQVES. Suo quodam antiquitus repetito more, conſulte, vt minus iniuriæ nuſquam facile inuenias, ita proſcriptis legibus conſueti mores ſunt.

SENEX. Mirum eſt, quod dicis ebrietate meliores fieri hos.

EQVES. Hoc non dico quidem, illud vero ipſa oſtendit res, multa melius facere eos, quam vllos alios ſobrios, multa prudentius diſponere. Sequuntur autem prouerbium quoddam apud ſe diuulgatum, de mane conſilium, de veſpere conuiuium, nam à cibo in multam vſque noctem perbibunt, mane de republica, & grauibus negotijs ieiuni conſultant. Sed nunc alia inſuper recenſebo. Quoſdam lauantes videas promiſcue viros, & mulieres, cum nudis nudos, nullo omnino cum pudoris detrimento ſui; Sed & has illi oſculantur libere, & blande complectuntur, quinetiam condormiunt nonnunquam.

IVVENIS. Igitur Platonici ſunt, vt communes habeant vxores?

EQVES. At non habent communes, ſed fidem oſtentant hac in re ſuam. Neque fere cuſtodita alibi pudicitia mulierum illibatior eſt, quam hic neglecta, & in periculum miſſa, adulteria vero nuſ-

nuſquam rariora ſunt, nuſquam religioſius colitur matrimonium, & ſanctius habetur.

IVVENIS. Dicis vltra oſculum, & amplexus nihil facere eos condormientes etiam noctu?

EQVES. Dico vero. Sed neque zelotypia eſt, nec pudori metuunt, qui puellas ſuas vident ab alijs ſic haberi.

Imo ne ſuſpicio quidem eſt, fidunt enim conſtanter mutuo, & ſyncere conuerſantur, ac liberaliter, fraude autem vacant homines, & inſidias ignorant.

IVVENIS. O gentem minime malam: at illos videas nunquam inuidia vacantes Italos, parcere, cupere, quærere, fraudare, inſidias comminiſci, odio, & ſimultate conficere ſe inuicem, ſicas immittere, venena propinare, vſque dolum meditari, vſque fraudem admoliri, eorum neminem fidere, aperte agere neminem, qui pallent hinc puto.

EQVES. Alij hinc alias alij ob cauſas, vel quia cælum ijs tale eſt. Certe Germanos rubere video, quia lætantur, & fidunt, abſuntque ab ijs, quæ mentem vrunt, animum turbant, & ſanguinem minuunt, quam longiſſime, neque enim curis, & ſollicitudine video commacerari eos, aut adfligi.

SENEX. Quia audio à vobis allegari lauantes promiſcue viros & mulieres, intermittere non poſſum, quin quædam elegantia deſuper ex Epiſtola quadam Poggii Florentini quam ad Nicolaum quendam de balneis prope Thuregum ſitis perſcripſit, allegem. Is vero præmiſſis præmittendis inter cætera ſic ſcribit: Has verò literas ex his balneis ad te ſcripſi: ad quæ cum me contuliſſem, iuncturas manus curandi gratia, rem dignam putaui vt eorum ſitum atque amœnitatem, ſimul horum mores harum gentium tibi deſcriberem, & conſuetudinem balneandi. Multa dicuntur ab antiquis de balneis Puteolanis: ad quæ vniuerſus populus pene Romanus voluptatis cauſa confluebat. *Puteolana balnea.* Sed nequaquam arbitror illa ad horum iucunditatem accedere potuiſſe, & haud cum his noſtris fuiſſe comparanda. Nam voluptatem Puteolanam magis afferebat amœnitas locorum & villarum magnificentia, quam feſtiuitas hominum aut balneorum vſus. Hæc vero loca nullam vel admodum paruam præſtant animo relaxationem.

Reliqua alia omnia immenſam tribuunt amœnitatem: vt perſæpe exiſtimem, & Venerem ex Cipro, & quicquid *Venus ex Cipro.* vbi-

vbiq; eſt deliciarum,ad hæc balnea commigraſſe. Ita illius inſtituta ſeruantur: Ita ad vnguem eius mores & laſciuiam repræſentant:vt quamquam non legerint Heliogabali concionem: tamen in ipſa natura ſatis docti, ſatis inſtituti eſſe videantur.

Opidum eſt Baden ſatis opulentum, quod eſt balneum lingua Almanorum, ſitum in conualle montibus circumuenientibus, prope flumen ingens rapidiſſimi curſus, quod in rhenum fluit, longo ab oppido millibus paſſuum ſex. Prope oppidum ſtadijs quatuor eſt villa ſupra flumen pulcerrima, in vſum balneorum fabricata. Area eſt perampla media parte villæ: & circum hoſpitia magnifica multarum receptacula gentium. Singulæ domus ſua habent balnea interius, in quibus abluuntur ij ſoli qui ad ea diuerterunt balnea, tum publica, tum priuata ſunt numero circiter, xxx. Publica tamen duo exiſtunt palam ab vtraque parte, lauacra plebis & ignobilis vulgi, ad quæ mulieres, viri, pueri, innuptæque puellæ: & omnium circumfluentium fæx deſcendit. In his vallus quidam interraneus, vtpote inter pacificos conſtructus, viros à fœminis ſeiungit. Ridiculum eſt videre vetulas decrepitas ſimul & adoleſcentiores nudas, in oculis hominum aquas ingredi, verenda & nates hominibus oſtentantes. Rıſı ſæpius hoc tam præclarum ſpectaculi genus, mentem reuocans ad florales ludos, & mecummet iſtorum ſimplicitatem admiratus ſum, qui neque ad hæc oculos aduerrunt, neque quicquam ſuſpicantur aut loquuntur mali. At vero balnea in domibus priuatorum perpolita ſunt, & ipſa viris fœminiſq; communia tabulata quædam hæc ſecernunt. Et in his feneſtreſſæ perplures dimiſſæ: quibus & vna potare, ſimul & colloqui, & vtrunq; videre & attractare queant, vt eorum frequens eſt conſuetudo. Hæc deſuper fiunt deambulatoria, in quibus conſpiciendi & confabulandi cauſa homines conſiſtunt. Nam cuiuis licet viſendi, colloquendi, iocandi, ac laxandi animi gratia, aliorum balnea adire & præſtare, adeo vt & cum exeunt, & ingrediuntur aquas fœminæ, maiori parte corporis nudæ, conſpicantur. nullæ aditus cuſtodiæ obſeruantur, nulla hoſtia prohibent, nulla ſuſpitio inhoneſti: pluribus in locis idem qui viris & mulieribus quoque ad balnea eſt ingreſſus, vt ſæpiſſime accidat, & virum fœminæ nudæ, & fœminam viro nudo obuiam ire. maſculi campeſtribus tantum vtuntur, fœminæ vero lintheis induuntur veſtibus, cruratenus ab alto vel latere ſciſſis: Ita vt neque collum, neque pectus, neque brachia aut lacertos tegant. In ipſis aquis ſæpe de ſymbolis edunt, .com-

Balneorum deſcriptio.

De fœminarũ nuditate

compoſita menſa deſuper aquam natante; quibus viros aſſiſtere conſueuerunt. Nos quidem ea in domo qua lauabamur, ſemel vocati ſumus ad eam conſuetudinem. Ego vero ſymbolum contuli, intereſſe nolui, licet etiam atque etiam rogatus: Non permotus pudore qui pro ignauia habetur ac ruſticitate, ſed inſcitia ſermonis. Fatuum mihi quoddam videbatur, hominem Italum horum inſcium loquelæ, vna cum fœminis adeſſe in aquis mutuum & elinguem, vbi vniuerſus dies ſorbillando ac potiſando terendus erat. Duo tamen ex ſociis balneum ingreſſi ſunt magna cum animi iucunditate; vna aderant, tangebant potum, vna ſumebant & cibum. Colloquebantur licet per interpretem, perſæpe flabello ventulum faciebant. Reſtat nihil aliud niſi pictura illa Iouis, quo pacto Danaem per impluuium aureum imprægnauit, & reliqua. Illi tamen linthea ſtola vt moris eſt viris, cúm in mulierum balnea accerſuntur, veſtiti erant. Ego autem ex deambulatorio omnia conſpiciebam, mores, conſuetudinem, ſuauitatem, victus viuendi libertatem, ac licentiam contemplatus. Permirum eſt videre qua ſimplicitate viuant, qua fide videbant viri vxores ſuas à peregrinis tangi. non commouebantur, non animum aduertebant, omnia in meliorem partem accipiunt. Nihil eſt tam difficile quin eorum moribus facile fiat. Plane in politiam Platonis conueniſſent, vt omnia eſſent communia: cum & iam abſque eius doctrina, tam prompti in ipſius ſectam reperiantur. In nonnullis balneis maſculi reſident promiſcui cum fœminis, quibus ſunt ſanguine proximi aut beniuolentia. Quotidie ter aut quater balnea intrant, maiorem in his diei partem agentes, partim cantando, partim potando, partim choreas exercendo, pſallunt & iam in aquis paululum ſubſidendo: In quo iocundiſſimum eſt videre puellas iam maturas viro iam plenis nubilas annis, facie ſplendida ac liberali in dearum habitum ac formam pſallentes, modice veſtes retrorſum trahunt, deſuper aquam fluitantes, vt alteram venerem extimares. Mos eſt mulieribus, vt cum viri eas deſuper proſpectant iocandi gratia ſtipem petere. Itaque proijciuntur nummuli, & quidem pulchrioribus, quos illæ partim manibus excipiunt, partim lintheis extenſis, altera alteram propellens. quo in ludo quandoque etiam occultiora deteguntur. præterea & ſerta varijs diſtincta floribus, quibus capita exornant dum abluuntur. Ego hac profuſa videndi atque iocandi feſtiuitate pellectus, cum bis tantum in die laua-

Inuitatus ad conuiuia in balneis ad fœminas quare non venerit.

De fide germanorũ erga vxores.

De puellarũ pulchritudine.

De feſtiuitate & iocunditate mulierum balneantium.

lauaret, reliquum tempus conſumebam in alijs balneis viſitandis, nummos perſæpe iacens, & ſerta ad morem cæterorum. Neque enim vel legendi vel ſapiendi quicquam tempus erat, inter ſymphonias, tubicinas, citharas & cantus vndique circumſtrepentes, vbi velle ſolum ſapere, ſumma fuiſſet dementia. Ad ſummam voluptatem deerat commercium ſermonis: quod rerum omnium eſt primum. Itaque reſtabat nihil niſi oculos paſcere, ſectari in ludum ducere & reducere. Ambiendi inſuper locus erat & ea tanta licentia, vt legem ambitus non ferat. Præter has multiplices iucunditates, eſt & alia non mediocris. Pratum eſt ingens poſt villam ſecus flumen multis arboribus contectum. Eo poſt cænam conueniunt vndique omnes.

Tum varij ludi fiunt: quidam choreis gaudent, cantant quidam, plurimi pila ludunt; non equidem more noſtro: ſed viri ac mulieres pilam tintinabulis plenam, alter ad alteram dilectiorem proijciunt. Tum concurritur vndique ad illam excipiendam, qui eam capit, potior habetur. Iſque eam proijcit iterum ad perſonam ſibi acceptiorem: cum illam multi petant, porrectis manibus: atque ipſe modo ad hanc, modo ad illam ſimulat ſe iacturum. Multi præter hos ioci ſunt, quos longum eſſet recenſere. Hactenus Poggius.

De varijs ludorū exercitijs earundē.

Eqves. Sed neque ego recenſebo.

Ivvenis. Oportet illum qui allegat ſcriptorem aliquem, non truncatim illa proponere. Itaque ego quæ inſuper in eadem ad Leonardum addit Poggius, enarrabo.

Si autem Epiſtolam illam ad Nicolaum iſtum de quo ſupra, proſequitur: Hunc, inquit, illum locum eſſe credo, in quo primum hominem creatum, quem Gamedon Hebræi vocant, hoc eſt, ortum voluptatis. Nam ſi voluptas vitam beatam efficere poteſt: Non video quid huic loco deſit ad perfectam & omni parte conſummatam voluptatem. Quod ſi quæ ſit virtus aquarum, quæras: cum varia & multiplex, cum illa eſt admirabilis eorum virtus & pene diuina.

Nec ego eſſe vlla in orbe terrarum balnea, ad fœcunditatem mulierum magis accommodata. Itaq; cum plures ſterilitatis cauſa illic acceſſerunt, miram illorum virtutem experiuntur. ſeruant diligenter præcepta, quibus adhibentur remedia ad eas quæ concipere nequeunt.

De virtute balneorū earundem.

Inter cætera vero illud eſt memoriæ dignum, innumerabilis multitudo nobilium & ignobilium ducenta millium paſſuum huc venientium

mientium :non tam valitudinis cauſa, quam voluptatis: omnes amatores: omnes proci: omnes quibus in delitiis vita eſt poſita huc concurrunt, vt fruantur rebus concupitis: multæ corporum ſimulantur ægritudines, cum animo laborent. Ita videbis innumeras forma præſtantes ſine viris, ſine cognatis, duabus ancillis & ſeruo, aut aliqua affini anicula, quam leuius ſit fallere quam nutrire. Singulæ autem quoad poſſunt veſtibus, auro, argento, gemmiſque veniunt ornatæ: vt non ad balnea, ſed ad celeberrimas nuptias eas dixeris acceſſiſſe. Hic quoque virgines veſtales, vel vt verius loquar, florales.

De cultu fœminarũ balneantium.

Hic abbates, monachi, fratres, ſacerdotes, maiori licentia quam cæteri viuunt, & ſimul quandoque cum mulieribus lauantes, ſericis quoque comas ornantes omni religione abiecta. Omnibus vna mens eſt triſtitiam fugere, quærere hilaritatem, nihil cogitare niſi quemadmodum læti viuant, gaudijs fruantur. Non de communi diuidendo agitur, ſed de communicando diuiſa. Mirabile dictu eſt in tanta multitudine. Cum primis vero mirum eſt, in tam variis moribus turba tam ebria, nullam diſcordiam oriri, nullam ſeditionem, nullum diſſidium, nullum murmur, nullum maledictum. Cernunt viri vxores tractari, cernunt cum alienioribus. Et quidem ſolum cum ſola, nihil his permouentur, nihil admirantur: omnia bona & domeſtica mente fieri cogitant.

De mõachis balneantib.

Itaq; nomen zelotypi, quod quaſi omnes maritos oppreſſit, apud iſtos locum non habet. Incognitum eſt id verbum inauditum. Neſciunt hoc genus morbi nomen: quomodo hæc paſſio nominetur non habent. Nec mirum eius rei nomen apud iſtos non eſſe, cuius rei nomen apud iſtos non eſſe, cuius res non ſubſit ipſa. Neque enim quiſquam adhuc inuentus eſt in iſtis qui zelotypus eſſet. O mores diſſimiles noſtris, qui omnia ſemper accipimus in deteriores cogitationes: qui adeo calumnijs delectamur & obtrectationibus, vt ſi quid paruula vidimus coniectura, ſtatim pro manifeſto crimine atteſtemur. Inuideo perſæpe iſtorum quieti, & noſtras execror animi peruerſitates, qui ſemper quærimus, ſemper appetimus, qui cœlum & terras & mare peruertimus ad pecuniam eruendam, nullo quæſtu contenti, nullo lucro ſatiati, dum futuras expaueſcimus calamitates, continuis calamitatibus anxietatibuſque iactamur, & ne miſeri fiamus, nunquam miſeri eſſe deſiſtimus, ſemper inhiantes opibus, nunquam neque animo neque corpori indulgentes. At iſti in paruo contenti in diem viuunt,

Quod apud Germanos balneantes Zelotypia non fit.

Nota bene de nimia parcitate & anxietate Italorum.

quoſlibet dies feſtos agunt, non appetentes diuitias minime profuturas, opibus gaudent ſuis, non pauent futuram. ſi quid aduerſi acciderit, bono animo ferunt. Ita hac ſola ditantur ſententia: Vixit dum vixit bene. Sed hæc omittamus, neque enim eſt propoſitum meum, vel hos collaudare, vel nos reprehendere. Volo epiſtolam totam iucunditatis eſſe plenam, vt eius voluptatis quam præſens in balneis percepi, tu quoque abſens ex literis meis portiunculam aliquam conſequaris. Hæc Poggius.

EQVES. Non diutius balneis immorabimur, ne aqua perfundamur calida. Itaque ad Germanos redeamus. Atque hi quidem ita viuunt liberi Germani, vt neq; in otio cogitent de negotio, neque in pace ſint de bello ſolliciti. In bello autem, conſultant, nam audacia his & temeritas in conſilium vertitur plerunque, neſciunt autem inſidias, neque ſic pugnant, ſed aperto Marte.

SENEX. Sed quænam ſunt apud ipſos rerum gubernacula?

EQVES. Primum natura illorum talis eſt, quæ detrectet imperium, nec facile gubernari ſuſtineat. Cæterum principibus liberaliter & ſumma fide parent, alijs alij; in vniuerſum vero omnes Cæſarem reuerentur, eique parent. Interim tamen publicæ quandoque apud eos, ſucceſſiones vſuueniunt, quo fit, vt eo minus in commune conſulant. Et quamuis conſultant de republica, conſilium tamen non inueniunt diſcordes. Mos eſt eis autem totos aliquot nonnunquam menſes terere fruſtra conſultando, cum interim conuiuia agunt, & omiſſis ſeriis, ludum tractant.

SENEX. Quàm non conuenit hæc facere eos, qui imperare alijs debent?

EQVES. Minime quidem conuenit, ſed hi faciunt tamen. Atqui interim ipſorum vt plurimũ facta, aliorum conſilia vincunt, id quod ipſe euentus probat.

SENEX. Quis vero ordo ſtatuum in Germania inter Principes?

EQVES. Principum alij ſunt genere nobiles, alij adlecti, epiſcopi iſti, & Eccleſiaſtci; Qui quidem videntur mihi plurimum poſſe omnium. Nam & numero vincunt hoc in ordine, & opibus, ac potentia ſuperiores ſunt, certe enim dimidia plus ab eccleſiaſticis poſſeſſa eſt Germania. Aliquando enim religioni dediti nimium ſeculares, ad eccleſias profuderunt ſua.

SENEX. Poſt principes autem qui ſunt proxime?

EQVES. Comites qui vocantur, atque hi, quam principes minus poſſunt, plus quam ſimpliciter

pliciter nobiles, ſi cum ſingulis cõferantur ſinguli.

SENEX. At vero ſimpliciter nobiles quinam ſunt?

EQVES. Equitum ordo eſt, in gens belli apud Germanos robur, ſunt enim multi, & exerciti. Præterea in eis videtur adhuc hęrere vetus Germaniæ decus, antiqua probitas, genuina vivendi conſuetudo. Primi germanitatem adſerunt, peregrina exoſi. Principes ad ſua tuenda horum vtuntur vnice opera, immo in his tota principũ vis eſt, quare etiam eorum, qui cui iraſcuntur, hoc habent furoris ſui inſtrumentum, hæc immittunt arma. Sed & Mercatorum odio, & ciuitatũ, quæ vocantur liberæ concitantur. Quia enim exotica iſta important, & ſericum, ac purpuram, aliaque nulli niſi ad luxum vſui, corrumpere eos dicunt optimos nationis mores, & peregrinitatem inducere, ac propagare mollitiem, genti haud iniuria odibilem.

SENEX. Neque non ſatis efficax eſt hæc odij cauſa, ſic fieri enim arbitror, vt cum ſe molliter curent multi, apud paucos maneat rerum ſtenue gerendarum cura, ac veteri abolita, ac gentilitia virtute, noua inoleſcat, & peregrina turpitudo. Iã apparet in hoc enim diſſimilis ſui Germania, quod ſic veſtiunt aliqui, vt ne dubium ſit, quam deforme accidat, in mores ſi tranſeat mutatio hæc. Sed enim liberas ciuitates cur perſequuntur? An, quia cum in vrbibus habitarent aliquando nobiles, expulſi à plebeiis inde vltionem hanc infligunt perpetuo?

EQVES. Immo in vrbibus non fuit vnquam nobilitas, ſed vt nunc diſperſa rure agit, cur vero inſectetur vrbanam vitã ordo hic alia cauſa eſt. A principio nullæ fuerunt in Germania vrbes, neque contigua fuerunt ædificia, verum ſua cuique, & ſecreta domus. Nec tum mercatores accedebant, qui peregre aliquid importarent, vtebantur apud ſe natis omnes, hiſque ſolis, ferarũ veſtientes pellibus, in cibo autem vtentes, quæ produxiſſet patrium ſolum, externa ignorabantur paſſim. Quo tempore fraudabant nulli quempiam inſtitores, quædam rigida fuit paſſim probitas, hanc ſequebantur omnes, pecuniam nondum viderat quiſquam, nec argentum habebant, vel aurum.

SENEX. Hoc fuit optimũ Germaniæ tempus.

EQVES. Paulatim maritima auſi ſunt vexare peregrini, & inire cõmercia ibi, inde apud alios vltra, donec adſuefacto infimo quoque, & deſidiam amante, cœpit placere nouitas, & recipi vulgo luxus conſuetudo, ac late confeſtim ingredi deprauatę viuendi mos, qua occaſione pagos cõiungere viſum eſt, paulo poſt vrbes conſtruere, eaſq, muris, & propugnaculis firmare, ac turribus, & foſſis communire. In

quam conuentionem, cum ignauiſſimus quiſque conſenſiſſet facile, quiſquis aut genere bonus fuit, aut animo præſens, patriæ conſuetudinis tenax, & auiti moris amans contumaciſſime aduerſus corruptionē reſtitit, indignum ratus, turpem facere commutationem, propoſuitq; mordicus tenere ab antiquis tradita, nec diſcedere ab ingenio. Fuit ille autem, quotuſquiſque fuit, bellicæ inprimis gloriæ ſtudioſus, pecuniæ contemptor, exercebatque ſe venando, & tranquilli impatiens odio habebat quietem, & conuitio perſequebatur otium, huic diſceſſio hæc facta, nam illis omnia nouātibus hi contra rei indignitatem vetera adſeruerunt.

SENEX. Planè quædam eſt in his antiquæ adhuc virtutis ſpecies, latrocinia tamē, etſi robuſta ſit hæc improbitas, non laudo. Præterea ſi nimius eſt rigor, & in centauricam quandam aſperitatem tranſit, non placet. Homines vero probarem, ſi adinuento conſilio cogerent delicatulos iſtos, & voluptarios corruptores, per quos fit, vt male audiat Germania, aut relicta mollitie melius inſtituere vitam, aut excedere Germania ſtatim, prius quam ad omnes pueniat deprauationis contagio. Omnino autem arcere peregrina eos conuenit, & excludere, ac luxuriæ inſtrumenta auferre, iam valde enim diſplicet ipſi mihi, quod ſic laute video curare quoſdam ſe, & patrio poſtergato ritu, externos admittere, ac peſſimos turpiter mores, & hoc ſtudere, vt peregrina malint flagitia æmulari, quam patriam retinere virtutem. Adde quod ſic fiunt non imbelles tantū, ſed effœminati etiam. Ecce autem præter gētis morē aſtutos video hos fingere, & fallere admodū perite, qui planè indigni ſunt Germania, niſi cōfeſtim mutent mores, nam infame reddūt nomē hoc, & antiquam claritudinē obſcurant. Sed filum abrumpo, ne quem temere, & tantum non data opera offendam.

EQVES. Hiſpanos iam ordo tāgit, vt de iiſdē aliquid quoq; dicam. Sed quia idētidem Chronicō Hiſpanorum prolixum publice proſtat, actū nō agemus. Bellatores illi quidē ſunt, ſtrenui atq; ingentes, furtorū tamē nomine non admodum benè audientes. Sed his relictis tranſeamus ad Hungaros.

SENEX. Hungaria, vt priſci rerum ſcriptores habent, nouem circulis, quos hagas Germanica lingua dicimus, circumdata, quorum ſinguli ita ſtipitibus quernis, ſiue faginеis, vel abiegnis exſtructi erant, vt de margine ad marginē viginti pedum ſpatium tenderetur in latum, totidem erigeretur in altum: ciuitas autem vniuerſa aut duriſſimis lapidibus, aut tenaciſſima creta repleretur: porrò ſuperficies vallorum eorumdem integerrimis cæſpitibus tegeretur. Inter quorum cōfinia

nia arbuſculæ plantatæ erant, quæ abſciſſa proiectaque vt plurimum herbas & frondes proferebant. De primo autem circulo ad ſecundum viginti milliaria Teutonica protendebantur,& inde totidem ad tertiũ, & ita vſque ad nonum, quamuis alius alio ſemper contractior erat. Interea hos aggeres, vici villæque ita conſtitutæ, vt ab vna ad aliam vox hominis audiretur. Ædificia validiſſimis muris præmunita: portæ non ſatis latæ propter hanc cauſam, vt per eas latrocinandi gratia quaquauerſum exire ingredique facilè poſſent. Tubarum clangore vnus circulus alteri cuiuſque res certa ſigna dabat. Nouiſſime Hungari ex alia Hungaria Scythica egreſſi, quæ non longe à Tanais ortu exſtat, & Iuhra hodie dicitur: miſera adhuc regio, vtpote ſub frigidiſſimo cœlo iacens, duci Moſchouiæ tributaria. Non tamen aurum argentumue, quibus omnino carent, ſed pretioſas animalium pelles Sabellorum ſciſmorumque pendunt homines. Non arant, non ſeminant, neque panes habent: ferarum carnibus & piſcibus veſcuntur: aquam potant: ſub tuguriis ex virgultis cõtextis inter denſas ſyluas humiliter habitant. Vnde fit, vt homines ſylueſtribus foris commorantes, veſtimentis ſe non laneis, neque lineis non induant; ſed pellibus nuper aut lupo, aut ceruo, vrſoue detractis. Solem, lunam, aſtraque alia

Hungaria Scythica.

alij adorãt, & quicquid eis primum occurrit. Propriam linguam habent. Corallia piſcantur, & balenas, ex quarum cute rhedas burſaſque faciunt: axungiam præ impinguatione ſeruatam exteris nationibus vendunt. Mediocris tumoris montes ad eam partem, qua oceano incumbit, habet, quos piſces quidam Mors vocati dentibus ſe promouendo ſcandentes, dum ſuperiora nacti vlterius nituntur, præcipites decidunt,& moriuntur, eos illi colligunt eduntque: dentes, quos latos & albos valde habent, reſeruãt, & mercatoribus pro mercibus aliis permutant: Manubria cultellorum ex illis optima parantur. Vrbs regia eſt Buda, à Bada Attilæ fratre appellata. Ager regionis quatenus colitur, tritico fertilis eſt, auro atque argento diues. Mirum eſt, quod indigenæ narrant, eſſe in Pannonia riuum, in quo ſi ſæpius ferrũ mergatur, cuprũ fieri. Viri veſtes ſuperne excauant, circa interſcapilium, linea ſubtus tunica, circa collum & humeros quodamtenus apparens, quam partem ſerico & auro ferè omnes exornant, indifferens in caliga, cothurno ſuperinducto. Capillos inungunt, concinnantque: lineo galericulo contegunt, raroque, nec niſi in otio, reſoluunt: qui mos & à pleriſq; Germanis obſeruatur. Muliebris veſtitus ſtrictior, & ad collum ſubductus, vt omnia tegantur, tantum lineæ

Buda Vrbs regia.

Mulierum Hungarorũ habitus.

lineæ tuniculæ ora emineãt pretioſiſſimè ornata: veſtibus togam ſuperinducunt, ſerico caput aut lineo componunt velamine, ac præter oculos & naſum cætera ferè abſcondunt: gemmis & margaritis vulgò vtuntur. Cothurno calceantur viri, fœminæque ad media crura inducto. Annum lugent defunctos, & quoſdam biennio. Barbam raſitant, præterquam ſuperiore labro. Iudicij ratio antiquitus hæc eſt: ſi cauſa anceps ſit, nec aliter liquere poſſit, lis ferro decernitur, reus & actor dimicant: Rex, aut qui regis vicem gerit, ſpectat, iudicatque ſecundum eum, qui ſuperior fuerit. Satis viciſſe credunt, cuius aduerſarius aut pugnam cunctantius inibit, aut lineis areæ, quibus pugnæ locus circumſcribitur, exciderit. Qui ex equo dimicant, lancea prius, dein gladio vtuntur. Pedites præter verenda, cætera nudi pugnant. Ferox hominum genus, & in bello validũ, equeſtri prælio magis quam pedeſtri idoneum. Regis imperio parẽt, aut regiis ducibus. Cataphracto equite in bello vtuntur, & leui armatura, ſed parcius omnino: turmatim confligunt, non tamen toto agmine. Nulla gens Chriſtiani nominis Turcarum arma magis exercuit. Nulla ab his rurſus magis exercita eſt: adeo paribus animis varioque euentu eſt ſemper vtrinque bellatum. Alia Hungaria, quæ huius mater eſt, linguaque & moribus penè adhuc illi ſimilis; ritu Barbarico viuit, idolis ſeruit.

Certamine ſingulari controuerſiæ dirimũtur.

Hungarorũ pugnãdi ratio.

IVVENIS. Italia quoque in hũc ordinem referenda erat, ſed quia cogitationes meæ iam nimis ſunt diſtractæ, & vero aliquid prolixius de ea dicendum, itaque prius mihi recolligendæ ſunt cogitationes, dicturus poſt de ea prolixè. De Liguria interim, ne nihil attigiſſe videar, Italiæ regione, eaq; pro maiori parte montuoſa, aliquid dicam. Ligures itaq; quod attinet, ij labore plurimo continuo vitam duram agunt: nam multis arboribus oppleta regione materia eſt ad naualem fabricam præcipua: arbores tanta craſſitudine, vt diametri octonos pateãt pedes. Vnde quidam cædendæ materiei, quidam ſubigendo agro à lapidum aſperitate cultu difficili vacant. Ita enim terra lapidoſa eſt, vt gleba abſque ſaxo nequeat effodi, ob quod vitæ ærumnoſæ natura aſſueti, licet multo in labore verſentur, parum tamen percipiunt emolumenti. Continuum vero exercitium, & victus parcitas corpora eorum macilenta efficit, ac robuſta. Mulieres quoque virorum labores perferunt, aſſuetæ vna cum viris opus facere. Venationibus continuò vacant, captiſque feris fructuum inopiam ſuſtentant. Niuibus inſuper montaniſque aſperitatibus aſſueti agiles corpore, ac validi redduntur. Nonnullis meſſis raritate carnes partim domeſticas edunt, partim feri-

Ligurum ſtudia.

Mulieres in labore viros adiuuant.

Victus Ligurum.

ferinas, aqua in potum ſumpta. Oleribus vtuntur, prout fert regio eorum, ad quos neque Ceres venit, neque Dionyſius, præ cæteris diis hominibus vtiles. *Habitacula.* in terra cubant vt plurimum, rari ſub tecto aut in tuguriis iacent. Plures ad concaua ſaxa, ſpeluncaſque ab natura factas, vbi tegantur corpora, diuertunt. Hoc pacto priſco more abſque apparatu aliquo viuūt. *Robur corporum.* Denique mulieres virorum, viri ferarum robur & vires habent. Aſſerunt, in bello ſæpius vegetum Gallum ab gracili macilētoque Liguro ex prouocatione ſingulari certamine vinci. *Arma.* Arma habent leuiora, quam Romani. Operiuntur corpora ſcuto longo ad formam galaticorum facto, tunicaque ſuccincta. Armantur etiam ferarum pellibus, ac enſe mediocri. Quidam Romanorum conſuetudine, quos in ea re imitati ſunt, arma immutarunt: *Ferocitas.* feroces ſunt, & acuto ingenio, non in bello ſolum, ſed in communi vita. *Nauigantes mercaturā exercent.* Mercaturam exercent, nauigantes per Sardianum Libycumque pelagus, ſponte ſe grauibus maris periculis obiectantes: *Recētes mores.* ſcaphis enim haud ſatis cæterarum nauium more præparatis nauigant. Quo fit vt imminente tempeſtate grauia ſubeāt vitæ diſcrimina. Gens hæc vt Ant. Sabellicus lib. 1. ſeptimæ Enneadis habet, adhuc ferox eſt, & ad rebellandum nata, vt quæ diu Romana excreuit arma: plurimū pecore victitat, lacte hordeaceaque potione.

EQVES. Ad Laconiam, ſiue Lacedæmoniam tranſeo. Laconiæ ſiue Lacedæmoniæ, quæ alias etiam Sparta dicitur, ſtatus olim hic fuit. Lycurgus inſignis Philoſophus, Polydectis Regis frater quum vita illo defuncto Imperium relicti filij tutoris nomine aliquandiu adminiſtraſſet, ciuitatis ſtatum atque regionis optimis inſtitutis, optimis legibus excoluit. *Lycurgus Philoſophus legislator.* Quum antea ex omnibus ferè Græcis ſoli Lacedæmonij peſſimè morati eſſent, tam circa ſe, quam circa hoſpites, nullo conſuetudinis conuerſationiſq; cōmercio. Lycurgus ergo audacter rem aggreſſus, omnia iura, inſtituta, & priſcos viuendi ritus abrogauit, atque ciuiliora quædam multoque laudabiliora inſtituit. Primum omnium ſeniores de republica electi, qui cum Regibus, qui duo numero creati ſunt, conſultarent: *Reges ſimul apud Lacedæmones regnabant.* is ordo velut arbiter fuit, inter regiam poteſtatem, & vim multitudinis: ne, aut hæc contumacia ſæuiret, aut imperio illi. *Octo & viginti ſeniores.* Octo & viginti ſeniores (tot enim fuiſſe Ariſtoteles ſcripſit) duobus regibus aſſidebant, ne nimium Democratia inualeſceret prouidentes, *Democratia, id eſt, principatus populi.* & rurſus, ne qui Regnum tenerent, tyrannicum quippiam molirentur: quæ hic ordo decreuiſſet, cætera multitudo vt ſciret neceſſe erat. Addita deinceps poſt multos annos Ephororum poteſtas, *Ephororum poteſtas.* huic paucorum adminiſtrationi, quæ Græco verbo Oligarchia *Oligarchia.* dici-

dicitur, poſteaquam nimis viſa eſt ferocеſcere, eſtq; quaſi frænum cõcilio illi iniectum, accidit id tamen centeſimo à Lycurgi interitu anno, quum Theopompus regnaret. Alterum ab Oligarchia inſtitutum, agrorum diuiſio: perſuaſit illi multitudini, vt ſolum omne Laconicum in medio poſitum æquis in ſingulos portionibus diuideretur: oportere ratus ciuem ciui ingenio & virtute: & non luxu, & diuitiis præſtare. Abiit igitur vniuerſa terra in ſortium nouem & triginta millia: in nouem millia vrbanus ager: paganicus & municipalis in triplo & amplius maiorem numerum: portio quælibet ea fuit, quæ viro frumenti medimnos 70. fœminæ 14. annuos ferret. Habuit à principio in animo & res mobiles diuidere, ſed inuidiam veritus, quæ inde imminebat (plures enim videbantur id ægrè laturi) omnem auri argentique vſum è medio ſuſtulit, ferreumque nummum induxit, percuſſitq; decuſſem, quem iuſſit minime valere, ac tum demum omnis furandi occaſio ſublata eſt. Ignitum ferrum ex quo nummum percuſſit, aceto exſtinxit, vt ad rem nullam amplius ob mollitiem vtile redderetur. Omnes ad hoc artes vt inutiles vrbe eiecit: quanquam artifices ipſi ſublato auri vſu ſua ſponte inde tranſmigrarunt, quum ferrei nummi apud alios in vſu non eſſent. Mox vero vt omnem & ex ciuitate tolleret luxum, publica conuiuia inſtituit, vt diuites promiſcue & inopes vni adhiberentur conuiuio, vniſq; veſcerentur epulis. Ac ne lautorum quiſquam cœnatus in publicum veniret, qui minus cupide & hilariter veſceretur, vt parum frugi à proximè accumbentibus obiurgabatur. quo plane inſtituto omnis vetus è medio luxuria ſublata eſt. Exarſerunt ex ea re potentiorum iræ: impetuque in eum facto, alter eſt illi oculus baculo excuſſus: quare cautum, ne Spartiatæ cum baculo amplius ad cõuiuium intrarent. Hunc conuiuandi ritum Philias dixerunt, haud dubie publicæ amicitiæ & humanitatis argumẽto: vel quod quaſi Phiditia dicerent, quod ita conuiuando φειδοῖ, id eſt, parſimoniæ aſſueſcerent. Qui ſacrificij aut venationis cauſa conuiuio non occurriſſent, his domi cœnare permiſſum, cætera multitudo aderat. Cõferebant ad hoc conuiuium quotannis ſinguli farinæ medimum, vini coros octo, caſei quinque minas, ficum quinque ſemis minas. Frequentabant id pueri etiam velut temperantiæ omnibuſque ciuilis diſciplinæ gymnaſium: aſſueſcere ibi vrbanis ſermonibus, iocarique comiter diſcebant, ac ſine ſcurrilitate cauillare. In re vxoria haud tam pudicitiæ, quam procreationi ob aſſiduam militiam eſt conſultum, eouſque vxoribus indultum, vt eas viri heras appellarent. Virgines curſu,

Agrorum diuiſio.

Auri & argenti vſus è medio ſublatus.

Artes omnes apud Lacedæmones ſublatæ.

Lux⁹ omnis ſublatus.

Φιλίας, id eſt, amicitia.

Φειδίτια, id eſt, ſodalitia.

Ad publicũ conuiuium quid ſinguli conferebãt.

Vxores heræ appellatæ.

Virginum ſtudia. ſu, paleſtra, diſco, iaculo exercebãtur: vt otio & muliebribus deliciis ſublatis robuſtiores ad tolerandos partus fierent: nudæ, vt pueri, in aperto verſari, ſaltare, & cantare in ſacris quibuſdam, præſentibus, ſpectantibuſque iuuenibus. Nudatio illa nihil turpe habuit: aderat namque verecundia, petulantia omnis aberat. Hinc illa indoles, tempeſtiuaque in Laconicis fœminis ad omnia promptitudo. *Cœlibes ludibrio habiti.* Qui cœlebs vixiſſet, Gymnicis ſpectaculis arcebatur, nuduſque hyeme forum circuibat, ne, vt cæteri ſenes, in honore apud iuuenes eſſet. *Raptu nubunt virgines.* Nubebant virgines raptu maturæ viro. Paranympha in cubiculum abducta capillos ad cutem reſecabat: ſponſus inde ad eam ingreſſus cingulum ſoluebat, noctu tantum cum ea congrediebatur, nec prius ſponſam aſpiciebat interdiu, quam ex illa factus eſſet pater. *Sponſus ſpõſam nõ aſpicit antequã pater ſit factus.* Filiorum & ſobolis cura dignis hominibus permiſſa. Licebat ſeniorum cuique honeſtum ex iuuentute ac probum aliquem ad vxorem ꝓcreationis cauſa adducere: atque vbi eam alieno ſemine impleſſet, ſuum quod naſceretur efficere: neque probro dari ſi quis huic, qui fœcundam, pudicamque haberet vxorem, ſuadere eſſet auſus, vt cum ea ſibi congredi liceret, ceu bono fertilique ſolo operaturus liberorum cauſa. Ridebant adhæc quarumdam gentium ſtultitiam, quod canes & equas nũc precio, nunc gratia optimis eius generis animalibus ſupponerent: vxores præſidio cuſtodirent: ex illis ſoli ipſi, ſiue amentes eſſent, ſiue agri infirmique generare vellent. *Ius alendi partus parẽtibus nullũ.* Ius alendi partus nullum parentibus. Natus infans in publicum deferebatur ad locum, quem Ieſchem dixere, vbi magno effecto puero, viri pueri formam intuiti, ſi probaſſent, ex nouem millibus ſortium, in quas vrbanus ager diuiſus erat, vnam illi curabant adſcribi. *Infantes infirmi præcipitio necati.* Infirmum & deformem, ad apothecas, locum haud longe à Taygeto præcipitem ac præruptum, exponendum dabant, vtpote Reipublicæ inutilem. Mulieres vino non aqua pueros abluebant, quo liquore admoro conſtat reſolui corpora, debilitarique, ſi qua ſunt Comitiali morbo obnoxia. Nulla lotis fomenta adhiberi, nulla teneris crepundia, ſolitudinibus tenebriſq; aſſueſcere. Ob idque externarum gentium quidam Laconicas nutrices liberis alendis adhibuerunt. *Puerõrũ Lacedæmonũ educatio, Exercitia.* Pueri à ſeptimo anno in æqualium cœtu exerceri, literaſque pro neceſſitate addiſcebant: reliqua diſciplina toleratu percipiebatur. Ad cutem pueri tondebantur, nudis calcibus ambulare, duodecimo anno tunicam vnam patrio inſtituto ſortiri, neque balneas, neque fomenta ſcire. Toris ex arundine conſtructis quietem capiebant: Hyeme eos, quos Lycophones dixerũt, roris immiſce-

Iren puerorum præceptor.

re. Iren, qui cœtui præerat, is creabatur, qui vno anno aut altero cæteros antecibat, grandiores lignare imperabat, minores onera furto quærere. Maiorum conuiuia ingredi, inde etiam aliquid furari. Qui deprehenſi erant in furto, flagris admouebantur: non quia nefas eſſet furari, ſed quod parum prudenter & ingenioſe eſſet id ab eis factū.

Furari honeſtas habita Lacedemoniis.

Iren quoſdam canere iubebat, alios argutas quæſtiones proponere: breue eſſe oportebat, ſubitumque reſponſum. Quod ſi quis negligētius feciſſet, huius pollex ab Irene acrius mordebatur. Inſtituebantur ad hæc graui vti oratione: ſed quæ iucunditate non careret, ſententiiſque breui ſermone complexis, ita vt res in prouerbium abierit, facilius philoſophari homines poſſe, quam Laconicum ſermonem imitari.

Prouerbiū.

Operæpretium eſt etiam cognoſcere quale ab initio ſtudium fuerit omnium ætatum, quanta ad virtutem contentio, atque æmulatio. In treis diſtincta erat choros omnis ætas. Tum in ſolennibus ſacris ſeniorum cœtus canere exorſus, Fuimus olim robuſti & iuuenes, canore voce pronunciabant. Tum adultæ ætatis eum excipiens, Nos quidem iuuenes ſumus & fortes, reſpondebant: idque ſi libet experiamini. Ad eam puerilis chorus, Tam boni erimus, & meliores. Plutarchus auctor eſt, ad ſua vſq; tempora perduraſſe Laconicos quoſdā modulos, quibus illi ad tibiam in hoſtem ituri vti conſueſſent.

In choros tres ætas omnis diuiſa.

Cantus tibiarum in bello vſurpatus.

IVVENIS. Herodotus Halyattem Lydorum regem ſcribit fiſtulatores & fidicinas, & quod penè indignum relatu ſit, conuiuiorum etiam delicias in acie habuiſſe, eo bello, quod Mileſiis intulit. Romani præter cornuum & lituorum concentum, ardentiſſimo militum clamore bellum capeſſebant: quod lōge diuerſum ab eo eſt, quod Homerus de Achæis ſcripſit, quos tacitos fecit, ſtipanteſq; robur in pugnam procedere. Galli tripudio, vt Polybius & Liuius ſcribunt, ſcutaque ſuper capita quatientes. Barbarorum quidam cū vlulatu prælium ineunt.

Cytharæ cōcentu in prœcinctu Lacedæmones vſi.

Cornuum & lituorū concētu clamoreq́; Romani bellū capeſſebant.

Galli cū tripudio bellū inierunt.

SENEX. Ex hac rituum varietate poteſt intelligi, cæteras gentes non id, quod Spartani, in bellico concentu ſecutas. Capillos præterea à pubertate ex inſtituto alebant memorabili legumlatoris dicto, comantibus capitibus multo pulchriora fieri humana corpora, quæ ſi ſint alioqui deformia, capillo haud dubie feroceſcant. Prælium inituris rex Muſis capram immolabat. Domi militiæque certa viuendi lege ſunt vſi, bellicaque exercitatione patriæ, non ſibi, natos arbitrantes. Nullas quæſtuoſas tractabant artes, bellicæ tantum exercitationis ſtudio teneri. Solennibus epulis reliquum dabatur tempus, eoq; per hæc ventum eſt, vt quemadmodum præclarè ſcribit Plutarchus, Spar-

Barbari cū vlulatu.

Rex bellum inituris Muſis ſacrificabat.

Spartani neque nollent, neque ſi vellent, ſcirent amplius priuatim viuere, eſſentque ex omni parte patriæ dediti. Suffragandi ratio, vt cætera, ab aliiș gentibus diuerſa: pauci ad hoc ipſum delecti conclaue Comitio propinquum ſubibant: vnde ipſi neque quempiam viderent, neque ab vllo viderentur. Tum vero vt primo alteroue loco competitorum nomina ſortito educta eſſent, quantus vocum aſſenſus ad ſingula nomina ortus eſſet, diligenter attendebant: ac quoto quiſque clamor loco maior minorue eſſet ad ipſorum aures redditus, tabella pernotare, ex qua in publicum miſſa percipiebatur, cui competitorum plures eſſent voces ſuffragatæ. Primus adhæc Lycurgus, omni ſuperſtitione ſublata, permiſit cadauera in vrbe ſepeliri, tum etiam circa templa ſortiri monumenta. Nec viri, nec fœminæ nomen licebat cuiquam ſepulcro inſcribere, niſi eorum qui fortiter bello periiſſent. Lugendi tempus vndecim erat diebus finitum. Nec ciuibus peregrinari permiſſum, ne alienos mores vrbi importarent. Quin & peregre eò delati, niſi qui Reipublicæ vtiles eſſent, vrbe excludebantur: ne quid (vt Thucydides habet) Laconicæ diſciplinæ peregrinæ gentes imbiberent, quod ſatis inhumane haud immerito aliquis dixerit. Vel, vt Plutarchus ſcribit, ne mutuo congreſſu noui ſermones in vrbe orirentur, & ex his noua iudicia, diſſonæque voluntates, quæ publicæ rei pernicioſiſſimæ eſſe ſolent. Iuuenibus Lycurgus non amplius vna veſte toto anno vti permiſit, nec aliquem cultius quam alterum: non ſplendidius, vt dictum eſt, epulari. Emi ſingula non pecunia, ſed mercium compenſatione iuſſit. Pueros puberes non in forum, ſed in agrum deduci iuſſit, vt primos annos non in luxuria, ſed in omni labore & opere agerent. Nihil eos ſomni cauſa ſubſternere, & vitam ſine pulmento degere, nec prius in vrbem redire, quam viri facti eſſent, ſtatuit. Virgines ſine dote nubere iuſſit, vt vxores non pecuniæ cauſa eligerentur: ſeueriuſque matrimonia ſua viri coërcerent, quum nullis frænis dotis tenerentur. Maximum honorem non diuitum & potentum, ſed ſenum eſſe voluit, nec vſquam terrarum locum honoratiorem ſenectus habet. Regibus poteſtatem bellorum, magiſtratibus iudicia, & annuas ſucceſſiones, ſenatui cuſtodiam legum, populoque ſubligendi Senatum, vel creandi quos vellet magiſtratus, poteſtatem conceſſit. Hæ quoniam leges aut noua inſtituta ſolutis antea moribus dura eſſe videbantur, eorum auctorem Apollinem Delphicum finxit: & inde ſe eas ex præcepto Numinis detuliſſe,

Suffragandi ratio admiranda.

Cadauera in vrbe ſepelire permiſſum.

Luctus funebris vndecim diebus.

Peregrinari Lacedæmonibus prohibitum.

Iuuenum veſtitus.

Pueri in agrum nō in forum ducebantur.

Virgines ſine dote nubere.

Seniū apud Lacedæmones honoratiſſimum.

Apollo auctor legum apud Lacedæmones.

kiſſe, vt conſueſcendi tædium metus religionis euincat. Deinde, vt æternitatem ſuis legibus daret, iureiurando ciuitatem obligauit, nihil eorum, quæ ſanxiſſet, mutaturam, priuſquam reuerteretur: ſe ad oraculum Delphicum profecturum, conſulturum quid mutandum addendumue legibus ſuis illi videatur. Proficiſcitur autem Cretam, ibique perpetuum exſilium egit. Præcepit etiam moriens oſſa ſua in mare abijci, ne Lacedæmonem delatis Spartani ſe de non mutandis legibus à iuramento abſolutos putarent.

Lycurgus voluntario exſulat.

EQVES. Lithuaniam ordo tangit. Eſt autem Lithuania Poloniæ ad ortum connexa noningentorum millium paſſuum circuitu, magna ſui parte paluſtris, plurimumque nemoroſa: & ob eam rem difficilis aditu, ac quodammodo inacceſſa, aquis paluſtribus cuncta obtinentibus. Hyeme commercia cum Lithuanis habiliora, paludibus & ſtagnis alta glacie concretis, niueque ſuperinfuſa, fiunt omnia mercatoribus peruia: vt velut alto mari, quando nulla ſit certa via aut ſemita, ſidera ſignent iter. Rara in Lithuania oppida, villarum incolatus infrequens. Accolarum diuitiæ pecora, pelleſque multigenûm ferarum, vt Zobellinæ ſunt, atque Harmelinæ, quibus regio inſigniter ſcatet, ceræ ac mellis abundans. Vſus pecuniæ genti nullus. Inter ſe matronæ palam concubinos habent virorum permiſſu, quos connubij vocant adiutores: contra, pellicatus viris probro datur. Soluuntur facile matrimonia mutuo conſenſu, & iterum atque iterum nubunt. Adeo gens vna cæteris mortalibus diuerſo viuit ritu, vt non abſurdum ſit illud Ariſtippi, Honeſtum non natura, ſed conſuetudine conſtare. Vini rariſſimus vſus: panis nigricans, non cribratus: armenta vinum præbent, multo lacte vtentibus. Sermo genti, vt Polonis, Sclauonicus: hic enim ſermo quam latiſſime patet, ac plurimis quidem gentibus communis eſt: ex quibus quædam Romanæ ritum Eccleſiæ ſequuntur, Aliæ Græco ritu ſacra peragunt, Nonnullæ ab his diuerſæ, proprias hæreſes habent, vt Boëmi ſunt, Morani, & Boſnienſes. Ioannem Huſſum quædam obſeruant, pars multo maxima Manichæos: quædam adhuc etiam gentili cæcitate tenentur: idola colunt, quemadmodum multi ex Lithuanis. Hieronymus Pragenſis, qui Eugenij quarti pontificatu in ea terra Euangelium prædicauit, quique gentis illius ritus & mores ad id tempus minus notos noſtris hominibus demonſtrauit, dicebat Lithuanorum quoſdam, ad quos primum perueniſſet, domeſticatim ſerpentes

Lithuania tota paluſtris.

Regio hieme tantum accedenda.

Diuitiæ Lithuanorũ ferarũ pelles.

Pecunia nullus vſus.

Serpẽtes domeſticatim venerati.

tes habuiſſe: quibus per ſe quiſque vt diis penatibus ſacrificabant: cæterum tenuiſſe ſe, vt præter vnum, qui cremari non potuit, à ſuis cultoribus interficerentur. Alij ignem colunt, captantque ex eo auguria. Solem nõnulli mallei ferrei ſpecie immani magnitudine. Proprium ducem habent, quem Magnum vocant: perſæpe tamen regi Polonorum ſubditi. Caput regionis Vilna eſt. Epiſcopalis ciuitas tantæ magnitudinis eſt, quantæ Cracouia cum ſuburbijs omnibus. Domus contiguæ in ea non ſunt, ſed veluti in rure horti intermediant, & pomaria. Tartari quidam circa Vilnam in aſſignatis pagis habitant, qui agros noſtro more colentes laborant, & merces vehunt: Tartarica lingua loquuntur, Mahometum & ſectam Sarracenorum profitentur.

Sol ſub mallei ſpecie veneratus.

SENEX. Liuonia ſuperioribus ſeculis ad fidem Chriſtianam, fuit conuerſa, quum antea nullum niſi malorum dæmonum cultum noſſent. Sarmaticum mare ab occaſu habent, vbi ſinus incompertæ eſt magnitudinis, cuius oſtium ab occidente eſt, non procul à Cimbrica Cherſoneſo, quem Daciam hodie vocant. Circa ſinum ad Septentrionem ſemiferæ gentes ſunt, cum quibus nullum eſt linguæ commercium, nutu & ſignis permutant merces.

Liuonia.

EQVES. Moſcouia terra quadringentorum milliariorum patēs: argento diues, tam valido vbique præſidio concluſa eſt, vt nedum aduenæ, verum indigenæ, etiam abſque literis ducis exire atque intrare non poſſint. Plana omnino regio eſt, non montoſa, nemoroſa tamen, & vt plurimum paludoſa, plurimis maximis fluminibus Occa, Volha, Dzuuina, Boriſtheneque & Dineper irrigua: piſcibus ob id variis, & feris abundat, quemadmodum Lithuania, à qua non multum diſcrepat, niſi quod frigidior eſt, quia ſeptentrionalior. Vnde pecora parua habet, & communiter mutila. Moſcua metropolis regionis dupla maior quam Praga Boëmiæ, lignea, vt aliæ ciuitates, ædificia habet, multas plateas, ſed diſperſas, latiſſimi campi interiacent. Moſca amnis ipſam interſecat. Arx in medio vrbis in plano ſita, ſeptemdecim turribus, & tribus propugnaculis adeo pulcris & validis, vt ſimilia vix reperiantur. Sedecim in ea arce eccleſiæ, quarum tres ſanctæ Mariæ, ſancti Michaëlis, & ſancti Nicolai muratæ, cæteræ omnes ligneæ.

Moſcouia. *Flumina Moſcouiæ.* *Moſcua ciuitas maxima.* *Moſcua amnis.* *Arx ampliſſima.*

Tres quoque in ea ampliſſimæ curiæ, in quibus nobiles aulici morantur. Palatium, in quo dux eſt, Italico more conſtructum pulcherrimum, ſed non amplum. Multos nobiliſſimos ducat[9] habet, ex quibus ingruente bello pluſquam

quam ducenta millia hominum duobus aut tribus diebus contrahuntur. Aqua genti potus, & medo, liquorque fermentatus, quem quaſſetz vocant. Arant ligneo aratro: frondibus arborum aut ſpinis arpicant: ſegetes propter longum frigus raro matureſcunt: ideoque in ſtubis deſiccant, triturantque. Aromatibus & ſublimatis calfactorijs contra frigus varijs vtuntur. De auena & melle aquam ardentem ſiue ſublimatum faciunt, & lacte etiam, adeo forte vt ſæpius ab eo inebrientur. Vino & oleo carent. Ne inebrientur, inebriantem potum omnem terræ princeps capitis pœna prohibuit: bis aut ter tamen in anno conceditur. Monetam habent argenteam maiorem & minorem, non rotundam, ſed quadrangularem oblongam, Dzwingis hanc dicunt. Communis gentibus illis mos eſt, vt non ſolum ſeruos, vt pecora, ſed etiam filios & ſemetipſos vendant, & abducere quam longiſſime patiantur, ob victus tantummodo ſufficientiam, quamuis graſſiſſimis cibis veſcantur.

Potus Moſcouitarum.

Frigoris curatio.

Ebrietas capitis pœna multatur.

EQVES. Regnum Poloniæ vniuerſum in quatuor velut regiones diuiſum, quas in orbem Rex quotannis inuiſit. Singulæ ternis manibus alunt Regem, regiumque comitatum: cæterum ſi caſu conſilioue is in vna regni parte diutius eſſe perſeuerauerit, nihil debetur ipſi amplius. In Cracouia celebri & ampliſſima vrbe regia eſt, totiuſque regni gaza: cæteræ ciuitates parum nitidæ ſunt: ex maceria domus fere omnes compoſitæ, pleræque luto collinitæ, plaga regionis nemoroſa. Gens in vniuerſum prudens, multaque comitate in hoſpites. Bibaciſſimum genus hominum, vt totus Septentrio, ſed rarus vini vſus: ignotuſque genti omnis vinearum cultus. Factitia ex tritico, alijſque generibus ſeminum potio in vſu eſt: ſolum ferax, triticique abundans. Eſt & paſcuis idoneum, armenta late paſcuntur. Venatio multiplex: equus ſylueſter ceruino cornu, bos ferus, Vrum Romani vocant. Plumbum dumtaxat ex omnibus metallis fodiunt Poloni, & ſalem ſaxorum duritie: nullumque toto orbe vberius vectigal. Mellis copia tam ingens, vt non ſatis illis atque Ruthenis loci ſuperſit, vbi recondant: arbores namque omnes & ſyluæ aluearibus mellificantium nigricant.

Cracouia Polonorum regia.

Gens Polonica prudens & comis.

Potus Cereuiſia.

Salis fodina.

SENEX. Pruſſiam quoque videamus. Pruſſiæ ſolum ferax eſt, maximeque frugiferum, irriguum, frequens cultus: Regio amœna, & pecoris abundans, piſcatus, venatioque multa. Malorum & hæc cultrix fuit dæmonum vſque ad ſecundi Federici tempora. Deiparini milites, qui & Mariani dicuntur, poſt Ptolemaidem in Syria amiſſam

Pruſſia.

Deiparini milites.

Pruſſia quomodo ab ordine Teutonico acquiſita. miſſam in Germaniam reuerſi, videlicet, nobiles & rei militaris periti, ne per otium marcerent, eundem accedentes, Pruſſiam Germaniæ conterminam Chriſti cultum ſpernere dixerunt: ſæpe illius gentis homines in Saxones, cæteroſque vicinos excurrere, ingentem vim pecorum abigere, eſſe in animo ſibi compeſcere barbaram gentem, annuat tantum Imperator, prouinciamque fratribus perpetuo iure poſſidendam tradat, ſi eam armis acquirant. Iam enim *Maſſouiæ duces.* Maſſouiæ duces, qui eius ſe terræ dominos affirmabant, ius ſuum fratribus conceſſerant. Grata oblatio Federico fuit, qui collaudato propoſito, quas voluere fratres ſub aurea bulla literas conceſſit. Illi ſumptis armis breui tempore quicquid Prutenici iuris citra & vltra Viſtulam fuit ſubegere: ſubactam, ac bello quæſitam, ſuæ ditionis fecere. Victa gens Chriſti fidem complexa eſt, & cum fide Teutonicam linguam.

Ruſia. EQVES. Ruſiam etiam quod attinet, quæ etiam Ruthenia dicitur, ea adeo fertilis eſt, vt agro rude culto frumentoque inſperſo, tribus perpetuis annis fructum ferat: nec opus eſt, agrum quotannis inuertere, ſed inter metendum ſegete leniter excuſſa alia in ſequentem annum ſua ſponte creſcit. Germen adeo procerum pro- *Apum copia* ducit, vt perticam tranſcendat: vnde ibi apum tanta copia, vt mella nedum in aluearijs, aut arboribus, verum in rupium & terræ cauernis reponant. Optimus medo, & hi grandes cerarum orbes, qui ad nos vſque aduehuntur, ibi fiunt. Non impiſcantur piſcinæ & ſtagna Ruſſorum, ſed, vt aiunt, piſces ex cæli influentia ſuccreſcunt.

Sal quodam in lacu Katzibeo vocato ſiccis temporibus colligitur, *Sal in lacu naſcitur.* pro quo genti cum Tartaris crebra bella. Mirum eſt quod dicitur, in ſolo Chelmenſi deſectos, pini arboris ramos truncosue, duos aut tres annos ſuper terram iacentes in ſaxa indurari. Eſt ibi optimæ cretæ copia. Verſus Tanaim & Mæotim calamo aromatico & reupontico abundat, pluribuſque herbis & radicibus alijs, *Calamus aromaticus in Ruſia.* alibi non viſis. Vrbs regia Moſcouia eſt, ad Moſcum amnem ſita, quatuordecim millium paſſuum circuitu.

Nullus hîc ſignati argenti vſus. *Signati argenti nullus vſus.* Lapis eſt in medio foro quadrata forma, quem ſi quis aſcendit, nec inde vi deturbari poſſit, principatum vrbis obtinet. Ingens de aſcenſu loci & deiectu dimicatio inter indigenas, ſæpiuſque ob eam rem pugnatum inter ciues. Gens *Ruſianorũ potentia.* adeo valida eſt, quod ſuperiori anno quodam bellico tumultu in regis caſtris centum viginti millia equitum recenſita ſint, quorum

ſinguli ordinem ducerent. Arcu in bello vtuntur, quod gentile & vetus eſt illis: eſt & lancea in vſu duodenûm pedum: cataphracti equites ſupra hamatam loricam ferreum thoracem induunt, vmbilicis ſpeculorum modo prominentibus, galerum geſtant, pro caſſide, in conum faſtigiatum: equite libentius vtuntur in bello quam pedite. Pedites alij ſcorpione vtuntur (halliſtam Itali vocant) alij plumbeas pilas ſulphureo puluere ex æneis excutiunt machinis Teutonico more. Inuiſum genti Regium nomen: idcirco ducis appellationem libentius vſurpant, vt magis popularem. Qui ibi rerum potitur, dux dicitur, qui in totam gentem Imperium obtinet.

Bellica Ruſianorum arma.

Regium nomen Ruthenis inuiſum.

Huic piſeus paulo elatior quam cæteris proceribus, cætero nihil ab alijs differens. Omnis color in vſu, præter nigrum. Viri fœminæque lineo amiciuntur induſio, eoque tenuiſſimo, & ad crura demiſſo, auro circa collum rubentiue ſerico excolunt id amiculum, laxior veſtis, ac nihil fere à Græcis differens, qualem Turcæ quoque & totus ſeptentrio vſurpat, manicæ tantum laxiores Ruthenis, auroque fimbriatæ à pectore & humeris. Lutrina pellis ambit exterius veſtem. Sola vxor luget virum, obducto capite albo linteo, & ad vlnas deiecto. Quibus fortuna amplior eſt, quadrageſimo die à funere conuiuantur in defuncti memoriam: quorum res anguſtior eſt, quinquies hoc temporis interuallo ſolenni modo epulantur. Obſeruantur dies obitus, quem anniuerſarijs quoque celebrant epulis. Quando ex ea ſtirpe ſupereſt aliquis, cuſtodiuntur nomina defunctorum monumentis literarum, vt ſciri poſſit, quo cuiquam die parentandum ſit. Planctu & lamentatione funus educunt. Patrij moris eſt, mulieres gemmas & vniones ex auribus ſuſpendere: decorum & maribus, ſed adhuc pueris.

Veſtitus Ruſianorum.

Luctus funebris.

Quæ iterum nupſerit, ſatis caſtam ducunt: auerſantur vt impudicam tertio nubentem: par in maribus offenſa. Puellæ à tergo capillum promittunt: cæterum matrimonio locatæ ſedulo abſcondunt.

Viri ſupra aures tondentur, datur probro huic ſexui omnis capillorum cultus. Gens vniuerſa in Venerem prona, ac bibaciſſima: hoc laudis loco ponunt, alterum licere arbitrantur, modo id fieri contingat citra omnem connubij offenſam.

Fœnerant vulgo, nec fraudi cuiquam, ne ſacerdotibus quidem. Pars multo maxima Ruſianorum ſeruitutem ſeruiunt, nec inuiti, multi quidem, & in his nobiles, etiam

Rutheni vt plurimũ ſeruiunt.

etiam ſe, coniugem, & liberos vendiant: aut quia ſic maiore otio fruuntur, aut quod maiore voluptate. Antiſtites ſacrorum Græcanico ritu nigro amiciuntur pallio: horum primores albo. Ferunt hi bullam ad pectus ſuſpenſam, & tabulam præceptis diuinæ legis inſcriptam. Minores ſacerdotes & ipſi Græce veſtiuntur. Sacræ virgines, quod vnum genus in ea gente eſt, ex Antonij abbatis inſtituto nigra ſtola amiciuntur. Sunt & literæ non multum à Græcorum figura abhorrentes. Muſicen & Grammaticen diſcunt vtramque Græce, cæteras artes vulgo aſpernantur. De ſumma fidei cum Græcis ſentiunt: par in cultu ceremonia, & in cælites veneratio. Iudicia exercent duodecim numero viri: vnus aliquis è collegio cognoſcit cauſam, crimenue, cognitum ad collegas defert, interdum & ad Regem. Si res maioris eſt ponderis, quam vt pro collegio vindicari poſſit, ſi reus nequeat conuinci, parumue liqueat factum, cum accuſatore cogitur de vita dimicare: atque ita victor duplici pecunia donatur, qualis fuerit æſtimata. Agrorum cultum oppido exercent; equis arant, ager feraciſſimus præterquam vini.

Sacerdotū habitus.

Muſica & Grāmatica tantum diſcuntur.

Cauſa dubia monomachia probatur.

Ceruiſia totius ſeptentrionis pot°.

Ceruiſiam potum ex milio, hordeo, atque humulo decoctum potant, & idem fere totus Septentrio. Ex canapi, papauere, & nucibus oleum conficiunt. Oliuam non fert Ruſiana regio, neque ex ea arbore liquor aliunde inuehitur. Varia alit animalium genera, & in his pleraque pellium æſtimatione nobilia, quarum alioqui à veteribus celebrata: piſcium ingens copia, & in his Seldis nobiliſſimus, ex Pareſlauſco lacu, perquam ſimilis ijs, qui in Benaco capiuntur.

De Samogithia & gentis moribus.

SENEX. Eſt Pruſſiæ atque Lithuaniæ contermina regiuncula, quæ Samogithia dicitur, ſyluis & fluminibus circumſepta, quinquaginta milliarium longitudine: cuius gentes proceræ & pulchræ ſtaturæ, agreſtes tamen, moribuſque inculti. Matrimonia plura celebrant: & abſque ſanguinis reſpectu, patre mortuo filius nouercam, fratre frater glotem in vxorem accipiunt. Æs nullum habent, humiliter ædificant, ex lino culmoque tuguria in carinarum aut galearum formam, in quorum culminibus feneſtram vnam faciunt tam patentem, vt toti ædificio lucem ſuperne præbeat.

Focus perpetuo igne in ſingulis vnus, circa quem familia vniuerſa ſedens, non ſolum vt cibos coquat, verumetiam vt vehemens frigus, quo pro maiori anni parte terra hæc congelata conſtrictaque iacet propellat.

propellat. Vaporaria, ſeu ſtubas habent nullas. Gens ad diuinationem & auguria inclinata. Præcipuum ei numen ignis, quem ſacroſanctum perpetuumque eſſe perſuaſum habuere, quod in edito colle ad fluuium Neuyaſa aſſidua lignorum ſuggeſtione per ſacerdotem aleretur. Vladiſlaus Poloniæ rex, qui eam ad Chriſti fidem compulit, illum vnà cum turri, in qua conſeruabatur, exſtinxit, diiecit, & ſyluas, quas non minore religione, quam ignem, ſanctas, proque deorum habitaculis Sarmatæ (iuxta poëticum illud; Habitarunt dij quoque ſyluas) colebant: & nedum ſyluas, verum quoque quicquid eas ſubiiſſet, ſanctum, minimeque violandum cenſebant, vt aues erant & feræ. Malorum dæmonum præſtigio violantes eas ſtatim in manibus & pedibus contrahebantur.

Diuinationi vacant Samogithæ.

Ignis ſacroſanctus.

Erant in his ſyluis ſingulis familijs ſuus focus & ſacra domus conſtituta, in quibus defunctorum ſuorum corpora cum equis, ſellis & meliori eorum veſtimento comburere mos fuit. Conuenire eos noctu credebant, ideoque ſedilia ibi ex ſubere contexta diſpoſita, in quibus optimus medo, eſcaque ex paſta in caſei forma omni tempore large ſubminiſtrabatur, vt ipſis veſcerentur.

Superſtitio gentis admiranda.

Feſtiuitas.

EQVES. Styrij verò agreſtes vulgo populi ſunt & ſtrumoſi, adeo quidem ingenti ſtruma, vt ipſis loquelam impediat: & mulier lactans illam poſt tergum perinde atque ſaccum reiiciat, (ſi fama vera eſt) ne infanti impedimento ſit. Strumæ cauſam aquæ aërique, quibus veſcuntur, incolæ tribuunt. Styriani ipſi cultu & ſermone Germani ſunt, præter Draui accolas, qui Illyrica vtuntur lingua. Sal ibi coquitur, quod ad finitimas gentes defertur. Regio ferri & argenti ferax, ſed Principum incuria parcius foditur. Valeria olim dicta fuit, montana plurimum præterquam ad ortum, qua Pannoniæ finitima eſt, ea parte vaſtam effundit planitiem.

Styrii.

Strumæ cauſa.

Sal Styrianum.

Styria olim Valeria dicta.

IVVENIS. Sueuia partim plana, partim montoſa. Ager fertilis, cuius nulla pars inculta iacet, præter quam aut lacus, aut montes, vel ſyluæ occupant. Nemora in ea multa, & ob id genti venatio frequens, aucupium peculiare, frumentorum abundantia, pecorum magna vis. Conualles plurimæ perennibus riuis clariſſimæ, vndique amnes procurrunt, qui ſe vniuerſi in Rhenum & Danubium exonerant. Tota inſuper prouincia ſalubritate gaudens, celebratiſſimis vrbibus, vicis, & caſtellis referta.

Sueuia conditio.

Laudes Sueuiæ.

Arces excelſæ, natura, & arte munitæ, & pulcherrimis atque

atque ditiſſimis templis, collegiis, monaſteriis, baſilicis, parochialibuſque eccleſiis eſt exornata. Circa montes ferrum, argentum, & metalla procreat. Gens populoſa, fortis, audax, & bellicoſa, procera corpore, flauo crine, venuſta facie, & decora, ingenio ſingulari prædita, præſtantiſſima Germanorum à Plutarcho dicta.

Præſtantiſſimi Germanorum Sueui.

Cuius gloria eouſque creuiſſe memoratur, vt virtute & armis Imperium orbis meruerit, illudque vltra vnius ſeculi ſpatiũ magnificentiſſime tenuit. Sed viddata poſtea ſuis principibus, neſcio qua fortunæ iniquitate, dicam, aut ignauia, mox ſubſtitit. Caius Iulius Cæſar *in quarto Commentariorum* de hac ita ſcribit: Sueuorum gens longe maxima ac bellicoſiſſima Germanorum omnium, centum pagos habere dicuntur, ex quibus quotannis ſingula millia armatorũ bellandi cauſa è finibus educuntur, reliqui, qui domi remanſerint, ſe, atque illos alunt.

Centũ Sueuorũ pagi,

Antiqui Sueuorum mores.

Hi rurſus inuicem anno poſt in armis ſunt, illi domi remanent: ſic nec agricultura, neque ratio, atque vſus belli intermittitur, ſed priuati ac ſeparati agri apud eos nihil eſt. Neque longius anno remanere vno in loco incolẽdi cauſa licet. Non frumẽto ſolum, ſed vulgo lacte & pecore viuunt:

Victus Sueuorum ex pecore.

multumque ſunt in venatione, quæ res & cibi genere, & quotidiana exercitatione, & libertate vitæ (quod à pueris nullo officio aut diſciplina conſuefacti nihil omnino cõtra voluntatem faciant) & vires alit, & immani corpore homines efficit: atq; in eam ſe conſuetudinem adduxerunt, vt ſub cœlo frigidiſſimo habitantes neque veſtem vllam præter pelles habeant, quarum propter exiguitatem, maior corporis pars nuda & aperta eſt.

Veſtitus Sueuorum pelles erant.

Lauantur in fluminibus. Mercatoribus eſt ad eos aditus magis eo, quod quæ bello ceperunt vendant, quam vt aliquam rem ad ſe deferri deſiderent: quin etiam iumentis, quibus Galli maximè delectantur, quæque impenſo parant pretio, Germani non vtuntur: ſed quæ apud eos ſunt & natura praua, & deformia, hæc quotidiana exercitatione ſummi vt ſint laboris efficiunt. Equeſtribus prœliis ſæpe de equis deſiliunt, ac pedites præliantur: & eos eodem veſtigio remanere edoctos, vbi vſus eſt, celeriter repetunt. Neque moribus ſuis quicquam inhoneſtius aut inertius putant, quam ephippiis vti. Itaque ad quemuis ephippiatorum equitum numerum (quamuis pauci) adire audent.

Ephippijs nõ ſunt vſi Germani.

Vinum ad ſe importari omnino nõ ſinunt, quod ea re ad laborem ferendum remolleſcere homines, atque effœminari arbitrentur.

Vinum ad ſe importari non patiebantur Sueui.

Publicæ eſſe laudis putant quam latiſſime à ſuis finibus vacare agros, hac re ſignificari magnum ciuitatum numerum ſuam vim ſuſtinere non poſſe, propter quod vna parte à Sueuis circiter

Nn 3. mille

mille ſexcentorum paſſuum agri vacare dicuntur. Cornelius Tacitus, vbi de Germaniç ſitu,& gentis moribus ſcribit, de Sueuis ita refert: Maiorem, inquiens, Germani partem propriis adhuc nationibus nominibuſque diſcreti ſunt, quamquã in communi Sueui vocentur. Inſigne (inquit) gentis eſt, obliquare crinem, nodoque ſubſtringere: ſic Sueui à cæteris Germanis, ſic Sueuorum ingenui à ſeruis ſeparantur: apud eos vſque ad canitiem horrentem capillum retro ſequuntur, ac ſæpe in ipſo vertice religant, principes ornatiorem habent. Statuto tempore in ſyluam auguriis patrum & priſca formidine ſacram omnes eiuſdem ſanguinis populi legationibus coeunt, cæſoque publice homine celebrant, barbari certe ritus, horrendaque primordia. Eſt & alia luco reuerentia. Nemo niſi vinculo ligatus ingreditur, vt minor, & numinis poteſtatem præ ſe ferens: ſi forte prolapſus, attolli, & inſurgere haud licitum: per humum euoluuntur, eoq; omnis ſuperſtitio reſpicit, tanquam inde initia gentis, vbi regnator omnium Deus, cætera ſubiecta atque parentia. Pars quoque Sueuorum, vt idem Cornelius habet, Iſidi ſacrificat. Peculiaria cætera Germanis & ipſis ſunt communia. Verum enimvero non ſolum apud Sueuos, ſed & apud õmnes fere gentes mutati ſunt mores: & quod dolendum plurimum eſt, fere in peius. Nam hodie potentiores Sueuorum fere omnes mercaturæ vacant, ſocietatem, ſiue confœderationem vnam multi ineunt, ac certam pecuniæ ſummam quiſque ponit, qua non ſolum aromata, ſetica, atque alias pretioſas merces, quæ ad nos à tranſmarinis & remotiſſimis regionibus tranſuehuntur, emunt, ſed vilia etiam, vt cochlearia ſunt, acus, ſpecilla, pupæ, & huiuſmodi: præemunt etiam vina & frumenta. Quod ego tamen non laudo: quum id non minus opificib9 & agricolis graue, damnoſumque ſit (qui ſua ante tempus gryphonibus iſtisne potius dicam, vel mercatoribus, vendunt, quæ poſtmodum neceſſitatè cogente duplo ęre redimere ab ipſis debent) quam toti prouinciæ, quæ, quibuſcumque indiget, non apud vicinas gentes, à quibus minori pretio habere poſſit, accipere debet, (ſic enim à corruptis munere principibus impetratum) ſed ab illis in Stutguardia, aut aliàs vbi emporia habent. Ipſi tamen per ſe nõ negotiantur, ſed communibus ſeruitiis, qui contractam rurſus pecuniam vnà cum lucro congregantes certo tempore rationem ponunt, ſinguliſque dominorum lucri partem fideliter præbent. Priuati Sueuorum nulla alia re, nullo artificio magis occupantur, quam lini operatione, cui adeo incumbunt, adeò dediti ſunt, vt in quibuſdam Sueuiæ locis

Germani cõmuni nomine Sueui appellati.

Crinem nodo ſubſtringebant Sueui.

Sacrificãdi Sueuorum ritus.

Superſtitio gentis admiranda.

Iſidi ſacrificabant Sueui.

Recentiores Sueuorum mores.

Mercatores Sueuorum Germanicæ Reipubl. damnoſi.

Omnis Sueuia in lino operatur.

locis nedum mulieres & puellæ, ſed adoleſcentes, & viri, hyemis tempore colo admouentur. Pannigenus faciunt, cuius tela linea eſt, intextum bombycinum, Pargath illud vocantes: faciunt & totum lineum, quod Golſch appellant. Cõpertum habeo (ſcribit Bohemus) apud Vlmenſes ſolum quotannis vtriuſque generis pannos parari centum millia: ex quo quiſque coniecturare poteſt quam incõprehenſibilis, incredibiliſque ſumma in tota regione elaboretur. Ad remotiſſimas nationes iſti panni tranſuehuntur, & maxime bis in anno ad Emporium Francofordenſe: vbi quã ingẽs vectigal Sueuicæ nationi accedit.

EQVES. Thracia regio eſt, vt Pomponius ſcribit, nec cœlo nec ſolo (quam vbi mari vicinior eſt) ſatis fœcunda temperataque. Frigida eſt, & eorum quæ ſeruatur, maligne admodum patiens: raro vſquam pomiferam arborem: vitem frequentius tolerat, ſed nec eius quidẽ fructum maturat, ac mitigat, niſi vbi frigora obiectu frondium cultores arcuere. Homines habet feros, aſperos & numeroſos, adeo vt ſi aut vnius imperio regerentur, aut idem ſentirent, vt hiſtoriæ pater opinatur Herodotus, inexpugnabiles forent, & omnium gentium multo validiſſimi: ſed quia arduum hoc illis eſt, & nulla ratione contingere poteſt, ideo imbecilles ſunt. Habent autem multa nomina ſingularum regionum ſingula, moribus tamen ac opinionibus conſimilibus imbuti, præter Getas & Trauſos, & qui ſupra Creſtonas incolunt: ex quibus Getæ ſe non mori perſuaſum habuere, ſed ad Zamolxin Deum ſuum poſt fatum migrare. Fuit hic Zalmoxis homo Pythagoræ quondam diſcipulus, qui in patriam reuerſus, quum animaduerteret Thraces male viuere, & inſcire, ipſe edoctus Ionicum viuendi genus, & mores ipſis legeſque dedit, docuitque, atque perſuaſit popularibus eas ſeruantibus poſt obitum ad ſe in eum locum ire, vbi ſuperſtites omnium bonorum compotes eſſent: per hoc deitatis opinionem conſequutus, è Thracum ſe conſpectu ſubduxit, atq; euanuit, maximo ſui deſiderio poſt ſe relicto. Ad hunc mittunt aſſidue adhuc cum naui quinque remigum nũcium quempiam ex ſeipſis ſorte delectum, præcipientes ea, quibus ſemper indigent, eumq; ita mittũt: Quibuſdam eorum datur negotiũ, vt tria iacula teneant: aliis, vt comprehẽſis eius, qui ad Zamolxin mittitur, manibus, pedibuſq;, hominẽ agitãtes in ſublime iactẽt ad iacula: qui ſi in præſentiarum exſtinguitur, propitium ſibi Deum arbitrantur: ſin minus, ipſum nuncium inſimulant, aſſeuerantes malum illum eſſe virum. Hoc inſimulato alium mittunt, dantes adhuc viuenti mãdata. Iidem Thraces dum tonat ful-

Thracia.

Getæ ſe nõ mori putabant.

Zamolxis Getarum Deus.

Nuncius ad Zamolxin mittitur.

In cœlum ſagittant dũ tonitruat Thraces.

fulgaratque, in cœlum ſagittas excutiunt, Deo minitantes quod nullum alium præter ſuum eſſe arbitrentur. Trauſi vero in cæteris quidem omnibus idem quod Thraces: verum circa natalitia ſuorum atque obitus hoc factitant.

Edito puero Trauſi lamentantur.

Edito puero propinqui circumſedentes, eum ploratione proſequuntur, recenſentes quaſcumque neceſſe eſt illi, quod vitam ingreſſus ſit, perpeti humanas calamitates:

homine mortuo Trauſi lætantur.

Hominem fato functum, per luſum, atque lætitiam terræ demandant, referentes quot malis liberatus, in omni ſit modò felicitate.

Vxorũ chariſsima cum marito defuncto ſepelitur.

At qui ſupra Chreſtonas incolunt, iſta agunt: ſinguli plures vxores habent, quorum vbi quis deceſſit, diſceptatio magna fit inter vxores acri amicorum circa hanc rem iudicio, quænam dilecta fuerit à marito præcipuè. Quæ talis iudicata eſt, & hunc honorem adepta, ea à viris & mulieribus exornata, ad tumulum à ſuo propinquiſſimo mactatur, vnaque cum viro humatur, cæteris vxoribus id ſibi pro ingenti calamitate ducentibus atque lugentibus: nam id eis ſummo dedecori datur. Cæteri Thraces, filios veteri inſtituto palam venditare, nec virgines à parentibus & propinquis adſeruari, ſed quibus libuit cum viris concumbere ſinunt.

Mulieres ingenua notis in fronte ſignabantur.

Vxorum pudicitiam ſolicitius cuſtodiunt, eaſque magno ære à parentibus coëmunt, fronte notis quibuſdam ſignatas: generoſum adiudicatur, ignobilitatis argumentum ſine his eſſe. Nupturę, quę præ cæteris ſpecie valeant, prius ſubtaxari volunt, & licentia taxationis admiſſa, non minoribus nubũt præmiis. Quas formæ dedecus premit, dotibus emunt quibus coniunguntur. Vterque ſexus epulantes focos ambiunt: herbarum (quas habent) ſemine ignibus ſuperiecto cuius nidore perculſi, pro lætitia habent imitari ebrietatem ſenſibus hebetatis. Otiari, ex rapto viuere pro re honeſta haberi: contrà, agros colere pro deſpicatiſſima. Corporum magnitudine Thraces omnes homines antecedunt: cæruleis oculis, ac truci viſu, terrifico vocis ſono, annoſa ætate.

Ædificia.

Ædificia modicè ab humo eleuata, annona eodem ſemper tenore: vites neſciunt, pomis abundant. In regis electione non nobilitas præualet, ſed ſuffragium vniuerſorum: populus enim eligit ſpectatum moribus, & inueterata clementia, etiam annis grauem.

Rex eligitur cui non liberi ſunt.

Sed hic in eo quæritur, cui liberi nulli ſint: nam q pater fuerit, etiam ſi vita ſpectatur, ad regendum non admittitur: & ſi forte, dum regnat, pignus ſuſtulerit, poteſtate exuitur. Maxime hic cuſtoditur ne regnum hæreditarium fiat.

Quadraginta iudices Thraces habuerunt.

Tum ſi rex etiam maximam præ ſe ferret æquitatẽ, nolunt ei totũ licere: quadraginta ergo rectores accipit, ne in cauſis capitũ ſolus iudicet.

In reges animaduerſio acerba.

Quod ſi ipſe etiam in peccato aliquo arguitur,

guitur, morte multatur: non tamē vt cuiuſquam manu attrectetur, ſed conſenſu publico rerum omnium ei poteſtate interdicta, ipſe tandem fame pereat. Optimates ita ſepeliunt: prolato triduum cadauere, mactatiſque omnifariis hoſtiis conuiuantur, illudque defletum prius, deinde conbuſtum ſepeliunt, aut aliter humo contegunt, adgeſtoque deſuper tumulo cum alia omnis generis certamina proponunt, tum præcipuè certa cum ratione Monomachiam, hoc eſt, ſingulare certamen. Arcu valde pugnaces ſunt, & exercitatiſſimi, quem apud ſe repertum volunt. Vna cum Scythis lingua vtebantur. Scribit Plinius, totam Thraciam in quinquaginta ſtrategeas diuidi ſolitam. Sed ea Thraciæ pars, quæ Getica olim dicebatur, vbi Darius Hydaſpis filius penè periit, hodie Vallachia appellatur, à Flaccis Quiritum gente. Romani enim, Getis ſuperatis & deletis, Flacci cuiuſdam ductu eò coloniam miſerunt. Vnde primum Flaccia, dein corrupta voce Valachia dicta. Aſtipulatur huic opinioni Romanus ſermo, qui adhuc in ea gente durat: cæterum adeò ex omni parte corruptus, vt vix Romano homini intelligatur: Romanarum literarum vſus, elementorum forma aliquatenus inuerſa. Sarcorum ritus, qui & Græcis. Daci poſtea eam terram occupauerunt, à quibus aliquandiu etiam Dacia dicta

Spelièdi ritus.

Thraces arcus inuentores.

Valachia, & eius appellatio.

Valachia Dacia vocata.

fuit, nunc Teutones, Siculi, & Valachi tenent, Teutones fortes viri ex Saxonia illuc à magno Carolo tranſmiſſi, à ſeptem vrbibus quas habitant, Seibemburgenſes patrio ſermone vocantur. Siculi Hungarorum vetuſtiſſimi, ex his, qui ab initio ex Scythia digreſſi his locis conſedere. Valachiorum factiones duæ, Dragulæ & Dani, alias Daui. Nam Getæ & Daui ſeruorum nomina inde olim profecta Græcorum quidam prodidere. Dragulæ Danis impares Turcas noſtrorum patrum memoria in eam terram induxerunt, quorum armis Dani ad internecionem deleti ſunt. Ioannes Huniades vir acer, Danis demum auxilio fuit: terramque ab hoſte receptam ſibi vendicauit. Agriculturæ, reique pecuariæ Valachi vt plurimum ſtudent, quod originem gentis arguit. Tributum regi pendunt, ſed ſemel tantum: ac id cuique regnum: & confeſtim ab eius declaratione tum ſingulæ familiæ dant bouem tributi nomine. Sexaginta millia numero & amplius eſſe traduntur. Iuſſi ad bellum exire capitale eſt non paruiſſe. Eſt Valachia Tranſſyluaniæ contermina ab occaſu, ad ortum in Euxinum excurrit: ad boream & ſeptentrionem Ruſiam attingit: alluitur ad meridiem Iſtro, circa quem quicquid vagarū gētiū occupat perpetua illis hyems, triſte cœlum premit. Maligne olim ſolum ſterile ſuſtentabat, imbrem

Seibemburgenſes.

Dragulæ & Dani.

Ioannes Huniades.

Valachorū exercitia.

Valachiæ quatuor latera.

Getes Iſtrū accolentes.

culmo aut fronde defendebant. In cęlo ſuper durata glacie ſtagno proſultabant, in alimētum feras captabant: nulla illis domicilia, nullaque ſedes erant, niſi quas laſſitudo in diem poſuerat: vilis & his quærendus erat victus, quod horrenda iniquitas cœli, intecta capita.

SENEX. Weſtphalos Carolus Francorum rex, qui Magni cognomen tulit, bello victos primum ad Chriſtianā fidem compulit. Cæterum, cum ſępius rebellarent, repetitoq; idolorū cultu, Chriſti religionē ſpernerent, nec iuſiurādum quouis modo aduerterent, vt metu gentis temeritatem Carolus compeſceret, occultos iudices conſtituit, quibus poteſtatem dedit, vt quamprimum deieraſſe aliquem comperiſſent, aut fregiſſe fidem, aut aliquod aliud ſcelus perpetraſſe, mox illum, vt primum, vbi primum cōprehendi poſſet, pro arbitrio necarent, nulla citatione aut expurgatione prævia: viros graues ac iuſtos elegit, qui plectere nocentes poſſent. Terruit ea res Weſtphalos, ac demū in fide cōtinuit, quum ſæpe in nemoribus & proceres & mediocres viri laqueo ſuſpenſi inuenirentur, nulla accuſatione prius audita: quærentib. tamē cauſam, cōſtabat fidem fregiſſe, aut magnum aliquod ſcelus cōmiſiſſe. Id iudicium ad noſtram vſque ætatem perdurat, vocaturq; Vetitum. Qui ei præſunt, Scabini appellātur, quibus tanta præſumptio eſt, vt etiā per totam Germaniam iuriſdictionem ſuam extendi velint. Secretos ritus habent, & arcana quædam inſtituta, quibus malefactores iudicant: ea nondum quiſquam repertus eſt, qui vel pretio, vel metu reuelauerit. Ipſorum quoq; Scabinorum maior pars occulta eſt, qui per prouincias diſcurrētes, crimīnoſos notant, & inferentes iudicio accuſant, probantque vt eis mos eſt: damnati libro inſcribuntur, & iunioribus Scabinis committitur executio. Rei ignari ſuę damnationis, vbicunque reperiūtur, ſupplicio afficiūtur, degenerauit autem hodie iudicium: nam & viles interdum perſonæ admittuntur, & ciuilia negotia tractare audent, quibus erat ſolum de criminalibus permiſſa poteſtas. Regio eſt admodum frigida vini & frumēti inops: pane veſcuntur nigro, cereuiſia potus eſt. Vinum quod Rheno aduehitur, magno emunt pretio, eo tantum opulenti, & raro tamen vtuntur. Bellicoſi ſunt indigenæ & ingenioſi: vnde inoleuit prouerbium: Weſtphaliam vitioſos ac fallaces homines potius gignere quam ſtultos.

IVVENIS. Poſſent plura huius generis à nobis dici: Sed hæc ſufficiant ad denotandam ingeniorum ac morum diuerſitatem. Verum enimuero, quia de Italia, cuius tamen vel minimum angulum videre, mihi nunquam contigit prolixius me dicturum paulo ſupra pol-

licitus

licitus ſum, promiſſumque adeo hocce meum in debitum ceciderit; proinde mearum erit partium, illud exequi. Verum enimuero in qua Italiæ parte ordiar, animo angor. *Italia diuiſio.* Scio namque Italiam diuidi in multas regiones, verbi gratia, à Varo flumine ad Macram Liguria terminatur, vbi Genua illuſtris ciuitas. Inde ad Tyberinum amnem Hetruria, vbi Piſæ. A Tyberi ad Lyrim Latium, vbi Roma, intus Antium in ora: à Lyri ad Sarnum Campania, vbi Neapolis. Inde ad Silarim Picentinorum regio, vbi Surrentum & Salernum: à Silari ad Laium Lucania, vbi Peſtum & Buxentum: à Laio ad Leucopetram Brutium, in quibus Rhegium Iulium: à Leucopetra ad Iapigium promontorium, quod & Salentinum, magnæ Greciæ ora eſt, vbi Croton & Tarentum: ab Iapigio ad Brunduſium Calabria, vbi Hydruntum: à Brunduſio ad Garganum Apulia, vbi Barium & Salapia: à Gargano ad Sari fluuij oſtia Frentinorum regio, vbi Iſconium: à Saro ad Apernum amnem Marrucinorum ora, vbi Orton: ab Aperno ad Æſium fluuium antiquiſſimum Italiæ terminum Piceni, quorum Ancon: ab Æſio ſiue Aſio, vt quidam ſcribunt, ad Rubiconem recentius Italiæ confinum, Senones, quorum Phanum fortunæ, Piſaurum & Ariminum: à Rubicone ad Padi oſtia Boij quorum Rauenna: à Pado ad Tiliauemptum Veneti, vbi nunc Venetiæ: à Tiliauempro ad Natiſonem Carni ſiue Foroiulienſes, vbi Aquileia: à Natiſone ad Arſiam Iapiges & Iſtri, quorum Tergeſtum & Formio amnis & ipſe aliquando Italiæ finis. Apenninus mons totam terram velut in duas diuidit plagas, hanc ad occaſum & meridiem, illam ad ſeptentrionem & ortum obuerſam, ab Alpibus primo in Liguriam excurrens, mox inde Ciſalpinam Galliam & Picenum ab Hetruria & Sabinia dirimit, Anconemque progreditur, vnde auerſus in Apuliam & Garganum montem extenditur, Marrucinorum, Pelignorum, Frentinorum terram à Latio Campania ſeparãs. Vltimus eius conatus ex Gargano eſt ad Leucopetram, hinc Apuliam habens, Calabriam, & magnæ Græciæ orã, Picentes, inde Lucanos & Brutios. *Apenninus mons Italiã diſcernens.*

EQVES. Italia multis nominibus clareſcit. Eſt enim metallis grauida, vbique vitalis & perennis ſalubritas, eximia cœli temperies, cãpi fertiles, aprici colles, innoxij ſaltus, opaca nemora, munifica ſyluarum genera, mira frugum, vitium & olearum fertilitas, nobilia pecori vellera, opima tauris colla, perſpicui & piſcoſi lacus, flumina fonteſque ſaluberrimi, portus plurimi ipſa auide ad mortales iuuandos in maria procurrens, & velut gremium omnium gentium commercio pandens. *Italia quibus rebus clareſcat.*

Italorũ habitus, color, ſtatura. IVVENIS. Multis equidem nominibus clareſcit Italia. Verum enim vero vt habitus & color itemque ſtatura Italis diuerſa eſt; Namque in Ciſalpina Gallia Venetoque receſſu color vulgo candidus, cultus & ſermo accuratior: contrà in Hetruriæ tractu, Latio, Campania, Lucania, & Brutiis aquilus, capillus niger, breuior ſtatura, & macilenta, ſermo & cultus ſimplex. Omnia ſimilia in Piceno, & his, qui ſuperi maris oram accolunt, in magnam Græciam vſque, niſi quod in Apulis, Calabris, & iis, qui extremam tenent Italiam, victus & ſermo cum Græcis promiſcuus durat. &c. Ita ingenia Italorum varia ſunt, vſque adeo, vt vix duo aut tria parua inuenire poſſis, quæ non ſint planè diſſimili ingenio. Cæterum etſi vtile plane ac iucundum eſſet enarrare *Romanorũ ſtatuta antiquitus.* antiquorum Romanorum ſtatuta atque conſtitutiones, quales ſunt: de triplici ciuium conditione, Seruili, nimirum, libertina & ingenua; de triplici Ingenuorum ordine, Plebeio nimirum, Equeſtri & Patritio; de Dictatoris dignitate; de Militiæ gradibus; de legitima militia decennali; de cauſaria militia ignominioſa; de Municipibus; de Colonis, de Decurionibus; de Patriciis; de Equeſtribus; de Plebeiis; de Romanæ ciuitatis ordinatione; de hominum multitudine diuiſa; de agrorum in ſingulos diuiſione; de Patriciorum officiis; de Plebeiorũ officiis; de Patronis; de Clientibus; de centumviris cõſiliariis delectis; de Senatu; de Patribus; de trecentis robuſtiſſimis electis; de Celeribus; de Regis officiis; de dignitate conceſſa Senatui; de ſuffragandi ritu; de Celerum officiis; de mille pugnatoribus, delectis militibus; de Lictoribus cum faſcibus; de Apparitoribus; de lege in bello obſeruãda, de legibus à Romulo latis in fauorem fœminarum; de iure parentum in liberos; de peregrinis ſacris vrbe excluſis; de ſacris Herculeis; de Veſta dea tributim venerata; de anni in duodecim menſes diſtributione, de diebus faſtis & nefaſtis; de virginibus; de veſtalibus; de duodecim Saliis; de creatione Pontificis; de lugendi ratione; de populi in collegia diſtributione; de populi in claſſes diſtributione; de Equitum ordine; de Tributi penſione; de ſuffragandi ratione; de Equitum poteſtate, de Conſulum inductione; de trecentis Senatoribus; de Rege ſacrificulo, de Ærario; de Quæſtoribus creatis; de Dictatore in vrbe; de Magiſtro equitum; de Magiſtratu ſacroſancto; de Tribunis plebis; de tribus comitiorum generibus; de creatis decemviris; de legibus duodecim tabularum; de duobus Cenſoribus; de duobus Prætoribus, vrbano & peregrino; de iure honorario; de ludo circenſi ſiue plebeio; de Athletis; de Saltatoribus, de Tibicinibus, de enoplia ſiue

ſiue Pytricha ſaltatione; de Satyriſcis; de magnitudine Circi; de Ludis ſcenicis; de Hiſtrionibus; de conſecrandi ratione; & ſi quæ ſunt huius generis infinita. Hæc, inquam, etſi non minus vtilia quam iucunda relatu eſſent; nolo tamen in ijs recenſendis me ſimul & vos defatigare.

Italiæ mores recentes.

EQVES. Modernus potius à nobis conſiderandus eſt Italiæ ſtatus. Nimirum triplici iure hodie vtitur Italia, Pontificio, Cæſareo & Municipali: conſtat hoc ex legibus, quas aliæ ciuitates alia ſibi de cauſa condunt, ad bonum æquumque ſpectan-. Iudicia rerum ciuiliumque negotiorum hic iudicum ordines exercent, illic magiſtratus: nam non vna vbique eſt regiminis forma. Prima nobilitas militiæ, ſi felix ſit, ſequens, rei literariæ. Sacerdotium magis venerabile facit quam nobile. In claritudine literarum Theologi primas ſibi partes vendicant; ſecundas ab his iuris ſcientiæ periti: ſunt & Medici in admiratione: ſed maiore quæſtu. Mathematici, Dialectici, Aſtronomi & Poëtæ magis inter ſe ſunt clari quam vulgo conſpicui. Grammatici extremi omnium, vt qui inter pueros conſeneſcant. Eſt & ſacris oratoribus grande nomen, ſed maior veneratio. Oratoribus forenſibus maior quæſtus quam nomen. Eſt & Mercatura in magna celebritate: nam pretium hodie, vt ſemper, in pretio eſt. Pictores, ſtatuarij, fuſores in maiori ſunt admiratione quam agricolæ; etſi prima laus apud maiores his debebatur.

IVVENIS. Sæpenumero ego mecum ſoleo admirari, quod cum omnes homines gloriæ ac dignitatibus inhient, non tamen ex æquo omnes eodem ductu feruntur. Par namque fuerat, vt cum, quod iam dictum eſt, in claritudine literarum Theologi primas ſibi partes vendicent, omnes ac ſinguli abdicatis cæteris artibus atque ſcientijs, ad ſolum Theologiæ ſtudium, quippe quod in primo dignitatis gradu conſtitutum eſt, animos applicent.

EQVES. Sapientiſſimus omnium rerum opifex hæc pro naturæ rerum indigentia ita diſpoſuit, vt quod recte ait Plato, ciuitas ſiue reſpublica non ex Medico & Medico, ſed ex Medico & Agricola, id eſt, ex diuerſis hominum actibus atque commercijs conſtaret. Hinc varia illa diuerſarum quas allegauimus, Nationum ſtudia atque inclinationes. Sic amant Mediolanenſes Iuriſprudentiam, eique cum blattis & tineis decertanti, & opem & lucem multam attulerunt, & latinis literis illuſtrarunt. Ita tamen amant Iuris ſcientiam, vt cæterarum diſciplinarum cognitionem nemo queat illis adimere. Amant Florentini eam Philoſophiæ *Italorum*

partem, qua principes rerum cauſæ traduntur; plurimi faciunt Calabri literas Græcas. Neapolitani Ethruſcas, Luceńſes diuinas, Veronenſes politiores, Vicentini eam philoſophiæ partem, quam augentes latinam linguam moralem nominarunt, Bononienſes Mathematicas diſciplinas, Veneti rem muſicam, Ferrarienſes, Patauini, ac Salernitani Medicinam, Senenſes Dialecticorum argutias, præſertim ſi ab ea ſecta tradantur quam nominalium appellant, Peruſini ius Pontificium, Mantuani Hebræorum literas, Papienſes Sophiſtarũ nugas.

IVVENIS. Quænam vero in exercenda mercatura apud eos eſt ratio?

Mercatura. EQVES. In exercenda mercatura, quantam Dij boni, diſſimilitudinem perſpicio, ſunt Florentini callidi, atque ne vel minimam iacturam faciant, quo ſuis labores & quæuis incommoda libenter perferunt. Hanc vero Lucenſes negligentius, ac minore cupiditate exercent, & datam fidem nunquã fallunt. Genuenſes omnium hominũ auidiſſimi, ac laborum tolerantiſſimi, lucri faciendi gratia, deſertiſſimas ac remotiſſimas quaſq; regiones adeunt. Veneti vero aliam habent exercendæ mercaturæ rationem. Sunt enim excelſiore animo in hac re præditi, vel lucrũ referunt, vel inſigne detrimentum accipiunt præſentique pecunia & emunt & diſtrahunt. Cęteris vero Italiæ mercatoribus ſatis eſt obſtrinxiſſe fidẽ. Mediolanenſes tam mirabili ſunt ingenuitate, tantoque animi candore, vt rei venalis vicium (ſi quod ineſt) palam indicent, mallentque mori quam adſtrictam fidem non liberare.

Militia. IVVENIS. At in exercenda militia eſtne etiam aliqua diſſimilitudo?

EQVES. In hac ſane exercenda nonnihil apud eos eſt affinitatis, dum alius alium anteuertit, præripitque lucrum. In hac ſtrenui ſunt Peruſini, rapaces Piceni, præcipites Calabri, fortes, ſed inconſulti Emiliani, norũt ſtratagemata omnia Spoletini, crudeles Ferrarienſes & Placentini, felices Senenſes, truces Romani. Probantur Mantuani equites, pedites non item. Animoſi Bononienſes, ſed imperatori exercitus parum obedientes. Intrepidi Mediolanenſes, ſed ſuis plus mali inferunt, quam hoſtibus. Maritimis prælijs nulli cedunt Genuenſes, terreſtribus vero veluti languidæ pecudes ſunt: vbi ſtrepitum tormenti bellici ſenſerint, illico animus timore obſtupuit, neq; pes, neq; mẽs ſatis ſuũ officium facit, diceres Niobe ſtupidiores factos, aut pulchre appotos eſſe, Cremonenſes pugnæ ordinem eleganter conſtituunt, atque belliſſime acies inſtituũt. Nulli melius Neapolitanis, hoſtem adoriuntur, inſtant, premunt, ac dextra læua-

læuaque feriunt; Optime ſuſtinent impetum,atq; vrgentibus reſiſtunt. Fauentini premunt cædentes,ictus incutiunt,incuſſos deuitant. Periucundum eſt ſpectaculum intueri Foroliuienſes ad ducum ſigna dimicare ac proferre gradum. Non poteſt autẽ ſatis narrari quanta dexteritate Piſtorienſes clypeo ictus excipiant,ac contemnant. Acrius in hoſtem inſurgunt Laudenſes: Patauini vero & Veronenſes optime inſidẽt equis,vrgent ſtimulis,ac frenis moderantur, atque omnem in partem circumflectunt. Nulli melius Firmanis militibus tela ingerunt, aut vibrant lanceas, ac torquent haſtas. Papienſes nunquam niſi prorſus deſperata victoria de fuga cogitant. Fugientes inſequuntur ſtrenue,mactant,diripiunt,profligant. Vincentini ſæpenumero deſperata victoria ad vindictæ ſpem animum accendunt.

IVVENIS. Sed quid de Venetis, Florentinis, Lucenſibus & cæteris ſentis? Videris enim illos præterire velle ſilentio?

EQVES. Minime gentium: Sunt enim ij, Veneti præſertim, toto orbe clariſſimi. Sunt itaque in apparãdis claſſibus, extruendis arcibus, muniendis caſtris, locandiſque præſidiis peritiſſimi. Brixienſes excellunt extruendis vallibus, compingendis aggeribus, euacuandis foſſis, ſuffodiendis cuniculis, & fabricandis machinis: Bergomenses vero confingendis dolis, comportandis commeatibus, locandiſque inſidiis. Lucenſes bene ciuitates obſident, admouent machinas, fremunt tormentis, perfodiunt muros, concutiunt turres, ac primi ſemper occupant mœnia. Pratenſes & qui Politianum montem habitant, ſpoliant templa, vaſtant agros, diripiunt vrbes, ac incendia parant. Piſcienſes, Collenſes, & reliqua Ethruriæ fex ſtuprant viduas, rapiunt virgines, ac cædibus omnia replent. Florentini autem, id tantum in prælijs ſpectant, vt victoria potiantur, ad prædam minime auidi. Sunt autem optimi exploratores.

IVVENIS. Bellatores commemoraſti; itaque non alienum foret, ſi aſſe fuerit de iis pariter diſſerere, quæ ad conficienda bella pertinere exiſtimantur. *Bellorũ nerui atque inſtrumenta.*

EQVES. Inſtrumenta quæ ad conſerenda prælia faciunt, neceſſe eſt è varijs locis comportare. Afferunt pecunias Veneti quibus abundant, Ferrarienſes ſulphureum puluerem & bellica tormenta, Galeas Mediolanenſes, Equos Neapolitani, Carros Placentini, Clipeos Parmenſes, Tentoria Cremonenſes, Enſes Tarniſij, Lanceas Papienſes, Caluaria Viterbienſes. Afferunt Piſtorienſes optimos pugiones. Vicentini & Bononienſes ea p̃bent arma quibus vulnera fiunt circularia & omnium peſtilentiſſima, Lau-

Laudenſes præbent commeatum, Mediolanenſes vero & Neapolitani plus cæteris bellorum incommoda perferunt. Hem vides ſi non hæc inter ſe valde diſcrepant. Poſſem ego hoc pacto ſi velim in infinitum expatiari.

IVVENIS. Quid obſtat, cur non tuo arbitratu expatieris? me certe iuuat plurimum iſthæc tua expatiatio. Ego certe nimium turpe duco ab eo ſermone deſiſtere, è quo non ſolum mirifica voluptas, ſed incredibilis percipiatur vtilitas. Quid enim poteſt quæſo vtilius afferri, quam ſi illorum hominum quibus cum aliquando forſitan frequens eſt vſus, ita depingas ingenia, vt ſcias, quorum tibi conſuetudo prodeſſe aut officere poſſit. Ego mehercules non minus hac narratione delector, quam ſi quis poſtea acutiſſime philoſophando huiuſce rei, quam nunc quærimus, rationes explicet.

Italorum victus.

EQVES. Ad rationem itaque victus tranſeo. Si enim vlla in re viſi ſunt vnquam diſcrepare Itali, certe in ratione victus diſcrepant. Neapolitani ſummo ſplendore & plus ſaccari abſumunt quam panis, caulibus præterea libentiſſime veſcuntur. Florentini parci, non auaritia, neque inopia, ſed natura, mira tamen ſunt munditie, habent in delitijs paruos quoſdam caſeos, qui à menſe Martio nomen traxerunt, dictique ſunt Martionili. Lucenſes in victu quemadmodum in pleriſque alijs rebus auream illam mediocritatem quæ tantopere placet peripateticis, ſectantur, delectantur ij plurimum quibuſdam piris, ea eſſe puto quæ olim Tiberiana dicebantur. Tenuiſſimi ſunt Genuenſes, nullaque munditie victitant. Mantuani vilibus phaſellis, Ferrarienſes raro peregrinos ad eorum menſas admittunt: quo conſilio id agant, non facile dixerim. Victitant Patauini piſciculis minutis obolo emptis: Veneti paruo obſonantur; tenuiter viuunt Auentini, ſplendide Senenſes, caſeiſque recentibus mirum in modum delectantur. Copioſi Mediolanenſes & ijs rebus frequenter vtuntur, quæ ad irritandam ciborum appetentiam faciunt. Papienſes veſcuntur libenter lactucis, cæpis, atque allijs. Nouocomenſes infinitis epulis menſas inſtruunt, atque edendi nullum finem faciunt, butyro veſcuntur cupidiſſime, atque ſtrenui ſunt potatores. Lacticiniorum & omnis generis fructuum frequens eſt vſus apud Placentinos. Magnifice admodum viuunt Veronenſes, Baſilice Vicentini; delectantur anſeribus Ariminenſes, ficubus Piceni & ſuilla carne, appetunt Taruiſini ranunculos & cancros, lauta eſt Bononienſium menſa, ei tamen lauticia & ſplendore Cremonenſis non cedit, vtraque vero farciminibus delectantur:

piſce

piſce quam carne lubentius veſcitur Peruſinus, (modo ex eorum lacu prodierit) cæteros contemnit. Aſtenſes opipare viuunt, Laudenſes copioſi, ſed inconditi, Terdonenſes ac Nouarienſes nimium acribus delectantur, Pedemontani omnes in victu gallicanum neſcio quid redolent, Anconitani ſordidi ſunt. Reliquas Italiæ rationes perſequi non eſt conſilium, tum quod non ſatis cognitæ ſint, tum vt ſi etiam alia quæ deſiderantur narrandi ocium, ſtudiis animum meum diuerſe trahit, rapitque modo in hanc, modo in illam partem. Cuperet Guingius primum expediri variam orationem. Sed me Turchius acriter vrget, vt varietatem veſtitus ediſſeram, quod certe libenter facio, quia ſcio me rem gratam facturum.

Italorum veſtitus.

IVVENIS. Sed quænam veſtimentorum apud Italos eſt conditio?

EQVES. Olim ſplendidiſſime veſtiebant Mediolanenſes: Sed poſtquam Carolus Cæſar in eam vrbem Antonium Læuam immiſit, ita conſumpti & exhauſti ſunt, vt veſtimentorum ſplendorem omnem maxime oderint. Non potuit tamen illa Leuiana rabies tantum perdere, neque illa inexhauſta deprædandi libidine tantum expilare, quin à re familiari adhuc belle parati ſient, atque ita veſtiant quemadmodum decere exiſtimant. Neapolitani nimios exercent in veſtitu ſumptus. Genuenſium veſtitum perelegantem iudico, neque ſagati ſunt, neque togati. Ferme oblitus eram Venetorum, hi togati omnes. Decet quidem ille habitus adulta ætate homines: Iuuenes vero (ſi quid ego iudico) minime: vtuntur panno quem ipſi vulgo Venetum appellant, ita probe confecto, vt perpetuo durare exiſtimes: ſæpiſſime vero eas veſtes geſtant nepotes, quas olim tritaui geſtarunt. Noctu autem dum ſcortantur, ac potant, Hiſpanicis palliolis vtuntur. Si non habeant, dant omnẽ operam vt aliunde, quo iure, quaq; iniuria corradant, coguntur que interdum peregrini ſuos deſerere. Ferrarienſes ac Mantuani nihil tam diligẽter curant, quam vt pileos habeant aureis quibuſdam fruſtilis adornatos atque nutanti capite incedunt, ſeq; quouis honore dignos exiſtimant. Lucenſes, neque ſuberbo, neque abiecto veſtitu. Florentinorum habitus mihi quidem ridiculus videtur. Reliquos omitto, ne nimius ſim.

IVVENIS. Annon etiam in ſermonum ac vocum dialectis, quemadmodum Germani, Græci, aliæq; nationes, variant?

Sermonum dialecti & variationes.

EQVES. Omnino verò variant, exindeq; ſe inuicem deludunt. Irridentur Mediolanenſes à multis, ipſi interim multos irridẽt. Neapolitani

litani Calabros, Calabri Appulos, Appuli Hidruntinos, hos autem omnes Romani, Romanos Hetruſci. Hetruſci vero quanquam cæteris excellant, effugere tamen non poſſunt, quin & ipſi ridiculi ſint, aut ſaltem quin ſe mutuo lacerent. Multa ſane perperam pronunciant & Florentini & Lucenſes. Rudis videtur pleriſque Mediolanenſium oratio, explicant illi tamen facile animi ſui conceptiones, neq; quicquam emendicati, aut affectati habent. Tardi ſunt Veneti, eorumque pronunciatione nihil putidius. Ridicula Genuenſium, neq; literis conſignari poteſt. Iucundiſſima Senenſis, non minus iucunditatis, aut fortaſſe plus Florentina haberet, ſi voces non ingurgitaret, aut non ita palato lingua iungeretur. Qui vult Muſas loquentes audire, is eos Lucenſes audiat, qui non peregre fuerint. Ferrarienſes oratione plane ferrea, id eſt, vt ego interpretor, indefeſſa. Duriter pronunciant Bergomates ac Brixienſes, faceta eſt Peruſina, non omnino inſuauis eſt Bononienſis, celerius loquuntur Spoletini, Verſuti ſunt in oratione Fulginates, balbi Nouocomenſes, graues Capuani, ſuperbi Romani, feſtiui Piſtorienſes ac Pratenſes, non vacat dicterijs Conſentina, plena faſtidij & iactantiæ Neapolitani. Prompti ſunt Narnienſes, mendaces Piceni, Leues Vmbri, vacat lenocinijs omnibus Nouarienſis, lapides loquuntur Appuli. Afferunt incredibilem moleſtiam Pedemontani, omnium vero peramæni ſunt, qui Politianum montem incolunt.

IVVENIS. Vix poſſum præ gaudio intra pelliculam me continere, propterea quod me autore tot tantaque ex te didici, quam graphice hominum mores depingis, quam belle omnia obſeruas, perge quæſo, atque nobis varias nationum iſtarum dotes enarra. Aperiam itaque nunc porro, quæ ſit in conſilio aut dando, aut accipiendo diſſimilitudo. *Conſiliorũ diſsimilitudo.* Præſtant conſilio Mediolanenſes, ſed aliorum gratia potiuſquam ſua. Sunt nullo conſilio Genuenſes, rumor eſt Venetos abundare. Sunt perutili conſilio Lucenſes, idque apertè indicarunt cum in tanto totius Italiæ ardore, tot hoſtibus circunſepti ſuam libertatem, ad quam nati videntur, ſemper tutati ſint: nulla quidem aut capitis aut fortunarum ratione habita. Lucanis vero ſummum eſt ſtudium, eos deludere, qui conſilij captandi gratia adeunt, ipſi vero omnia inconſulte & temere faciunt. Brutij optimo ſunt conſilio, ſed vt incommodent, ac perniciem afferant, in rebus quæ ſunt magnæ deliberationis, dictu mirum quam ſtupidi ſint: iiſdem plane dotibus inſtructi ſunt Volſci, niſi quod ad cædes ac furta paulo propẽſiores ſint.

Piſa-

Piſani bono quidem ſunt conſilio, ſed parum conſtanti, ſi quis diuerſum ab eis ſenſerit, mox acquieſcunt, rurſus ſi aliter ſuadeas, mutabunt conſilium. Illud in cauſa fuit, quod tam duram ac diuturnam obſidionem ad extremum vſque non pertulerint. Placentini vtriſque abundant conſilijs, ſcilicet ſalutaribus, ac pernitioſis, non facile tamen ab eis impetres peſtilens conſilium. Apud Regienſes neque auxilij, neque conſilij copiam inuenias. Si ſequare Mutinenſium conſilia, raro cædet infeliciter, ſunt enim petacutiſſimo ingenio & voluntate plane bona. Prouidi ſunt Florentini (ſi vnumquenque ſeorſum accipias) ſi vero ſimul coniuncti ſint, non admodum illorum conſilia probantur; feliciter cedunt Senenſium conſilia; Subita ſunt Peruſinorum, ſalutaria Ferrarienſium, fideli ſunt conſilio Veronenſes, ſemper ambigui ſunt in conſilijs aut dandis aut accipiendis Patauini. Sunt pertinaces in eo quod cœperint conſilio Bergomates, reſpuunt omnium conſilia Neapolitani, ſunt conſultiſſimi Bononienſes. Ego vero ſum minimo conſilio, qui tam dura tractare cœperim. Quam dura in me exempla edent ij, de quibus minus honorifice ſentio, (ſi aliquando reſciuerint) itaque non alienum fuerit, priuſquam vlterius progrediar, vos ſancte iurare, me nũquam delaturos, alioqui aut deſiſtam, aut formidoloſius cœptum negocium perficiam. A te primum mihi metuo venerande Senex, non ꝙ te futilem aut rimarum plenum exiſtimem, ſed quia tibi cum iis, de quibus bene ſentire non poſſum, plurimum fortaſſe poſſit eſſe domeſtici vſus.

SENEX. A me vero nihil periclieſt, perge amabo te & quantum potes plenius expone.

EQVES. Poſtquam id vos tam ardenter cupere video, mos gerátur. Sunt Lucenſes etiam aduerſus hoſtes miti ingenio, facilique natura. Mediolanenſes facile acceptas iniurias condonant (modo commeritam pœnam deprecentur) alioqui probe iniurias vlciſcuntur. Sunt Neapolitani iniuriarum ſtrenui vltores, ſimili ingenio ſunt Ferrarienſes & Placentini, ægre condonant Florentini, diſſimulant odia Peruſini, vlciſcuntur auorum ſuorũ iniurias Fulginates. Fingunt condonare Veneti, ſed ſi aliquando nanciſcantur vlciſcendi locum, nulli crudelius vlciſcuntur, obliuiſcuntur iniuriarum Mutinenſes, ac Regienſes, occulta ſunt Picenorum odia, aperte oderunt Cremonenſes. Tanta ſunt animi magnitudine Senenſes, vt vix agnoſcant iniurias, ſunt obſcurius iniq Romani, Aſtenſes facile quaſcunq; iniurias deuorant, Papienſes faciles ſunt ad ſuſcipiendam indignationem, faciles etiam

Italorum diuerſitas quo ad leuitatẽ & iniuriam

etiam ad deponendam. Bononienſes ad miſericordiam propenſiores ſunt. Ignoſcunt libenter Nouocomenſes ſi quid in eos peccetur, faciliores etiam Laudenſes ſunt (modo quis ſeſe ſupplicem offerat.) Sunt autem beneficiorum maxime memores & grati Lucenſes, Mediolanenſes, Florentini, Senenſes, Neapolitani, Veronenſes Brixienſes, obliuioſi vero Genuenſes, Veneti, Patauini, Nurſini, Appuli, Brunduſini præſertim.

Italorum amatoria ingenia.

IVVENIS. De ſimultatibus atque odijs quadantenus egiſti hactenus, æquum mihi videtur, vt etiam de rebus Italorum amatoriis, quippe quibus plus nimio ſeſe ſolent immergere, nunc porro agas.

EQVES. Nihil, quantum mihi quidem de hiſce rebus conſtat, prætermittam, pax tamen ſit pudicis auribus, ſi quid forte minus pudicum effluet. Mediolanenſes ſunt Italorum omnium minus zelotypi, nec admodum obſtinate amant, cupiunt carnariam, oderunt pinguiariam, amant vero maxime quæ ſunt proceriore ſtatura. Mantuani in amata fœmina ſi bene choreas ducat nihil præterea deſiderant, ſunt tamen ſatis induſtrij. Florentini illud primum requirunt, ſumma ſit modeſtiæ fama, non ſit loquax, terram modeſte intueatur, neque hac, illac curſitet, ſed domi veluti coclea lateat. Neapolitani fumoſas imagines quærunt, neque amant, niſi ſit elato animo, atque omnium perditiſſime amant. Lucenſes, cum ſint in amore omnium dicam conſtantiſſimi an pertinaciſſimi, eandem etiam pertinaciam in fœmina expetunt, cupiunt præterea, ſit in ea ſumma grauitas, cum humanitate coniuncta, habeatque optimam corporis conſtitutionem. Sunt Veneti omnium libidinoſiſſimi, ſine delectu amant, ſunt etiam in amore nulla conſtantia, modo hanc, modo illam depereunt, verum, neque huic, neq; illi fidem ſeruant: vbi potiti fuerint, ſtatim deſpiciunt, eandem non ſæpe adeunt, ſi ſe facilem non præbeat, de inferenda vi cogitant. Ferrarienſes amoribus ſunt deditiſſimi, atque ardoris impatientiſſimi, ſibi tamen in amore plus ſatis placentes, nulli riuales impatientius ferunt. Sunt egregij formarum ſpectatores Senenſes atque vt amata potiantur, nihil intentatum relinquunt, cupiunt autē quæ ſit proceriore ſtatura. Peruſini quas amant, cupiunt audentiores eſſe, expetunt in fœminis dentium candorem, & cæſios oculos. Brixienſes timidulas præcipue commendant, cum tamen pleræque omnes ſint excelſi animi. Calabri in ea quā depereunt, quærunt cutis candorem, rubore circunfuſum. Patauini in muliere deſiderant exiguas papillas; id eſt

cauſæ

cauſæ, quod illic complures fœminas cõperies, quæ plantaginis ſucco ne nimium excreſcant, ſedulo dent operam. Non abhorrent à fœminis Vicentini, & in ea quam amant, nihil præter miram elegantiam quærunt. Sunt magni amatores Genuenſes, atque vt amata potiantur, nullum aut fortunæ, aut capitis diſcrimen recuſant ſubire, ſi ſe ſperni intelligant, perpetuo lugent, amant vero quæ ſunt craſſioribus lacertis, rubicundiore vultu, ac pleniore pectore. Veronenſes neque nimium facilem, neque nimium difficilem. Mutinenſes, pulchras nõ putant, niſi belliſſime vultum ceruſſa & purpuriſſo infecerint. Fide ſunt Bononienſes in amore ſingulari, & adamatam mirandum in modum colunt, neque ſunt admodum Zelotypi, largiſſime donant, (ſi potiantur) alioqui nihil extorquebunt. Placentini deſpiciunt maxima quæque, vt amata fruantur, ſi zelotypiæ morbo corripiantur, mox adamatam iugulant, in ea vero iucunditatem potiuſquam pulchritudinem expetunt, Cremonenſes cupitum canora voce, fidibus doctam, oculis nigris. Rauennates, volunt dicto audientem eſſe, alioqui non amant. Vrbinates amãt facundas & vrbanas, oderunt verò maximè ignauas, ſi in zelotypiæ morbum fortè cadant, mox recludunt, diligentius adſeruant, ac minis perterrefaciunt. Romani, ſiue mauultis Romanenſes, grauem & maieſtatem quandam præ ſe ferentem expetunt, ſi fiant zelotypi, in profluentem Tyberim deturbant. Tarentini pinguiores volunt, garrulas, feſtiuas, candidas, & quæ cultiore veſtitu delectentur, in quem (ſi rei familiaris anguſtia pateretur) ſunt ſuapte natura propenſiſſimæ. Monopolitani eas fœminas in primis commendant, quæ paulo habitiores ſint, voce ſuaui, lingua celeri. Piſani nihil in fœmina tam ardenter cupiunt, quam vt ingenua ſit, bonis moribus prædita, ſimplici & aperto animo. Cortonenſes pathicam adorant, neque vnquam amari ſibi perſuadent, ſi fruãtur, cœlum digito contingunt; ſi ſpe fruſtrantur, tanto corripiuntur furore, vt ſe plerunque interimant. Piſtorienſes quãquam ſint factioſiſſimi, ac domeſticis cædibus intenti, non abhorrent tamen ab amoribus, cupiunt autem ij rubicundas eſſe, manibus oblongis, tenuioribus lacertis, ventre tereti, neque nimium loquaces, neque plane mutas, adde in eos male animatos quos ipſi oderint, raro autem zelotypiæ morbo afficiuntur, neque tam ardenter amant, vt ſi aliquando eam diuerſæ factionis intellexerint, quin mox veluti peſtem fugiant. Sauonenſes vero etſi Genuenſibus finitimi ſint, habent tamen diſſimile ingenium, amant pulchre ornatas, vultus nitorem, optimum colorem, oderũt

quæ peregrinos odores ſpirant, rarius coëunt, rei domeſticæ diligentiorem curam habent, liberos melius inſtituunt, miniſtros etiã multo maiore indulgentia tractant. Viterbienſes, vbi illos cœpit ſacietas, in quæſtum producunt. Sunt autem ad expugnandam fœminarum pudicitiam mire appoſiti, dolis & technis rem agunt. Reſtat modo narrem, quibus modis amorem ſibi concilient.

IVVENIS. Heus, Eques, nõ didiciſti tu quidẽ hæc ſomniãs? Quot puto tua cauſa ad laqueum adactæ?

EQVES. Id mihi contigiſſet fortaſſe, ſi tam furacibus oculis, ſi tam liberali imperio, ſi tam egregia corporis cõſtitutione, deniq; ſi iis moribus eſſem, quibus te ornatum clariſſima omnium voce prædicatur. Sed didici ego iſthæc, dum curioſorum hominum more, aliena petueſtigo, domeſtica vero negligo, vel oſcitanter tracto.

IVVENIS. Tanto polles tu quidem ingenio, vt vtrunque egregie potueris præſtare. Sed proſequere quod cœpiſti.

Itali quomodo de amore ſibi concilient. EQVES. Quemadmodũ varia ſunt amantium ingenia, ita etiã variis artibus inſtructi, ſperant ſe voti compotes futuros. Neapolitani dũ bene inſident equo atque ſumma corporis dexteritate nunc in hanc, nunc in illam partem flectunt, dum ſplendide veſtiunt, haſtiludia exercent, atq; opobalſama ſpirant. Student placere Mediolanenſes opiparis conuiuiis, ſi ſe negligi ſentiant, continuo maledictis lacerãt, Gallico mobo infectam paſsim euulgãt. Ferrarienſes amatam in cœlum ferunt, coreis Mantuani, Peruſini minis ac blaſphemiis, Veneti illa ſua ridicula magnificentia & inſana iactantia. Bononienſes donis, Florentini rithmis, Senenſes dum falſas lachrimulas vi exprimunt, Lucenſes pertinaciter amando, Vicentini perpetua conſectatione, Veroneſes obſequiis, Romani iocis, Cremonẽſes cãtilenis, Aretini facetiis. Si quid pecco, date quæſo veniam.

EQVES. Tu probè tuo defunctus es munere. Sed enim, ne quid à te prætermittatur, quæſo varios etiam excipiẽdorum hoſpitum nobis enarra mores.

EQVES. Cõmemorabo omnino. Interim vitio mihi non vertes, ſi nõ eum ordinem ſequar, quem cõmemoratarum vrbium ſitus ipſe depoſcit. Id enim nihil ad rem facit. Ego de iis primum dicam quæ primũ in mẽtem venerint, nullam prorſus rationem habens aut antiquitatis, aut ſplendoris, aut meritorum. *Italorũ varij in excipiendis hoſpitibus mores.* Occurrunt primum Calabri, ij ſunt in peregrinos officioſi (ſi ſit cum iis faciendi lucri ſpes aliqua) alioqui quãtum poſſunt vitant, aut donant quæ ſpernunt & oderunt. Amant peregrinum Neapolitani, ſi quippiam habeat in ſe eximium & excellens. Lucenſes verò, non ſolum amant,

ſed

ved reuerentur, atque omni officij genere complectuntur, cauentque ne quid apud ſe incommodi patiatur. Florentini ſunt officioſi, & re & cōſilio iuuant, neque commodum vllum reſpectant. Si diutius apud illos fueris, & ſenſus & fortunas omnes aperiunt. Senenſes non minore contentione pro externorum dignitate certant quam pro aris & focis. Sunt verbis tantum officioſi Veneti, re ipſa nihil prorſus. Aſtenſes nihil non faciunt, quo ſibi externorum hominum beneuolentiam concilient. Simili ſunt ingenio Vercellenſes, certant ſimul de promerenda hoſpitum beneuolentia. Agreſtes ſunt Spoletini & Nurſini, inhoſpitales Patauini ſi commodū non ſpectent, oderunt Bergomates. Veronenſes nihil aliud ſtudent, quam vt hoſpites omni officio ac potius pietate complectantur. Mediolanenſes etiam ſuo magno incōmodo ſunt officioſi. Papienſes non ita inhoſpitales. Genuenſes etiam in eos quorum ipſi benignitatem aliquando experti fuerint. Cum Ferrarienſibus etiam ſi illic ſeculum agas, nihil tibi poterit eſſe domeſtici vſus. Mantuani hoſpites deglubunt, Parmenſes benigne quidem excipiunt, ſed mox faſtidiunt, nimium ſeueri ſunt Placentini. Nulli prolixius peregrinos accipiunt Mutinenſibus. Amant quidem Nouocomenſes, nulla tamen officia aut ſtudia (etiam ſi vehementer indigeant) conferunt: inſenſi ſunt Piceni. Sentio multam mihi oboriri ſacietatem: proinde facite quæſo mihi, aut quieſcendi, aut reſpirandi poteſtatem.

IVVENIS. Ego quidem ſatis dictum exiſtimo, neq; video quid poſſit amplius afferri (niſi tibi fortaſſe libeat vt fœminarum Italicarū mores pari diligentia deſcribātur) quod certe mihi gratiſſimum foret.

Fœminarū Italicarum mores.

EQVES. Auſpicabor igitur à Lucenſibus, quæ ſunt & pudicitia inſignes & optimæ matresfamilias: adde, apparandorum cōuiuiorum doctiſſimæ. Senenſes ſunt egregia forma, moribus laudatiſſimis, graues etiam & ſapientiores quam auſim deſiderare. Petrarcę, Dantis, ac hui⁹ farinæ ſcriptoribus, maxime delectantur. Peregrinos, omnib. demerentur officiis. Florentinæ delicatiſſimæ ſunt, ſuendi peritiſſimæ & cæteris indulgēti⁹, liberos, miniſtros, familiam deniq; omnem tractāt. Piſtorienſes lingua diſertiſſima, neq; grauantur admodum copiā ſui facere, etiam nulla lucri ſpe oſtentata. Maritis ſæpe memorabiles impoſturas faciunt. Peruſinæ forma præſtātiſſima, moribus non cōtemnendis ab amoribus non omnino abhorrentes, omne illarū ſtudium, tergēdis ac bene manibus eluendis, piſcatione etiā maxime delectantur. Nouocomenſes, maritos planè beatos faciunt, cum capiti veruecina diademata imponunt. Romanæ grauitatē & re-

& religionem multam præ ſe ferũt, iis tamẽ ſtudiis delectantur quibus pleræque omnes. Caietanæ amoribus vſq; adeo deditæ, vt ſæpe maritos deſerant, per ſe quidem pulchæ, natiuam tamen pulchritudinẽ quantum poſſunt adiuuant. Capuanæ ſuperbæ, arrogantes, nec forma, nec moribus, nec opibus inſignes. Coſentinæ obſtinatæ, ac fallaces, pereleganti iudicio & ingenio. Neapolitanæ ancillarum gregẽ ſecum ducunt, rem domeſticam diligentius curant, & amatores ſuos religioſiſſimè colunt. Beneuentanæ forma ſunt ruſticana. Brundulinæ facie liberali, ſed inertiſſimæ. Quo ſint Picenæ in exteros animo, non facile iudices, ſiquidem nimium diligenter aſſeruantur. Bononienſes corpore ſucculẽto, colore ſubaquilo, lachrymarum ac ſuſpiriorum auidiores certe, quam quis poſſet ſuſpicari. Ferrarienſes amatores ſuos ſpoliant, mutilant, lacerant. Mutinenſes facili, benignaque natura. Rauennates non ſinunt omnino amatores ſuos deſperare, vndiq; ſemper ſpem aliquam iniiciũt, ſunt plenæ humanitatis & colore muſtelino. Ceſennates paulo rapaces. Piſaurinæ & Vrbinates, (quanquam videantur agreſtam naturam præ ſe ferre) nullæ tamen benignius, aut prolixius, peregrinos excipiunt. Parmenſes & Placentinæ ſunt planè ſimili ingenio, id eſt, vt ego interpretor, auaro, duro, & difficili. Arridebunt Papienſes, ſi crumenam habeas pecunijs refertam, alioqui caſtitatem præclaram fingent. Mediolanenſes, ſi oris figura, cæteris non præſtant, laterum tamen firmitate, corporis habitudine, ac ingenij felicitate nulli cedunt. Sunt Mediolanenſes acu pictores clariſſimæ, Oeconomiam optime exercent, iucunda eſt illarum conſuetudo, ſunt perurbanæ & facetæ, ſunt in eos propenſæ qui aut doctrinæ, aut bellicis laudibus excellũt. Petaces ſunt Pedemontanæ, ſupeſtitioſæ Laudenſes, luxui addictiores Cremonẽſes. Externorum non minus amantes quam ſuorum Vercellenſes. Ego, quanquam nunc hanc, nunc illam Italiæ partem perſequor, nullas tamen prætermittam. Etſi ſcio, nõnullos commoueri, veſtra profecto eſt culpa, qui ad hoc nolentem & inuitum pertraxiſtis. Equidem, ſi quod, hac re, mihi contigerit infortunium, tecũ expoſtulabo, qui me ad hoc non ſemel cohortatus es.

IVVENIS. Vt expoſtules, ego ſuſque deque fero. Nolim enim ego magna mercede hanc ſermonis partem interrumpi. Interim perge nihil enim de iis adhuc narratum de quibus maxime oportuit: nempe de Genuenſibus ac Venetis.

EQVES. Sunt itaque Genuenſes, ſalaces, loquaces, plenæ confidentia, cæterum, egregia forma amãtium ſuorum ſtudiis admodum obſequentes eos crebris muniſcu-

his

llis donant, raro expilant, non facile recludi patiuntur: amāt enim hac atque illac circumcurſandi libertatem, ſuos lubentius quam alienos complectuntur, circumferunt libēter roſas ac bene olentes flores, humaniſſime ſalutant quoſcunque habuerint obuios. Sunt Venetæ ingenio mirum in modum vario, cupiūt flauos capillos,& cutis cādorē multo ſibi comparāt artificio, ſunt quidem forma bona, ſed geſt⁹ & mores plane meretricios habēt, ſunt tibiis breuioribus, illic multas offendes quæ lucri gratia ſe proſtent, multas item quæ ſolum amoris quadam abundantia libenter aſſentantur, nimio luxu diffluunt, voluptatib⁹ deditiſſimæ, oratione ſunt placidiſſima ac lenociniis plena, ſi ſe amore capi ſinant (quod ſæpiſſime fit) nullum omnino diſcrimen faciunt pulcher an deformis, ſplendido an obſcuro loco natus ſit. Taruiſinæ iiſdē fere moribus quibus Venetæ ſunt, minore tamen corporis elegātia & cultu. Sunt mirum in modum zelotypæ (ſi quē amare cœperint.) Amāt prudentiſſime ac conſtanter Vicentinæ. Cremenſes & Bergomates fallunt & ludificant ſæpiſſime amatores. Veronenſes ſunt ſatis pudicæ, graues,& gratioſæ. Brixianæ omniū belliſſime rem familiarem curāt, & egregie filant. Aretinæ omnium tenaciſſime amant,& ſæpe cātilenis amatorum ſuorum laudes celebrant: optimæ textrices ſunt. Fauentinæ & Foroliuienſes: ardenter amant Eugubinæ: auaræ sūt Anconitanæ: placidiſſimæ Aſtenſes. Terdonenſes & Nouarienſes fęminæ ſunt multa induſtria, neque illarum amplexibus quis fruitur, niſi virtutibus ornatus acceſſerit.

SENEX. Tædet mehercle tam prolixæ narrationis; curemus quæſo ſedulo, vt priuſquam nos dies deficiat, cęptus abſoluatur ſermo. Vos tam longe expatiati eſtis, vt fere inſtitutæ quæſtionis obliti ſitis. Illud namq; inueſtigare propoſitum nobis erat, vnde tam varij mores exiſterent atque naturæ.

EQVES. Atque ea de cauſa tot hominum à nobis fuerunt enarrata ingenia. Ac quæſtio ardua quidem eſt, quam ruminaris, ſed quid poteſt eſſe tam arduum, ꝙ excellens tuum ingenium non perueſtiget? Itaque huius quæſtionis reſolutionem ad te deferimus, teq; veteranum Philoſophum audire deſuper cupidiſſime expectamus.

SENEX. Inſignem mihi facitis iniuriam, qui ſic meam imperitiam traducere cupitis. Sed enim, quum ſemper mihi fuerit in omni vita ꝓpoſitum, vt nihil recuſarem, aut difficile exiſtimarem, quod viris bonis gratiſſimū eſſe intelligerem. Quare quicquid hic ingenij mei imbecillitas præſtare poterit, efficiam cùm libenter, tùm etiam diligenter. Plurimæ ſunt (vt ſcitis) Philoſophorum ſectæ quæ de moribus tradiderūt, vt *Ingeniorum diuerſitas vnde.*

Academica, Cirenaica, Eliaca, Megarica, Eoritica, Stoica Peripatetica, ad has ego, cum aliàs in hac cogitatione eſſe contuli me, diuque apud illas verſatus, didici non poſſe hanc diſciplinam quæ ad mores ſpectat, vllis comprehendi ſyllogiſmis. Sed vario vſu, longaque obſeruatione ac multa cōſuetudine hominum: præterea mores ſæpiſſime mutari. Sunt enim quædam nationes (vt inquit Iulius Firmicus) ita à cœlo formatæ vt propria ſint morum vnitate perſpicuę, affert ille nonnulla exempla, vt ſtolidos Gallos, iactabundos Hiſpanos, voluptarios Aſiaticos, acutos eſſe Siculos, ſed exemplorū iam vox fortaſſe tenet ſacietas: habent itaque ſingulæ nationes, à ſuperis agnata ſibi morū diſcrimina per quæ facile queant dignoſci. Si quis nunc alias rationes afferre conetur, ludet ille quidem (meo iudicio) operam omnē: non enim fieri poteſt vt quis tam acuta ingenij acie ſit aut tā conſummata eruditione, qui ſcire queat cur Ligures mendaces, aut cur ſint Inſubres tam exterorum amantes. Profecto, ſi omnium ingenia & linguæ id effari cupiant, certe nō poterunt. Iſthęc igitur ingeniorum multiplicitas, ab illa rerum omnium parente natura prouenit, cuius arcana nemo inueſtigare aut perquirere poſsit. Equidem, rei difficultas deterruit me ſæpe. Verum cum ſuper hac re ſermonem ſemel atque iterū cū doctiſsimis viris habuiſſem, neque aliud vnquam extorquere potuiſſem, quam ita à natura conſtitutum eſſe, cœpi ego quoque in hac ſententia conquieſcere, in ea futurus, quoad meliorem inueniſſem. Vos ſi quid melius ea de re animo conceptum habetis, promite quæſo vt à vobis doctior & excultior diſcedam. Equidem hac in re illud cōtigiſſe arbitror quod etiam in promulganda Hebræorum lege contigit. traditum eſt enim à Iuſtino Philoſopho pariter & martyre, Deum optimum maximum imperaſſe, vt lex ipſa promulgaretur: legis autem interpretatio minime: ita etiam cōceſſum puto, vt varia eſſe hominum ingenia dignoſceremus: huiuſce autem rei cauſam latere voluiſſe, quēadmodum & alia multa, quo nos ſemper diſcipulos habeat.

IVVENIS. Ego quidem nuper cuidam ſciſcitanti [illegible] reſponſi, verebar tamen, vt ipſi parum ſatisfeciſſem, propterea quod nullas attuliſſem cauſas ſecretiores. Sed cum nunc audiam, non poſſe vna voce vnoq; cōſenſu alias afferri rationes, proinde factus nunc ſum ipſe multo hilarior. Atque hic quidem dies nobis conſumptus ſiet.

FINIS Tertij Colloquij.

COL-

COLLOQVIVM QVARTVM,

In quo de locis & ſalibus, quatenus exerceri atque vſurpari in tanta ingeniorum ac ſtatuum diuerſitate citra offenſam poſſint; vbi etiam quædam de ſcurrilitate, ſimulatione ac diſſimulatione cæteriſque quæ his confinia ſunt, adnectuntur. Hinc recta ad Iuriſprudentiam, ipſoſque adeo Iuriſconſultos fit tranſitio; quibus poſt longam concertationem (quum lites non debeant propagari vt vites) aliquo modo placatis, fit demum tranſitus ad cæteras facultates & ſcientias tam liberales quam illiberales, humaniores ſimul & inhumaniores, adeoque etiam mechanicas eaſque non minus ſordidas quam pretioſas atque famoſas. Ad extremum Magiſtratus pij ſimul & profani cum ipſorum officiariis ac ſubditis idea proponitur; idque non in vnico hoc, ſed in cæteris colloquiis.

SENEX. EQVES. IVVENIS.

CVm non ex heſterno tantum, ſed etiam ex nuperis noſtris Colloquiis, intentionem veſtram augurari facile queam; quæ quidem eo omnimodo tendit, vt cum varia ſint hominum ingenia, variique motus atque effectus; de ſingulis, quoad quidem eius fieri poſſit, ſigillatim, inſperſis hinc inde iocis ac ſalibus, & fortaſſe etiam ſcommatibus, per amœniora interualla ſuaui ſermone agatis. Proinde ab ætate mea atque conditione nõ alienum fore exiſtimaui; ſi prius

de ſalibus ac iocis, quinetiam ipſis ſcommatibus, aliquid præmoneam. Sunt enim in omni hominum genere tenues quædam articulæ, quæ ad leuiſſimam quamuis puncturam facile offenduntur, iratique adeo atque irritati cœlum terræ miſcere comminantur.

EQVES. Idipſum eſt, quamobrem hactenus varios gentium mores atque humores allegauimus, vt quantum quidem id fieri poſſet, ad cuiuſque mores atque ingenium nos accommodemus. Quemquam mordere aut pungere, minime noſter eſt animus; ſi quis tamen morſum ſe ſenſerit, ſiue ipſius prauitati, non noſtræ intentio morſum illum adſcribat. Verum enimvero, cum vt Iuriſconſultorum ſchola loquitur, ſuperflua non noceant; imò ſæpenumero quædam quæ videntur ſuperflua, omnium maxime ſit neceſſaria, atque in iiſdem ipſis cautio ſumma adhibenda. Etſi itaque in ſalibus ac iocis adhibendis, nobis quidem videmur ſatis ſapere; quia tamen, iuxta prouerbium, nimium ſapere, ſæpius deſipere eſt, proinde præmonitionem imo cautelam, quam benignè nobis offers, minime aſpernabimus, ſed grato animo agnoſcemus & prædicabimus.

Iocorum vſurpandorũ ratio. SENEX. Attendite itaque quæ dicam, noſcite; Scitis opinor, hominis vitam in actionib⁹ verſari, ciuilique in congregatione & cœtu, cuius, imo vero totius humanæ ſocietatis vinculum eſt præcipuum, ipſa oratio. Vt autem ratio ipſa dux eſt ac magiſtra ad actiones quaſque dirigendas, ſic oratio illorum miniſtra eſt omnium, quæ mente concepta ratiocinandoque agitata depromuntur in medium. Hinc eſt, quod grauiter alij quæ ſentiunt explicant, ac compoſite: inepte alij ac ieiune: hique vt inepti leueſque improbantur, illi contra commendantur, vt graues atque compoſiti. Nec vero natura in hoc quoque à ſeipſa diſceſſit, aut ab ea quæ ſui ipſius propria eſt, varietate ac diſſimilitudine. Cum aliorum ſermones ſeueri ſint ac ſubtriſtes, aliorum iucundi & lepidi: huius blanda ſit elocutio atque ornata, illius inculta & aſpera: atque alius in loquendo præ ſe ferat vrbis mores, alius vero ruris. Eſt, videri qui velit facetus & comis, contra qui auſterus & rigidus, qui maxime verus omnique à ſimulatione alienus: ſecus autem cui diſſimulatio placeat, aut ea quæ Græce eſt εἰρωνία. Itaque loquendi genus tum cuiuſque naturam, tum etiam mores ſequi potiſſimum videtur. Quid? quod populi genteſque ſiue natura ab ipſa, ſiue ab inſtitutione & vſu, quodque alia alibi magis probantur, ſuntque in pretio maiori: aliæ taciturniores ſunt, contra loquatiores aliæ. Magniloquentia delectat Hiſpanos, fuca-

fucatus ac compoſitus ſermo Græcos, Romanorum grauis fuit oratio, Lacedæmoniorum breuis & horrida. Atheníenſium multa & ſtudioſa,at Carthaginenſium Afrorumque callida & vafra, de natura illorum ſic dicta. Quo fit vt genus colloquendi alibi aliud magis probetur aut minus.

EQVES. Mediocritas itaque vt in omnibus aliis rebus,ſic in ſermone potiſſimum eſt attendenda, ne quis aut in gratiam loquens recedat à medio, profundatque ſeſe in oſtentationem atque obſequium, aut dum ſeria ſequitur, delabatur in aduerſum acerbaſque ad contentiones, modo refragatoris perſonam, modo rixatoris induens.

Huic igitur delectus cumprimis habendus eſt & rerum & temporum, & locorum, & perſonarum, quo virtutem maxime laudabilem publice priuatimque, apud ciues peregrinoſq; æque ſpectatam conſequatur.

IVVENIS. Interim tamen negari non poteſt, interdum tempus & rem ipſam requirere, vt etiam acerbi increpatoris aut inclamatoris perſonam induat, quale eſt illud quod de Æſopo proditum eſt. Cum enim is aliquando cum ſapientibus ſiue Philoſophis quibuſdam cænaret, atque hæc inter, ſicut fieri aſſolet, pocula crebriora poſcerentur, & ſeſe hilariuſcule inuitarent ſapientes; diſputaretque Anacharſis: perfectionem bibendi eſſe ebrietatem: qui finis & quod vltimum potionum videretur; Ita Æſopus eos pungere cæpit: Paſtores (inquit) mactauerunt ouem, & in tuguriolo comeſſabantur.

Æſopus bibacitatem quomodo retuderit.

Lupus qui ante fores ſtabat, cum quod fiebat, animaduerſiſſet: Ego (inquit) ſi agnum deuoraſſem, qui motus futuri? At iſti impune matrem comedunt.

Quo apologo egregie ipſorum bibacitatem atque ingluuiem taxauit.

SENEX. Hæc ipſa tamen increpatio acerbitaſque eiuſmodi eſſe debet, ne dum iuuare dictis ſuis atque commonitionibus quis ſibi proponit, in moleſtiam aliquam incidat. Quo in genere ante alios inſigniter enituit Fabius Maximus.

Is enim inſigni prudentia, & gerendis in rebus circumſpectione & vſu, non vrbium modo populorumque defectiones ac tumultuantes motus, verum etiam ſingulorum militum agitationes, ſiue ſuſpectas, ſiue parum laudabiles,leniendas mitioribus verbis, manſuetaque admodum oratione ducebat.

Mediocritas adhibenda in iocis.

Fabij Maximi prudentia.

Sic militem Marſum, fortem quidem ac notum in militia hominem, cum ſuſpectus is rebellionis eſſet, nec deeſſent qui criminarentur, nulla in initio animaduerſione perſecutus, ſed libere eum agere ſinens, diſſimulata etiam ſuſpicione: poſt vero comiter allocutus, quid, inquit, Marſe nulla tu in re officium requiris meum? nulla mea vteris opera? ne autem dum quid petas expectem, en tibi equum maxime acrem ac virtute tua dignum, aderunt munera quoque alia fortitudini tuæ accommodata.

Qua è comitate Dictator ex eo vſus eſt illius opera fortiſſima pariter ac fideliſſima. Idem quoque aduerſus militem Lucanum ne à ſeipſo diſcederet, ſtrenuum quidem & acrem hominem, eadem lenitate orationis adhibita, illum ſibi maxime deuinxit. Namque accuſatus hic ipſe, quod noctu è caſtris ſubinde præter tribuni præſcriptum diſcederet, vbi comperiſſet Fabius, abſentis mulierculæ amorem eſſe rei cauſam, ad quam ille clanculum noctu itaret, clam mulierculam ad ſe deduci, abdique in tabernaculo iuſſit: moxque accitum ad ſe Lucanum allocutus perhumaniter, tutemet ſcis inquit qua pœna ſis dignus, qui præter iura militaria, legeſque caſtrenſes ſæpius è caſtris contempto imperio diſceſſeris: nec ego ipſe ignoro, quam multa à te fideliter ſint fortiterque adminiſtrata, quæque opera in obeundis militaribus laboribus ac periculis fuerit vbique tua. Itaque fiat horum inter ſe compenſatio. Tu poſthac ne tale quid admittas, caueto: quoque præſtare id per me quidem poſſis, en illam tibi, quæ tuo eſt cordi. Eductæque è tabernaculo mulierculæ dextram nec opinanti in manum dedit, quæ in caſtris penes ipſam ex eo futura eſſet. Tu igitur talem te de cætero præſtiteris, vt appareat, quam amas, & cuius cauſa à caſtris furtim diſcedebas, eam adeſſe.

Vir mediocritatis amãs qualis?

IVVENIS. Summatim dicam: Vir mediocritatis obſeruans, naturali quadam commotione, ſuapte natura inſtitutus, cum ſeſe ipſe aſſueſcendo comparauit, vt gratus eſſe omnibus velit, moleſtus vero nulli, aut impudenter contentioſeque aduerſari, quin vt aſſentari minime vult, recuſatque altercari, ac rixas ſerere: ſic media inter vtrunque officia inter omnes exercere nititur, humanitatis præcipue memor, generiſque hominum ſtudioſus, eorumque ſocietatis & inſiti à natura officij.

Quo fit, idem bonus vt ſit vir, ciuis probus, homo homini amicus,

cus, gratus ac iucundus, & ſimul cunctis publice, & priuatim ſingulis, moleſtus vero nemini: quique in conuerſationibus vitaque ſociabili cum ſeſe geret, vt lenibus pariter gratus ſit ac ſeueris, iucundis æque ac triſtibus, manſuetis item ac duriuſculis, præſtabitque aduerſum ſingulos id quod Horatius præcipit:

Sed pater vt gnatis, ſic nos debemus amicis,
Si quid ineſt vitium, non faſtidire: ſtrabonem
Appellat pœtum blandus pater, &c.

Qua in re delectum eum adhibebit, vt cuique quantum ſat eſt, tribuat, ſeu in gratiam loquatur ac commendationem, ſeu dum commonefaciendo proſit, in moleſtiam vt incurrat aliquam, quanquam ſtudium eius illud eſt præcipuum, gratiam vt verbis ineat, offendat vero in conuerſando neminem.

Ioci cur dicantur ſales?

SENEX. Atque hac ſane in re ſummopere admirari libet veterum in effingendis vocabulis diligentiam, quibus viſum eſt iocos appellare ſales, quod ſint quaſi vitæ humanæ condimentum quoddam, ſine quo inſipida videantur omnia. Et ſicut peccare cocos iudicamus, qui nimium in cibum immittunt condimenti, perdunt enim eſcas, vt nemo eas velit attingere: ita prorſus non ſunt ferendi, qui omnem vitam iocis ac riſu contaminant.

Cicero in iocis nimium diſſolutus.

IVVENIS. Cicero orator alioqui inuictus, male tamen audiuit, eo quod in iocorum vſu modum neglexerit. Nam cum L. Murenam à Catone accuſatum defenderet, eſſetque tum conſul, ac Stoicus, quorum aſſector erat Cato, philoſophoſque omnes varijs modis illuderet, & ingentem riſum iudicibus moueret, adeo vt Cato quoque riſum cohibere non poſſet, dixiſſe fertur Cato: Dij boni, quam ridiculum habemus conſulem.

SENEX. Ego duos quos eloquentiſſimos antiqua ætas tulit, comicum Plautum & oratorem Tullium, autumo ad iocorum venuſtatem cæteris præſtitiſſe. Plautus quidem ea re clarus fuit, vt poſt mortem eius comœdiæ quæ incertæ ferebantur, Plautinæ tamen eſſe de iocorum copia noſcerentur. Cicero autem quantum in ea re voluerit, quis ignorat, qui vel liberti eius libros, quos is de patroni iocis compoſuit, quos quidam ipſius putant eſſe, legere curauit? Quis item neſcit conſularem eum ſcurram ab inimicis appellari ſolitum? Quod in oratione etiam ſua Vatinius poſuit. Atque ego (ni longum eſſet) referrem, in quibus cauſis cum nocentiſſimos reos tueretur, victoriam iocis adeptus ſit.

EQVES.

EQVES. Dic vero nobis aliquot Ciceronis iocos, cognoſcamus, an cum hodiernis quoq; conſentiant.

Ioci Ciceronis. SENEX. Extant plurimi Ciceronis ioci, quorum non minima pars intercidit, qualis inter cæteros eſt iocus, quo Lucium Flaccum, repetundarum reum, ioci cuiuſdam oportunitate de manifeſtiſſimis criminibus exemit; qui quidem iocus in oratione Ciceronis non extat, citatur nihilominus à Fuſio Viuacio, atque inter alia eius dicteria ſummopere celebratur.

In Lentulũ. De eodem Cicerone iocus extat in Lentulum. Cum enim Cicero Lentulum generum ſuum exiguæ ſtaturæ hominem longo gladio accinctum vidiſſet, Quis, inquit, generum meum ad gladium alligauit? *In Q. frẽm.* Nec Quinto Ciceroni fratri circa ſimilem mordacitatem pepercit. Nam cum in ea prouincia quam ille rexerat, vidiſſet clypeatam imaginem eius ingentibus lineamentis vſque ad pectus ex more pictam (erat autem Quintus ipſe ſtaturæ paruæ) ait, Frater meus dimidius maior eſt quam totus.

In Vatiniũ. Sed & in Conſulatu Vatini, quem paucis diebus geſſit, notabilis Ciceronis vrbanitas circumferebatur. Magnum oſtentum, inquit, anno Vatinij factum eſt, quod illo conſule, nec bruma, nec ver, nec æſtas, nec autumnus fuit.

Quærenti deinde Vatinio quod grauatus eſſet domum ad ſe infirmatum venire, reſpondit: Volui in conſulatu tuo venire, ſed nox me comprehendit. Vlciſci autem ſe Cicero videbatur, vt qui reſpondiſſe ſibi Vatinium meminerat, cum humeris ſe Reipub. de exilio reportatum gloriaretur. Vnde ergo tibi varices?

In Caniniũ. Caninius quoque Reuilius, qui vno die, vt Seruius retulit, conſul fuit, roſtra cum aſcendiſſet, pariter honorem inijt conſulatus, & eierauit. quod Cicero gaudens omni occaſione vrbanitatis increpuit, λογοθεωρητὸς eſt Caninius conſul. Deinde, Hoc conſecutus eſt Reuilius, vt quæreretur, quibus conſulibus conſul fuerit. Dicere præterea non deſtitit, Vigilantem habemus conſulem Caninium, qui in conſulatu ſuo ſomnum non vidit.

IVVENIS. Pompeius Ciceronis facetiarum impatiens fuit. Cuius hæc de eo dicta ferebantur, Ego vero quẽm fugiam habeo, quem ſequar non habeo. *In Pompeiũ.* Sed & cum ad Pompeium veniſſet, dicentibus ſero eum veniſſe, reſpondit, Minime ſero veni, nam nihil hic paratum video. Deinde interroganti Pompeio, vbi gener

gener eius Dolobella eſſet, reſpondit. Cum ſocero tuo. Et cum donaſſet Pompeius transfugam ciuitate Romana, ô hominem bellum, inquit, Gallis ciuitatem promittit alienam, qui nobis noſtram non poteſt reddere. Propter quæ merito videbatur dixiſſe Pompeius, Cupio ad hoſtes Cicero tranſeat, vt nos timeat.

In Cæſarem. SENEX. In Cæſarem quoque mordacitas Ciceronis dentes ſuos ſtrinxit. Nam primum poſt victoriam Cæſaris interrogatus, cur in electione partis erraſſet, reſpondit, Præcinctura me decepit. iocatus in Cæſarem, qui ita toga præcingebatur, vt trahendo laciniam, velut mollis incederet: adeo, vt Sylla tanquam prouidus dixerit Pompeio, Caue tibi illum puerum male præcinctum.

Deinde cum Laberius in fine ludorum anulo aureo honoratus à Cæſare, eueſtigio in quatuordecim gradibus ad ſpectandum tranſiſſet, violato ordine, & cum detractus eſſet eques Romanus, & cum Mimus remiſſus, ait Cicero prætereunti Laberio ſedile quærenti, Recepiſſem te, niſi anguſte ſederem. ſimul & illum reſpuens, & in nouum ſenatum iocatus, cuius numerum Cæſar ſupra fas auxerat. Nec impune, Reſpondit enim Laberius: Mirum ſi anguſte ſedes, qui ſoles duabus ſellis ſedere. exprobrata leuitate Ciceronis, qua immerito optimus ciuis male audiebat. Idem Cicero alias facilitatem Cæſaris in eligendo ſenatum iriſit palam. Nam cum ab hoſpite ſuo Publio Mallio rogaretur, vt Decurionatum priuigno eius expediret, aſſiſtente frequentia dixit, Romæ ſi ius habebit Pompei. difficile eſt. Nec intra hæc mordacitas ſtetit. Quippe ab Androne quodam Laodiceno ſalutatus, cum cauſam aduentus requiſiuiſſet, compeniſſetque (nam ille ſe legatum de libertate patriæ ad Cæſarem veniſſe reſpondit,) ita expreſſit publicam ſeruitutem. ἐὰν ἐπιτύχης, καὶ περὶ ἡμῶν πρέσβευσον. Si obtinueris, & pro nobis intercede.

IVVENIS. Viguit in eo excedens iocus, & ſeria mordacitas, vt patet ex epiſtola ad C. Caſſium dictatoris violatorem: Vellem Idibus Martiis me ad cœnam inuitaſſes, profecto reliquiarum nihil fuiſſet, nunc me reliquiæ noſtræ exercent. Idem Cicero de Piſone genero & M. Lepido lepidiſſime cauillatus eſt. *In M. Antonium.*

EQVES. Sed neque Auguſtus Cæſar in huiusmodi dicacitate, etiam ipſi Tullio ceſſit. Is namque ſummopere affectauit iocos, ſaluo tamen maieſtatis pudorisq; reſpectu, nec vt caderet in ſcurram. Aiacem tragœdiam ſcripſerat, eádemque quod ſibi diſplicuiſſet, deleuerat. Poſtea Lucius grauis tragœdiarũ ſcriptor interrogabat eum, quid *Auguſti Ioca in multos.*

ageret Aiax ſuus. Et ille, in ſpõgiam, inquit, incubuit.

Idem Auguſtus, cum ei quidam libellum trepidus offerret, & modo proferret manum, modo trahe-ret: Putas, inquit, te aſſem elephanto dare?

Alium præfectura equitum ſummotum & inſuper ſalarium poſtulantem, dicentemq;, non lucri cauſa dari hoc mihi rogo: ſed vt iudicio tuo munus videar impetraſſe, & ita officium depoſuiſſe, Hoc dicto repercuſſit, tu te accepiſſe apud omnes affirma, & ego dediſſe me non negabo.

IVVENIS. Vrbanitas eiusdem innotuit circa Herennium deditum vitiis iuuenem, quem cum caſtris excedere iuſſiſſet, & ille ſupplex hac deprecatione vteretur, Quomodo ad patrias ſedes reuertar? quid patri meo dicam? reſpõdit, Dic me tibi diſplicuiſſe.

EQVES. Galbæ, cuius informe gibbo erat corpus, agenti apud ſe cauſam: & frequenter dicenti, corrige in me ſi quid reprehendis, reſpondit, Ego te monere poſſum, corrigere non poſſum.

IVVENIS. Cum multi Seuero Caſſio accuſante abſoluerentur, & architectus fori Auguſti expectationem operis diu traheret, ita iocatus eſt, Vellem Caſſius & meum forum accuſaſſet.

EQVES. Cum audiſſet inter pueros, quos in Syria Herodes rex Iudæorum intra bimatum iuſſit interfici, filium quoq; eius occiſum, ait, Melius eſt Herodis porcum eſſe quam filium.

Idem Auguſtus, quia Mecœnatem ſuum nouerat eſſe ſtilo remiſſo, molli, & diſſoluto, talem ſe in epiſtolis, quas ad eum ſcribebat, ſæpius exhibebat: & contra caſtigationem loquendi, quam alias ille ſcribendo ſeruabat, in epiſtola ad Mecœnatem familiari, plura in iocos effuſa ſubtexuit, Vale mel gentium, metuelle, ebur ex Hetruria, laſer aretinum, adamas ſupernas, tyberinũ margaritum, cilneorum ſmaragdæ, iaſpis figulorum, berylle porſennæ, carbunculum habeas ἵνα σωυτένο πάντα μαλάγματα mœcharum.

IVVENIS. Exceptus eſt à quodam cœna ſatis parca, & quaſi quotidiana. Nam pene nulli ſe inuitanti negabat. Poſt epulũ igitur, inops ac ſine vllo apparatu diſcedens, vale dicenti hoc tantum inſuſurrauit, non putabam me tibi tam familiarem.

EQVES. Relata ad ſe magnitudine æris alieni, quam quidẽ eques Romanus dum vixit excedentem ducenties LL.S. celauerat, culcitrã, emi cubicularem in eius actione ſibi iuſſit. Et præceptum mirantibus, hanc rationem reddidit, Habenda eſt ad ſomnum culcitra, in qua ille, cum tantum deberet, dormire potuit.

SENEX.

SENEX. Soleo in Auguſto magis mirari quos pertulit iocos, quã ipſe quos protulit. quia maior eſt patientiæ quam facundiæ laus, maxime, cum æquanimiter alia etiam iocis mordaciora pertulerit. Cuiuſdam prouincialis iocus aſper innotuit. Intrauerat Romam ſimillimus Cæſari, & in ſe omnium ora cõuerterat. Auguſtus perduci hominem ad ſe iuſſit, viſumq; hoc modo interrogauit, Dic mihi adoleſcẽs, fuit aliquando mater tua Romæ? Negauit ille: nec cõtentus adiecit, ſed pater meus ſæpe.

EQVES. Curtius eques Romanus deliciis diffluẽs, cum macrum turdum ſumpſiſſet in cõuiuio Cæſaris, interrogauit an mittere liceret? Reſponderat princeps, quid ni liceat? Ille ſtatum per feneſtram miſit.

IVVENIS. Æs alienum Auguſtus cuiuſdam ſenatoris chari ſibi, non rogatus exoluerat, numerato quadragies. At ille pro gratiarum actione hoc ſolum ei ſcripſit, mihi nihil.

SENEX. Mira etiam cenſoris Auguſti & laudata patientia. Corripiebatur eques Romanus à principe, tanquam minuiſſet facultates ſuas. At ille ſe multiplicaſſe coram probauit. Mox eidem obiecit, quod ad contrahendum matrimonium legibus non paruiſſet. Ille vxorem ſibi & tres liberos eſſe dixit. Tunc adiecit, poſt hac Cæſar cum de honeſtis hominibus inquiris, honeſtis mandato.

EQVES. Etiam militis libertatem tantum, ſed & temeritatem tulit. In quadam villa inquietas noctes agebat, rumpente ſomnum eius crebro noctuæ cantu. Præhendendam curauit noctuam. Miles aucupij peritus, & ſpe ingẽtis præmij, pertulit. Laudato Imperator mille nummos dari iuſſit. Ille auſus eſt dicere. Malo viuat, auemq; dimiſit. Quis non miratus eſt, non offenſo Cæſare, abiiſſe militẽ contumacem?

SENEX. Veteranus cum die ſibi dicto periclitaretur, acceſſit in publico ad Cæſarem, rogauitq; vt ſibi adeſſet. Ille aduocatum quem ex comitatu ſuo elegerat, ſine mora dedit, commendauitq; ei litigatorem. Exclamauit ingenti voce Veteranus, At non ego Cæſar periclitante te Actiaco bello, vicarium quæſiui, ſed pro te ipſe pugnaui. detexitq; impreſſas cicatrices. Erubuit Cæſar, venitq; in aduocationem, vt qui vereretur non ſuperbus tantum, ſed etiam ingratus videri.

IVVENIS. Sublimis Actiaca victoria reuertebatur, occurrit ei inter gratulantes, coruum tenens, quem inſtituerat hoc dicere, Aue Cæſar victor Imperator. Miratus Cæſar officioſam auem, viginti milibus nummum emit. Socius opificis ad quem nihil ex illa liberta-

te peruenerat, affirmauit Cæſari, habere illum & alium coruũ, quem vt afferre cogeretur, rogauit. Allatus verba quæ didicerat, expreſſit; Aue victor Imperator Antoni. Nihil exaſperatus, ſatis duxit iubere illum diuidere donatiuum cum contubernali. Salutatus ſimiliter à Pſittaco, emi iuſſit eum. Idem miratus in pica, hanc quoq; redemit. Exemplum ſutorem pauperem ſollicitauit, vt coruum inſtitueret ad parem ſalutationem: qui impendio exhauſtus, ſæpe ad auem non reſpondentem dicere ſolebat, opera & impenſa periit. Aliquando tamen coruus cœpit dicere dictatam ſalutationẽ. Hac audita dum tranſit Auguſtus, reſpondit, Satis domi ſalutatorum talium habeo. Superfuit coruo memoria, vt & illa quibus dominum quærentem ſolebat audire, ſubtexeret, opera & impenſa periit. Ad quod Cæſar riſit, emiq; auem iuſſit, quanti nullam adhuc emerat.

Corui, pſittaci pica Auguſtum ſalutant.

EQVES. Solebat deſcendenti à palatio Cæſari honorificum aliquod epigramma porrigere Græculus. Id cum fruſtra ſæpe feciſſet, rurſusque eum id facturum vidiſſet Auguſtus, breue manu ſua in charta exarauit Græcum epigramma: pergenti deinde ad ſe obuiam miſit. Ille legendo laudare, mirari tam voce quam vultu. Cum quod acceſſiſſet ad ſellam, demiſſa in fundam pauperem manu, paucos denarios protulit, quos principi daret. Adiectus hic ſermo μὴ κατὰ τὴν τύχην σου σεβαστὲ, εἰ πλέιον ἐδίδουν. Non ſecundũ fortunam tuam Auguſte; ſi plus haberem, plus darem. Secuto omnium riſu, diſpenſatorem Cæſar vocauit, & ſeſtertia centum milia Græculo numerari iuſſit.

Graculi epigramma ad Auguſtũ.

IVVENIS. Vultis aliqua & filiæ eius Iuliæ dicta referam? Sed ſi garrulus non putabor, volo de moribus fœminæ pauca præmittere. Annum agebat triceſimũ & octauum, tempus ætatis (ſi mens ſana ſupereſſet) vergentis in ſenium. ſed indulgentia tam fortunæ quam patris abutebatur, cum alioqui literarum amor multaq; eruditio, quod in illa domo facile erat, præterea mitis humanitas, minimeq; ſæuus animus, ingentem fœminæ gratiam conciliarent; mirantibus, qui vitia noſcebant, tantam pariter diuerſitatem. Non ſemel præceperat ei pater, temperato tamen inter indulgentiam grauitatemque ſermone, quatenus moderaretur profuſos cultus perſpicuosq; comitatus. Idem cum ad nepotem turbam ſimilitudinemq; reſpexerat, qua repræſentabatur Agrippa, dubitare de pudicitia filiæ erubeſcebat. Inde blandiebatur ſibi Auguſtus, lætum in filia animum vſque ad ſpeciem procacitatis, ſed reatu liberum. & talẽ fuiſſe apud maiores Claudiam credere audebat. Itaq; inter amicos dixit,

Iulia Auguſti filiæ mores.

dixit, duas habere ſe filias delicatas, quas neceſſe haberet ferre, Iuliam & Rempub.

Reſponſum Iuliæ. Iulia venerat ad eam licentiore habitu, & oculos offenderat patris tacentis. Mutauit cultus ſui poſtera die morem, & lætum patrem affectata ſeueritate complexa eſt. At ille, qui pridie dolorem ſuum continuerat, gaudium cōtinere non potuit. Et quantum ait in filia Auguſti probabilior eſt hic cultus? Non defuit patrocinio ſuo Iulia his verbis. Hodie enim me patris oculis ornaui, heri viri.

EQVES. Notum & illud. Aduerterant in ſe populum in ſpectaculo gladiatorum Liuia & Iulia, comitatus diſſimilitudine. Quippe cingentibus Liuiam grauibus viris: hæc iuuentutis & quidem luxurioſæ grege circūſidebatur. Admonuit pater ſcripto, Videret quātum inter duas principes fœminas intereſſet. Eleganter illa reſcripſit, & hi mecum ſenes fient.

SENEX. Eadem Iulia mature habere cœperat canos, quos legere ſecreto ſolebat. Subitus interuentus patris aliquando oppreſſit ornatrices. Diſſimulauit Auguſtus, Deprehenſis ſuper veſtem earum canis, & aliis ſermonibus tempore extracto, induxit ætatis mentionem: interrogauitq; filiam, vtrum poſt aliquot annos cana eſſe mallet, an calua. Et cum illa reſpondiſſet, Ego pater cana eſſe malo: ſic illi mendacium obiecit, Quid ergo iſtæ te caluam tam cito faciunt?

EQVES. Cum grauem amicum audiiſſet Iulia ſuadentem, melius facturam, ſi ſe compoſuiſſet ad exemplar paternæ frugalitatis, ait. Ille obliuiſcitur Cæſarem ſe eſſe, ego memini me Cæſaris filiam.

SENEX. Extant apud Macrobium, lib. 2. Saturnalium cap. 7. Laberij & Publij mimigraphorū ſententiæ ac dicta. Ac Laberium quod attinet, hunc aſperæ libertatis equitem Romanum Cæſar quingentis millibus inuitauit, vt prodiret in ſcenā, & ipſe ageret Mimos, quos ſcriptitabat. Sed poteſtas non ſolum ſi inuitet, ſed etiam ſupplicet, coēgit. Vnde ſe & Laberius à Cæſare coactum in prologo teſtatur his verſibus: *Laberij & Publij mimigraphorum ſentētia.*

Neceſſitas, cuius curſu auerſo impetum
Voluerunt multi effugere, pauci potuerunt,
Quo me truſit penè extremis ſenſibus?
Quem nulla ambitio, nulla vnquam largitio,
Nullus timor, vis nulla, nulla autoritas
Mouere potuit in iuuenta de ſtatu,
Ecce in ſenecta ne facilè labefecit loco
Viri excellentis mente clemente edita
Submiſſa placidè blandiloquens oratio.

Ego bis tricenis annis actis ſine nota,
Eques Romanus lari egreſſus meo.
Domum reuertar Mimus, nimirum hoc die
Vno plus vixi mihi quam viuendum fuit.
Fortuna immoderata in bono aequè atq; in malo,
Si tibi erat libitum literarum laudibus
Floris cacumen noſtræ famæ frangere,
Cur cum vigebam membris præuiridantibus,
Satisfacere populo & tali cum poteram viro,
Non flexibilem me concuruaſti, vt caperes?
Nunc me quo deiicis? quid ad ſcenam affero?
Decorem formæ, an dignitatem corporis?
Animi virtutem an vocis iucundæ ſonum?
Vt hedera ſerpens vires arboreas necat,
Ita me vetuſtas amplexu annorum necat.
Sepulchris ſimilis nil niſi nomen retineo.

In ipſa quoque actione ſubinde ſe qua poterat vlciſcebatur, inducto habitu Syri, qui velut flagris cæſus, præripientique ſe ſimilis, exclamabat, porro quirites libertatem perdidimus. Et paulo poſt adiecit, neceſſe eſt multos timeat, quem multi timent. Quo dicto vniuerſitas populi ad ſolum Cæſarem oculos & ora conuertit, notantes eius potentiam hac dicacitate lapidatam. Ob hæc in Publiũ vertit fauorem. Is Publius natione Syrus, cum puer ad patronum domum eſſet adductus, promeruit eum nõ minus ſalibus & ingẽnio, quam forma. Nam forte cum ille ſeruum ſuum hydropicum iacentem in area vidiſſet, increpuiſſetque quid in ſole faceret: reſpondit, aquam calefacit. Ioculari deinde ſuper cœnam exorta quæſtione, quodnam eſſet moleſtum otium, aliud alio opinante, ille podagrici pedes dixit. Ob hæc & alia manumiſſus, & maiore cura eruditus, cum Mimos componeret, ingentiq; aſſenſu in Italiæ oppidis agere cœpiſſet, productus Romæ per Cæſaris ludos, omnes qui tunc ſcripta & operas ſuas in ſcenam locauerant, prouocauit, vt ſinguli ſecum poſita inuicem materia pro tempore contenderent. Nec vllo recuſante, ſuperauit omnes, in quibus & Laberium. Vnde Cæſar arridens hoc modo pronunciauit, Fauẽte tibi me, victus es Laberi à Syro. Statimq; Publio palmam, & Laberio anulum aureũ cum quingentis ſeſtertiis dedit. Tunc Publius ad Laberium recedentem ait, qui cum contendiſti ſcriptor, hunc ſpectator ſubleua. Sed & Laberius ſequenti ſtatim commiſſione, Mimo nouo interiecit hos verſus:

Publij dicta.

Non poſſunt primi eſſe omnes omni in tempore.

Summum ad gradum cum claritatis veneris, conſiſtes

Ægre, & citius quam deſcendas, decides.

Cecidi ego, cadet qui ſequitur, laus eſt publica.

Publij ſententiæ lepidæ. Publij autem ſententiæ feruntur lepidæ, & ad communem vſum accommodatiſſimæ. Ex quibus has fere memini ſingulis verſibus circumſcriptas.

Malum conſilium eſt, quod mutari non poteſt.

Beneficium dando accepit, qui digno dedit

Feras, non culpes, quod mutari non poteſt.

Cui plus licet quam par eſt, plus vult quam licet.

Comes facundus in via pro vehiculo eſt.

Frugilitas miſeria eſt rumoris boni.

Heredis fletus ſub perſona riſus eſt.

Furor fit læſa ſæpius patientia.

Improbe Neptunum accuſat, qui iterum naufragium facit.

Nimium altercando veritas amittitur.

Pars beneficij eſt, quod petitur ſi cito neges.

Ita amicum habeas, poſſe vt fieri hunc inimicum putes.

Veterem ferendo iniuriam, inuitas nouam.

Nunquam periclum ſine periclo vincitur.

Has Publij Mimi ſentẽtias, obiter volui allegare; quæ quidem inſtituto noſtro de iocis ſermoni non vſque adeo inſeruiunt, rerum tamen grauitate inſigniter luxuriant, quippe in quibus, quot verba, totidem prope inſunt ſententię; perinde vobis iniucunda fore haud arbitror.

IVVENIS. Dudum eſt, quod Publij huius vnam aut alteram ſententias allegari audiui, quas etiam ad intima pectoris mei penetralia repoſui atque oſculatus fui, nunc magis exoſculaturus, cum integras habeam. Sed enim, tranſeamus denuò ad noſtros iocos; qui quidem, ſi ruſticani, acerbi, nimiſque agreſtes forent, animoſque ipſos & perturbent, & grauius efficiant, μακρὰν χαίρειν ac longum valere iubebimus. Non committendum namque, vt iocandi mediocritate recta, aut turpe obſcænumque aliquid, aut parum conſideratum atque ingratum, eorum qui audiunt auribus infundatur, quod ruborem afferat, aut ſtomachum moueat, aut ad eius, qui dicit dictorumque eius irriſionem ac contemptum vergat, cogatve auditorem ciuilibus præditum moribus atq; ingenuum ad demittendum os atque oculos in humum, ad aureſq; auertendas ob dictorum obſcuritatem, dicentiſq, ipſius aut conuitiationem aut impudentiam garrulitatemq;. Is namque

que in his operam ponit, ſcurra, Græcè βωμολόχος ſiue Cauillator vocatur, adeoq; habitum ſcurrilitatem, cauillationem ſucceſſiuè tandem acquirit. Referrem ex Macrobij Saturnalibus huius rei exemplũ, de Hannibale, cuius memoria inſtaurat Romanorum triumphos: Hannibal Carthaginẽſis apud Regem Antiochum profugus, faceti ſſime cauillatus eſt. Ea cauillatio huiuſcemodi fuit. Oſtendebat Antiochus in campo copias ingẽtes, quas bellum populo Romano facturus, comparauerat: conuertebatq; exercitum inſignibus argenteis & aureis florentem. Inducebat etiam currus cum falcibus, & elephantos cum turribus, equitatumq; frænis & ephippijs, monilibus ac phaleris præfulgentem. Atque ibi rex contemplatione tanti & tam ornati exercitus gloriabundus Annibalem aſpicit. Et putas ne, inquit, ſatis eſſe Romanis hæc omnia? Tunc Pœnus eludens ignauiam imbelliamque militum eius pretioſe armatorum: plane, inquit, ſatis eſſe credo Romanis hæc, & ſi auariſſimi ſunt. Nihil prorſus neque tam lepide, neq; tam acerbe dici poteſt. Rex de numero exercitus ſui, ac de exiſtimanda æquiparatione quæſiuerat. Reſpondit Annibal de præda.

Annibalis cauillatio ex Gell. lib.5.c.5.

EQVES. Macrobius *in Saturnalibus* Cauillationum ſiue Scommatum non vnã inquit eſſe rationem. Scomma, inquit, morſum figuratum denotat, quia ſæpe fraude vel vrbanitate tegitur, vt aliud ſonet, aliud intelligas. Nec tamen ſemper ad amaritudinem pergit, ſed nonnunquam iis in Scomma morſum figuratum denotat, quia ſæpe fraude vel vrbanitate tegitur, vt aliud ſonet, aliud intelligas. Nec tamen ſemper ad amaritudinem pergit, ſed nonnunquam iis in quos iacitur & dulce eſt. Quod genus maxime vel ſapiens, vel alias vrbanus exercet, præcipue inter menſas & pocula, vbi facilis eſt ad iracundiam prouocatio. Nam ſicut in præcipiti ſtantem vel leuis tactus impellit: ita vino vel infuſum, vel aſperſum, paruus quoq; dolor incitat in furorem. Ergo cautius in conuiuio abſtinẽdum ſcommate, quod tectam intra ſe habet iniuriam. Tanto enim preſſius hærent talia dicta, quam directæ lœdoriæ, vel hami coaguloſi, quam directi mucrones tenacius infiguntur, maximeq; dicta huiuſmodi riſum præſentibus mouent, quo velut aſſenſus genere confirmatur iniuria. Eſt autem lœdoria huiuſmodi, Oblitus ne es, quia ſalſamenta vendebas? Scomma autem, quod diximus, ſæpe cõtumeliam eſſe celatam, tale eſt, Meminimus quãdo brachio te emungebas. Nam cum res eadem vtrobique dicta ſit, illud tamen lœdoria eſt, quod aperte obiectum exprobratumq; eſt: hoc Scomma, quod figurate. Octauius, qui natu nobilis

Varia Scommatum genera.

Lœdoria.

lis videbatur, Ciceroni recitâti ait, non audio quæ dicis. Ille reſpondit, Certe ſolebas bene foratas habere aures. Hoc eo dictum eſt, quia Octauius Libys oriundus dicebatur, quibus mos eſt aurem forare. In eundem Ciceronem Laberius, cum ab eo ad conſeſſum nõ reciperetur, dicentem, Reciperem te niſi anguſte ſederemus: ait ille nimis mordaciter, Atqui ſolebas duabus ſellis ſedere. obiiciẽs tanto viro lubricũ fidei. Sed id quod Cicero dixit, niſi anguſte ſederemus, ſcomma eſt in C. Cæſarem, qui in ſenatũ paſſim tam multos admittebat, vt eos quatuordecim gradus capere non poſſent. Tali ergo genere, quod fætũ contumeliæ eſt, abſtinẽdum ſapienti ſemper, cæteris in cõuiuio eſt. Sunt alia ſcommata minus aſpera, quaſi edentatæ beluæ morſus: vt Tullius in cõſulem, qui vno tantum die cõſulatum peregit, Solent, inquit, eſſe flamines diales, modo conſules diales habemus. Et in eundem, Vigilãtiſſimus eſt conſul noſter, qui in conſulatu ſuo ſomnum non vidit. Eidemq; exprobrãti ſibi, quod ad eundem conſulem nõ veniſſet, Veniebam, inquit, ſed nox me comprehendit. Hæc & talia ſunt, quæ plus vrbanitatis, minus amaritudinis habent, vt ſunt & illa de nõnullis corporeis vitiis aut parum, aut nihil gignentia doloris: vt ſi in caluitium cuiusquam dicas, vel in naſum, ſeu curuam erectionẽ, ſeu Socraticam depreſſionem. Hæc enim quãto minoris infortunij ſunt, tanto lenioris doloris. Cõtra oculorum orbitas non ſine excitatione commotionis obiicitur. Quippe Antigonus rex Theocritũ Chium, de quo iurauerat quod ei parſurus eſſet, occidit, propter ſcõma ab eodem de ſe dictum. Cum enim quaſi puniendus ad Antigonũ raperetur, ſolantibus eum amicis, ac ſpem pollicentibus, quod omnino clemẽtiam regis experturus eſſet cum ad eius oculos veniſſet, reſpondit, Ergo impoſſibilem mihi dicitis ſpem ſalutis. Erat autem Antigonus vno orbatus oculo. Et importuna vrbanitas, maledicacem luce priuauit. Nec negauerim philoſophos quoq; incurriſſe nõnunquam per indignationẽ hoc genus ſcommotis. Nam cum regis libertus ad nouas diuitias nuper erectus, philoſophos ad cõuiuiũ congregaſſet, & irridendo eorum minutulas quæſtiones, ſcire ſe velle dixiſſet, cur ex nigra & alba faba pulmentũ vnius coloris edatur. Aridices philoſophus indigne ferẽs, tu nobis, inquit, abſolue, cur de albis & nigris loris ſimiles maculæ gignantur. Sunt ſcommata quæ in ſuperficie habent ſpeciẽ contumeliæ, ſed interdum non tangunt audientes, cum eadem ſi obnoxio dicantur exagitẽt: vt contra ſunt, quæ ſpeciem laudis habẽt, & perſonam audientis efficiunt cõtumeliæ plenam.

Alterum genus ſcõmatum.

Rurſum duo ſcõmatum genera.

nam. De priore prius dicã. Lucius Quintus prætor de prouincia nuper reuerterat, obſeruata quod miſeris Domitiani temporis præturæ maxima caſtitate. Is cum æger aſſidenti amico diceret, frigidas ſe habere manus, renidens ille ait, atqui eas de prouincia calidas paulo ante reuocaſti. Riſit Quintus, delectatusq; eſt. quippe alieniſſimus à ſuſpicione furtorum. Contra ſi hoc diceretur male ſibi conſcio, & ſua furta recolẽti, exacerbaſſet auditũ. Critobolum famoſæ pulchritudinis adoleſcentem Socrates cum ad comparationẽ formæ prouocaret, iocabatur, non irridebat. Certe ſi dicas cõſummatarũ diuitiarum viro, tibi excito creditores tuos: aut ſi nimis caſto, gratę ſunt tibi meretrices, quia continua eas largitate ditaſti vtiq; delectabuntur, ſciẽtes his dictis ſuam conſcientiam non grauari. Sicut contra ſunt, quæ ſub ſpecie laudis exagitant. Nam ſi timidiſſimo dixero, Achilli vel Herculi comparandus es, aut famoſæ iniquitatis viro, ego te Ariſtidi in æquitate præpono: ſine dubio verba laudem ſonantia ad notam vituperationis ſuæ vterq; tracturus eſt. Eadem ſcommata eoſdẽ modo iuuare, modo mordere poſſunt, pro diuerſitate præſentiũ perſonarum. Sunt enim, quæ ſi coram amicis obiiciantur nobis, libenter audire poſſumus. Vxore vero ſeu parentibus, magiſtriſve præſentibus, dici in nos aliquod ſcomma nolimus: niſi forte tale ſit, quod illorũ cenſura libenter accipiat. Vt ſi quis adoleſcentem coram parentibus vel magiſtris irrideat, ꝙ inſanire poſſit cõtinuis vigiliis, lectionibusq; nocturnis: aut vxore præſente, quod ſtulte faciat vxorium ſe præbendo, nec vllam elegantiam eligendo formarum. Hæc enim & in quos dicuntur, & præſentes hilaritate perfundunt. Commendat ſcomma & conditio dicentis, ſi in eadem cauſa ſit, vt ſi alium de paupertate pauper irrideat, ſi obſcure natũ, natus obſcure. Namq; Tarſius Amphias, cum ex hortulano potens eſſet, & in amicum quaſi degenerem nonnulla dixiſſet: mox ſubiecit, Sed & nos de eiſdẽ ſeminibus ſumus: & omnes pariter lætos fecit. Illa vero ſcommata directa, lætitia eum in quem dicuntur infundũt, ſi virum fortem vituperes, quaſi ſalutis ſuæ prodigum, & pro aliis mori volentẽ: aut ſi obieceris liberali, quod res ſuas profundat, minus ſibi quam aliis conſulendo. Sic & Diogenes Antiſthenem Cynicum magiſtrũ ſuum ſolebat veluti vituperando laudare. Ipſe enim aiebat, mendicum me fecit è diuite, & pro ampla domo in dolio fecit habitare. Melius autem iſta dicebat, quam ſi diceret, gratus illi ſum, quia ipſe me philoſophum & conſummatæ virtutis virum facit. Ergo cum vnum nomen ſcommatis ſit, diuerſi continentur in eo

effectus.

effectus. Ideo apud Lacedæmonios inter cætera exactæ vitæ instituta, hoc quoq; exercitij genus à Lycurgo eſt inſtitutum, vt adoleſcentes & ſcommata ſine morſu dicere, & ab alijs in ſe dicta perpeti diſcerent. Ac ſi quis eorum in indignationem ob tale dictum prolapſus fuiſſet, vlterius ei in alterum dicere nō licebat. Cum ergo videas, anceps eſſe omne ſommatum genus, ſuadeo in congreſſibus, in quibus lætitiæ inſidiatur ira, ab eiuſmodi dictis faceſſas, & magis quæſtiones cōuiuales vel proponas vel ipſe diſſoluas. Hactenus Macrobius.

SENEX. Macrobius adeo concinne de iocis iocorumq; etiam exceſſibus loquitur, vt niſi tot ſeculorum intercapedo inter noſtram & illius ætatem intercederet, noſtro colloquio interfuiſſe ipſum exiſtimari poſſet. Sunt autē varia iocandi genera, quæ nō omnibus ætatibus, perſonis, locis, temporibus æque conueniunt. Alia enim ſunt ſenum ioca, alia iuuenum, alia eorum, qui magiſtratū gerūt, pretioq; dignam perſonā, alia priuatorum: habentq; hæc ipſa vt fructus pomaque, ſua quoq; tempora, ſua etiam loca: nec carēt auditorū conſideratione atq; conſidentiū, nequaquam enim omnia omni aut tēpore aut loco, aut quacunq; in audientia ac conſeſſu decent. Itaq; non digna ſolum eſſe debent dictu, verum etiam auditu, quæq; neutiquā aut ridiculum faciant dicentē, aut contemptibilem, aut quę moleſtia afficiant auditorē, cum ex iocis relaxatio quęratur, minime vero tædiū aut moleſtia. Eſt igitur faceti hominis propriū, in dictis factisq;, in ſerijs ac iocis, in dicendo atq; audiēdo, quæ ad recreationē ſpectēt, animorumq; relaxationē in conuectibus conſeſſionibusq;, atq; in congreſſib. ipſisq; in circulis, atq; hominū coronis collocutionibusq; mediocritatē ſequi: qui è iocis ſuauibusq; è dictis oblectationē tantum quærat, ac recreationē poſt labores: qui & ſaltē habeat in dicendo, & quæ ipſe dicit, tanq̃ illo condiat, qui leporē admiſceat, qui verba apta, idonea, cōcinnata, iociſq; accōmodata vſurpet, vultumq; illis adiūgat, vbi opus eſt, ac geſtum, qui fabellis narrādis recitandisq; iocoſis ac ludicris rebus & curas ſedet, & delimat moleſtias: qui non diſcedat vrbanitatis è finibus, aut è ciue in ruſticū atq; agreſtē trāſeat, ex ingenuo in ſeruū, aut ſeruo perſimilē, ni forte res ipſa ita tulerit, qui minime volēs offendat dictis, niſi laceſſit⁹, idq; tñ vrbane, qui & tēporis, & loci audiētium, & ſuiipſius, & q̃ gerit, perſonæ & ætatis, & negotiorū, & publicæ priuatæq; lætitiæ habeat ac triſtitiæ mærorisq, rationē; idq; cūprimis curet in ſingulis, vt retineat modum, ne & verba profundat & iocos, qui deniq; ſummo id ſtudio videat, ne cū alios in riſum ꝓuocat, ipſe ab aſtantib. riſui habeat. Inprimis vero hone-

Iocandi varia genera.

In faceto ac iocis quæ obſeruanda.

honeſti decoriq; ratio habeatur: vt (quod in epulis exigitur) nec inſulſa ſint ioca, nec nimis ſalſa, quæq; nec ieiuna ſint ac marceſcentia, neque craſſa nimis, ſtomachoque prorſus ingrata: Proinde illum ſeruabit delectum facetus, vt neq; in dicendo iocandoq; ſit procax, petulans, immodicus, intempeſtiuus, obſcænus, ſpurcus, ampulloſus: neq; in audiẽdo aut deteſtetur iucunde ac concinnè dicta, aut aures auertat à lepide atq; vrbane pronunciatis. Vtq; dum mediocritatẽ aſſequi nequit, ne ruſticetur neue efficiatur inſulſus, rancidus, hircoſus, cuius etiam dicta culinam nõ oleant. Ac quemadmodum habitus ipſe ipſaque inſignia militem oſtendunt, cuius videlicet ſit factionis: vt qui ſub Cæſare, ſiue eques ſiue pedes, militarit: miles dictus eſt Cæſarianus: qui ſub Pompeio, Pompeianus: qui ſub Mario Syllaue, Marianus ſiue Syllanus. Sic in agendo actiones ipſæ ciuilem aut inciuilem oſtendunt hominem: vt à ſcurrilibus ſcurra, ab agreſtibus agreſtis; vt à nimio pecuniæ ſtudio atq; habendi cupiditate auarus, ab vſu mediocri, & recto liberalis, à diffluentia vero ac diſſipatione diffluens atque effuſus; dicuntur. Eadem prorſus ratione à facetis dictis iocisque ſuauioribus, quæ prout recta dictat ratio, quantum decet, quomodo, quo tempore, quo loco, & apud quos, adhibentur, atq; ad normam diriguntur, Faceti nomen aſſequimur.

IVVENIS. Quid attinet tot de iocis inculcare cõmonefactiones, quippe quis ipſa rerum obiectarũ docebit varietas. Itaq; ad exempla, in quibus iocoſa tractantur, tranſibimus. Ego faciam initium, vos indiſcretè ſequimini. Noui ego præmaturum quendam proculũ (porculum propemodũ dixeram) cuius inconſultam machinationem Poëta quidam inſignis hoc ioco ſeu ſarcaſmo potius excipiebat;

Iocus de ſponſulo.

Sponſule danda tibi pro virgine virga fuiſſet:
Stulta puella nocet, multa flagella docent.

Item:

Diſcipulis quod virga, nouis eſt virgo maritis:
Virga ſolet pueros, virgo domare viros.

EQVES. Habent ridicularia ac Facetiæ etiam locos ſuos vnde deducantur, quemadmodum & argumenta apud Dialecticos. Exemplis, ne locorum Dialecticorum inductione ſimus prolixiores, quod dixi, illuſtrabimus: Puer Florentinus & argutus & perurbanus, adductus ante ſacerdotem Cardinalem iocandi gratia, multa cum facete admodum, nec minus etiam ſcitè dixiſſet, ſacerdosque ipſe ad amicum, qui aſtabat conuerſus ſuſurraſſet, huiuſmodi pueros conſueſſe, vbi ad ætatem perueniſſent robuſtio- *De Cardinale.*

buſtio-

buſtiorem, ingenio ſubcraſſeſcere: Næ, inquit, ô bone Cardinalis, puerulum te oportuit ſcitum fuiſſe admodum. Dictum itaq; in ſe puer in ſacerdotem retorſit, magna cum auditorum hilaritate & riſu.

De prodigo. SENEX. Eſt apud Plautum dictum & ſalſum & bene argutum: Prodigum te fuiſſe oportet in adoleſcentia, qui ſenecta ætate mendicas malum. Locus hic ipſe quidem in ipſa rerum natura conſtitutus eſt. Siquidem initio, qui ſunt prodigi, neceſſe eſt eos effuſa prodigenter pecunia tandem egere.

In deformitatem & impudicitiam. EQVES. Ludouicus Galliæ Rex, Caroli eius pater, qui ante annos aliquam multos regnum Neapolitanum armis occupauit, filiam collocauit Aurelianenſi Ludouico: ea cum deformis eſſet, ac parum venuſta, atque patre coram forma eius à viro præter modum commendaretur; ſenſit ſocer ineſſe generi verbis ſpicula: quę quo retunderet, ab obliquo gladij aciem obiecit: & hoc, inquit, laudibus iſtis adiice, vxorem tuam pudiciſſimæ eſſe matris filiam.

Erat enim conſtans opinio, Aurelienſis matrem parum pudicè ſeſe habuiſſe, quippe quæ priore viro mortuo, familiari eius nupſiſſet, qui cum viuo illo ſeſe immiſcuerat.

De impatiente. IVVENIS. Meis è tribulibus quiſpiam abunde comis, cum hoſpes vociferantem diutius vxorem eius, rixantemque cum ancillis parum æquè ferret, conuerſus ipſe ad hoſpitem: Ecqua, inquit, amice impatientia tua? duos & triginta annos huius clamores diesque ac noctes æquiſſime ipſe perfero, tu vero ne dieculæ quidem ſextantem ferre eam potes? quo dicto & hoſpitem leniit, & vxorem ab ira ad riſum conuertit. Quæ iocandi occaſio ab incuſatione ſumpta eſt atq; ab exemplo.

De caupone. EQVES. Diuerterat aliquando peregrinator quidam valde eſuriens ad meritoriam, appoſita eſt ei cœna omni è parte holitoria, vinum item dilutiſſimum, omnia demũ adminiſtrata parciſſimè: poſtquam autem cœnauit, iuſſit ad ſe vocari medicum ad mercedem capiendam, igitur caupo cum reſpondiſſet: Ecquit malum in viculo maximè agreſti medicum requiris. Tum ille, Numne, ô bone, tete ipſum ignoras? quo ſit igitur merces operæ ſuæ par, medici precium accipe, non cauponis, quando & ægrotum me pauiſti in cænula. Ab irriſione & contemptu deductum eſt dictum.

IVVENIS. Subdam & aliud non iniucundum. Diuerterat ad meritoriam Pyrrhiniculus Vaſco, atque appoſita menſa anaticulum verſabat in lancibus perbelle vnctum atq; halliatum: ingreditur repente ad illum viator Hiſpanus, iniectisq; in anaticulũ oculis: Pores,

De Hiſpano ſuperbiente. ô amice, inquit, aduenientem, comiter amicum accipere? Ibi tum Pyrrhiniculus, quo nomine eſſet, exquirit, Audéter ille ac iactabundus; Alopantius, inquit, Antimarchides Hiberoneus Alorchides. Pape tum Pyrrhiniculus: quatuorne auicula hæc heroibus, & quidẽ Hiſpanis: abſit iniuria; ea Pyrrhiniculo ſatis eſt vni, minutos enim decent minuta.

EQVES. Alphonſus Hiſpaniæ citerioris itemq; Neapolitanorum Rex venationi cum eſſet admodũ deditus, percontareturq; Antoniũ Panormitam ſciſcitabundus, qui Neapoli eſſent nobiles viri venãdi ſtudioſi, ſi qui itẽ ſcriptores de natura canum aliquid prodidiſſent: Næ tu, inquit, Rex ad latus habes rerũ harum omniũ prudentiſſimũ virum, ne aliunde quærites, quippe qui annos ſupra quadraginta cum hoc genere animaliũ ſit ita conuerſatus, vt noctes quoq; ipſas cum canicula cubitauerit, hic tibi & canũ naturas deſcribet, & illorum inſtituendorũ artes: Erat autẽ is eques Neapolitanus. Cumque his dictis ſubriſiſſet, Antonius indicauit, ſub caniculæ nomine vxorem illius ſignificari, mulierũ omnium clamoſiſſimam, pariter ac rabioſiſſimam. *De muliere clamoſa.* Quod dictum & Alphonſum, & qui circumſtabant omnes maximum in riſum, ex temporalitate ipſa prouocauit, vt illic per iocum ac feſtiuitatẽ enarrata fuerit hiſtoria coniugalis ſiue vitæ ſiue captiuitatis.

IVVENIS. Obuerſabatur ante oculos Ludouico Põtano, ſui temporis ICtorum præſtantiſſimo, litigator mirifice importunus, cui & naſus eſſet ſimior, & barba admodũ promiſſa & hiſpida. *De importuno litigatore.* Cum hic igitur Ludouicum ſalutaſſet, ac de more percontatus eſſet, vt valeret ipſe ac familia? vt ſalui eſſent quos amaret domeſtici? canes illi duos venaticos, egregè etiam phaleratos ac copulatim iunctos dono dedit. Ad ea Ludouicus, & rectè valere ſuos omnes reſpõdit, & gratias egit de canibus, ac ſtatim ore quam maximè renidenti: Tu vero, inquit, mi hirquicule, & pacate, vt ſalubritet tuo cum grege? qui lupis illum, abductis canibus, incuſtoditum reliqueris? Vides quam belle, quam vrbane in barbam ac nares iocatus ſit, atq; in gregem deſtitutum.

EQVES. Federicus rex Neapolitanorum vſus eſt magiſtro epiſtolarum, vtq; hodie dicũt, Secretario Vitho Piſanello: Is erat capillo criſpo, qualis Æthiopibus eſſe ſolet. *De criſpis capillis.* Forte inter Federicum & Proſperum Columnã exercitus eius Ducem ſermo inciderat de hominum applicationibus, naturæq; ipſius ſignis quibuſdam, eorumq; obſeruatione. Cumq; in referendis illis Federicus dixiſſet, fieri vix poſſe, cui criſpus erat capillus, quin idem aut muſicus eſſet, aut deprauata aut parum

tum conſtante mente. Tum Proſper, per Chriſtum, inquit, ô Rex, Vithulus hic quidem tuus haudquaquam muſicus eſt. Argutè admodum atq; aculeatè, namq; ex aduerſatione ſequebatur, laborare illum mẽtis infirmitate atq; peruerſitate animi.

De ſene in tibia ſe exercente.

IVVENIS. Rodoricus Carraſius (vt ſunt pleriq; Valentini ciues tum ſenes tum iuuenes, amoribus dediti ac delicijs) licet octogenarius iam, exercebat ſeſe ad tibiam: præteriens ante eius fores Rebolleta, homo cumprimis ſuauis ac facetus, quis, inquit, ô pueri hic ad choreas inſtituitur? cum reſpõdiſſent, Rodoricum dare operam choraliſtio: Næ, inquit, Rodoricus nũcium ab orco accepit, ludos apud manes apparari ac feſtos dies. Dicendi ac ridendi argumentum omne ab annoſitate ductum.

SENEX. Sicut pedũ inceſſus ciuili homine dignus regulã ſuã habet; eodẽ modo ſua quoq; ioci eſt temperatio & lex, vt nimirũ ſcurrilitas omnibus abſit iocãtibus. Qua quidem in re ars naturæ coniuncta præſtat id, vt ꝙ turpe eſt ſuapte natura atq; obſcœnum, id dicatur nec turpiter nec obſcœnè; ꝙ artis eſſe, nemo opinor negabit. Perinde n. vt ſterilibus in arboribus inſitionis arte vtuntur agricolę, quo fœcũdas illas atq; hortenſes efficiant è ſyluaticis: ſic faceti homines arte adhibita ac translationibus vſi rem naturaliter turpẽ dictis honeſtant, & quod ipſum per ſe obſcœnũ eſt, in lepidum vertunt ac facetum.

De nebulone ſalaci.

EQVES. Exemplis ea de quibus cõmonefeciſti, illuſtranda ſunt. Reguli cuiuſdam aula (recenſente Iouiano Pontano) inquinabatur (pfuy nefandum) nefandis puerorũ amoribus atq; huiuſce generis libidine. Forte igitur ex aulicis quiſpiã æſtiuo tẽpore in cubiculo quieſcebat, ſub meridiẽ ſpirantibus Zephyris, quorũ afflatu, quibus ille intectus erat linteolis detegebatur pudẽdas ad partes corporis. Forte igitur eà præteriens Rodoricus Hiſpalenſis, vir & ſuauis, & qui aulicorũ mores notos haberet, cum animaduerteret cucurbitulã quaſi quãdam pendere ad illius ramices, mirumne, inquit, videatur grandiuſculam eam eſſe, quæ in ſterquilinio coaluerit? Videtisne, ars ingenio comitata q́d præſtiterit? Adhibita enim translatione virilis membri in cucurbitulam, primo verbũ honeſtauit, deinde rem turpem honeſtis vocibus & expreſſit, & accuſauit, eadem translatione vſus: Cucurbita enim fimo ſaturata mirifice grandeſcit. Quo etiam verborum honeſtamẽto turpem illius vſum in re Venerea expreſſit & ridiculum fecit. Hæc igitur artis ſunt, quæ in hac ipſa parte locum quoq; ſuum obtinent, ſi qui facetiis dant operam, artis ipſius obliuiſci noluerint.

SENEX. Hem ſcelus diro fulmine

mine vindicandum; cuius etiam meritò debet deleri memoria, itaq; ab huiuſmodi nefandarum hiſtoriarum recenſione, in cæterum nobis temperabimus. Facetum vnum de quadam Paſcaſio Decio, quod riſum, haud indignationẽ mouet, recenſebo: Pepererat infantulum Paſcaſij Decij nurus arcis Neapolitanæ præfecti, vtque de more eſt, & congratulatum vna, & viſitatum acceſſerat idem de quo dictum eſt, Rodoricus. Itaq; ingreſſus ipſe cubiculũ, in quo conquieſcebat puerpera, comperit hinc Paſcaſium cõfectum ſenio, inniſum baculo ac langueſcentem: illic è familiaribus quempiam, perinde ac bouem nimia de obeſitate iacentẽ in ſcrinio, itemq; alterum eo ingenio præditum, parum ab aſello, qui iudicaretur differre. Progreſſus igitur ad cubile, vbi infantulus vagiebat, pedes exoſculatus eſt eius, conuerſusque ad aſtantes: an, inquit, præſepe ingreſſus, in quo & aſinus & bos recumberet, ſenioque vna Ioſephus, non & ipſe ad Christi pedes exoſculandos progrederer? Potuitne ars ingenioſo ſuffragata homini commodiore vti atq; appoſitiore ſimilitudine? vt quæ ridicula non eſſet res, illam ex arte maxime ridiculam efficere.

De ſene liberis adaucto.

EQVVS. Locus etiã alios percẽſeamus, qui admonere nos & artis poſſunt & obſeruationis, quæ artẽ ipſam cõſtituere eſt ſolita. Id autem exemplis omniũ maxime planum fiet. Cum aliquando cum meis cõtribulibus præ foribus meis ſederem, atq; de his rebus diſſererem, facti ſunt obuiam inter ſeſe agreſtes duo, alter albenti pileo, eoq; grandiore intectus caput, alter nudatis pedibus ac plantis: atq; hic quidem è veſtigio verbis in illũ illatus: quãti, inquit, fungulus iſte? Pileũ videlicet irridens. Ille ſublato ſtatim ſupercilio, conuerſis mox ad pedes eius oculis, reſpõdit: Quanti calceoli tui, ac denariolo pluris. Statim omnes in riſum conuerſi ſumus. Igitur alter à pileo admonitus eſt, excitusq; à natura, eaq; duce tantũ; alter etiam ab artẽ adiutus, quę illum admonuit pedũ excalciatorum. Itaq; locus laceſſentis videtur à veſtitu oblatus reſpondẽtis ab arte repræſentatus atq; ab oppoſito. Alter n. erat intecto capite, atq; à ſuperiore corporis parte: alter nudatis pedibus, quæ pars inferior eſt corporis.

De mutua duorũ inter ſe vexa.

SENEX. Cum aliquando iuxta me ſtaret ſutor ſenex, & quidẽ ſordibus admodũ ſenex, cui ad naſum pendebat pituita grandiuſcula quidẽ ac pellucida: præteriens homulus dicaculus, & ipſe, pannis tamen atq; annis obſitus, vt ille inquit apud Terentiũ, iocãdiq; opportunitatẽ nactus, perpulchrũ, inquit, adamãta & pretioſum. Tum alter: & annulo tuo dignum. Tali igitur tamque inexpectato reſponſo arsne an natura, an ſimul iunctæ iocari vrba-

De ſutore ſene.

vrbanius potuerint neſciam. Ille enim iocatus eſt, ſumpta occaſione ſenili ab ætate, quæ pituitoſa eſt: hic vero ab eo quod adamantes includi annulis ſint ſoliti.

De mulierũ ſtulta ſuperbia.

IVVENIS. Vocabar aliquando ad conuiuium ab amico, ad quod & plures alij tam viri quam mulieres inuitati fuerant. Erant autem ibi inter cæteras mulieres duæ, altera coriarij, lictoris altera. Inter has autẽ lictoris alienarum veſtium maxime æmula atque obſeruatrix, cumque animaduerteret, coriarij vxorem caput in parte poſtica ornaſſe tegmento aureolo, pro more fœminarum primariarum, vicinæ clam inſuſurrabat: ſi hæc coriarij vxor pro tegmento aureolo gereret coriacium, facile tunc poſſet dignoſci, eſſe eam vxorem coriarij. Ad hæc continuo coriarij vxor, quæ clandeſtinam hanc incuſationem inaudierat, & tu profecto ſiquidem tui tegmenti loco (quod & ipſum erat aureolum) gereres linteolum ſiue pãnum puniceum, nemo tum dubitaret, quin & tu identidem eſſes lictoris vxor. En quam prompta muliebris deſpectus retorſio; vbi vtraque ab vna eademq; ornatus muliebris parte ſumpto argumẽto egregiè luſit. Quis vero etiam facetiarum artifex, atque in iiſdem verſatiſſimus tam ſcitè ac lepidè retorquere, atque illudere cauillationem illam potuiſſet?

De mollitie.

SENEX. Ducuntur etiam ioci & ſalſi & belli admodum ab reſpõſore in eo ipſo genere, quo vſus eſt quis prior, vtque Ciceroniano vtar exemplo: Adoleſcentulus Q. Aquilius malè de ſe audiuit; is grandior iam & conſularis, factus obuiam feſtiuo homini Ægilio, qui videbatur mollior, quamuis non eſſet, muliebri vſus eſt nomine, quo illum vellicaret: Quando, inquit, Ægilia ad me veneris cum tua colu & lana? reddidit ſtatim Ægilius vel retorſit potius: non pol, inquit, audeo, nã me ad famoſas vetuit mater accedere. Quid magis artificioſum, quam telum idem retorquere? & ex eodẽ genere dictum eiuſdem fellis reiaculari ac reperiri?

De mutua iocantium retorſione.

IVVENIS. Habet quoque conceſſio & locum & leporem ſuum. Id autem eſt, quod Cicero inquit, vt facete concedas aduerſario idipſum quod tibi ille detraxit, quale illud Cœlij: Cum enim ei quidam malo genere natus diceret, indignũ eſſe ſuis maioribus, at Hercule reſpondit, tu tuis dignus.

EQVES. Simile fuit Colini Baſſi, viri admodum iucundi. Cum enim per iocum obiiceretur ab amico, quod nimia ventris eius eſſet parſimonia: Gratulor liberalitati tuæ, reſpondit, quod plura multo des ipſe quam accipias. Laborabat enim ille ſæpiſsime ventris profluuio.

SENEX. A commemoratione etiam verſus cuiuſpiam celebris

Poëtæque maxime noti, manant facetiæ & argutæ & gratæ. Cũ aliquãdo tres viri grãdæui, iique perquam eruditi pro foribus cuiuſdam vnà cõſiderent ac ſermones miſcerent, prætereunſq; adoleſcentulus demiraretur tres illos annoſos viros, albentibus capillis maxime hilari vultu & iocari cum prætereuntibus & arridere ſalutantibus: ibi alter è ſenibus illis, in ipſa adoleſcentis admiratione tanto cum lepore Virgilianum illud effudit.

Tercentum niuei tondent dumeta iuuenci.

Vt riſum non tenuerint, ſenem qui audiuerunt eo in cõſeſſu tam opportunè, adeo præter expectationem ac perquam concinnè modulantem. Iſque confeſtim riſus ingeminatus eſt, nam deriſui cum haberetur, qui præteribat iuuenis obeſo corpore, obeſiori ingenio, maxime obeſis moribus, tum à feſtiuiſſimo quodã & perquam cõcinno qui forte aſtabat iuuene, & feſtiue admodum & peruenuſte iniectum eſt Virgilianũ aliud, quamuis dimidiatum, è Georgicis:

Longamq; trahens inglorius aluum.

Miſeri iocis non debent moleſtari.

EQVES. Dictorum ridiculorum ac facetiarum regiones ſunt ampliſſimæ; ſed eæ ipſæ tamen certis ſunt determinatæ limitibus. Etſi namq; nemini propemodum iocando parcitur, miſeris tamen parcẽdum eſt, quippe in illis miſericordiæ loc⁹ eſſe debet, niſi forte ſuperbia, maledicentia aut incontinentia præcipites eant.

Ioci apud potentes non carent periculo.

SENEX. Et a potentibus etiam viris, & quibus publica res in manũ eſt, continendum. Eſt enim periculoſum perque temerarium, laceſſere eum, qui gladium ſtrictum habeat, poſſitque proſcribere. Adhæc & ſcurrile habeatur ac ſit, laceſſere eũ, qui ab omnibus ametur, & maximis atque infimis æque charus ſit atque acceptus. Quæ enim mediocritas eſſe poteſt, vbi prudentia munus minime retineat ſuum? Quid rurſum imprudentius, quam eorum in ſe iram prouocare, in quorum nutu poſita ſit hominis vita? quando vt à deriſu, quod ait Quintilianus, haud procul abeſt riſus, ſic ab ira potentis haud longe abeſt ſanguinolentia ac vis. Qua è re efficitur, vt quemadmodum oratoria vrbanitas parum frequens eſſe debet, minimeque in cauſis earumq; actionibus frequentata, ſic & facetiarum vſus rarus ac maxime temperatus: nec quotieſcunque locus patuerit ad iocãdum, vt Cicero inquit, dicere id neceſſe ducamus.

Iuuenes Tarentini per iocum elabuntur.

EQVES. Abſtinendum itaque eſt in iocando, à viris principibus, aut cautè ſaltem ac circumſpectè ioci adhibendi. Quin ſi qua concepta ira, ſuauioribus dictis placanda eſt, quod Tarentini illi iuuenes præſtitere: nam conuicti cum eſſent, quod multa inter cœnandum licentius de Rege Pyrrho locuti eſ-

ſent, ratioque maledictorum repoſceretur, tum vnum ex iis iocabundum dixiſſe ferunt: Nunquid ô Pyrrhe Rex hoc mirare & querere? per Herculem ipſa te in cœna confeciſſemus, ni lagena nos deſtituiſſet. Quo dicto & vrbano & ingenuo profecto ab homine, omnis è veſtigio ira diſſoluta eſt.

SENEX. Accuſatus iuuenis quiſpiam, quod in menſa intemperantius locutus fuiſſet aduerſus ſacerdotem, vocatuſque ob id in iudiciū, atque interrogatus à iudicibus: Si eodem (reſpondit) pacto rurſus in cœna me inuitaueritis, vel duodecim quoque Apoſtolos inſectabor fuſtibus. Statimque inter iudices exorto riſu, cognitoque vini vitio ab illis abſolutus eſt, pœna tamen à ſacerdote irrogata, vti quatriduum vino abſtineret.

Eiuſdem temeris.

IVVENIS. Eia vero, grauis iſthæc (imo ridicula) mulcta fuit. Sic nimirum ridiculus ſermo ridiculam parit mulctam. Cæterum quandoq; etiam ſeria iocoſis immiſcētur, magno illorum quorum intereſt, emolumēto; quale eſt illud de noui portorij excogitatore, quem tantopere rex Ferdinandus commēdabat. Erat autem vectigal huiuſmodi: Stipendia qui de regio acciperent ærario, pro ſingulis centenis aureis, quatuor annuos in ærarium vt referrent: Ad ea Ferrandus Geuara, qui tum aderat, eques maxime feſtiuus & comis. At ego, inquit, ô rex, quo apud te commendatior multo ſim, id tibi cōſilij dederim, nobis omnibus quos & paſcis & veſtis, & victū eripias & veſtitum, mihi crede, nullum ſiue mari ſiue terra, nec maius nec vtilius excogitari à quoquam hoc ipſo vectigal poterit.

Exactiones ſubditorum comiter repreſſa.

EQVES. Marinus Tamacellus Romæ agebat, quo tempore inter Ferdinandum Aragonēſem & Andegauienſem Ioannem de regno Neapolitano erat certamen, quod totam in ſeſe Italiam conuerterat. Fauebat partibus Andegauenſibus Atrebas Cardinalis. Itaque nuncius allatus cum eſſet, Ioannis Copias fugatas: Atrebas Marino obuiam factus, quid vanitatis, inquit, per ora hominum ſparſum audio? milites Gallos fugatos eſſe. Ad ea Marinus: minime quidem fugatos, nam ne fugere poſſent, ad vnum captos omnes eſſe reſpōdit. Tum Atrebas: Tu quidē Marine verſutior es, quā pro breuitate corporis. Cui Marinus: At tu quidem ô Atrebas min⁹ es multò & verus & probus, quam pro proceritate iſta tua.

Mutuus ſarcaſmus.

SENEX. Pungunt interdum liberæ iſtiuſmodi, quæ vtrinq; emittuntur voces, præſertim ſi negotiū agitur apud viros magnates, qui alioqui, ſiquidem dictis abſit mordacitas, impenſe iocis delectantur. Exemplum referam: Gomella ſiue fabulator facetiſſimus, ſiue ioculator maxime comis, interrogatus aliquādo à Nicolao Marchione Ferrarienſi

rienſi, quarumnam ſiue artium ſiue facultatum in vrbe Ferraria maior eſſet numerus? confeſtim reſpōdit: Quis dubitet, medicorum maiorē eſſet numerum? tum Nicolaus: O inanem hominem, & verbis huius artium artificumque ignorantiſſimum, quippe cum vix duo treſue ad ſummum Ferrariæ medicos habet ſiue ciues ſiue externos. Ad ea Gomella: O principem maioribus rebus deditum, qui ob eas vrbem ſuam ſuoſque ciues ignoret penitiſſime. Tum Nicolaus: Quid ſi hoc falſum ꝙ ipſe aſſeris? tum Gomella: Quid ſi ego verus? ibi ſiue pęna ſiue mulcta ex compacto ei qui van⁹ inuentus eſſet; conſtituta. Igitur in ſequenti die ſub aurorā Gomella pro templi aſtans forib⁹, obuoluto pellibus ore ac gutture, interrogantib⁹ qui in templū ingrediebantur, quonam morbo laboraret, reſpondebat ſingulis, dentium dolore, ſingulis etiam remediū aliquod dolori præbentibus, quorum ipſe & nomina conſcribebat & remedia. Atq; hac ratione vrbem perrectans perſcrutandoque remedia, ſingulos qui obuiam fierēt, percontatus, ſupra trecentos homines medicinam dolori tradētes notauit in tabella. Quo facto regiam ingreſſus, qua hora Nicolaus prandebat, ſeſe obtulit inuolutis & ore & ceruicibus, ingentem dolorem ſimulās, Nicolaus aſtu viri parum cognito, cum intelligeret illum haud bene valere à dentibus: Hoc ſtatim, inquit, Gomella, remedium adhibe, laudabis Nicolaum, è veſtigio enim ſan⁹ eris. His Gomella acceptis domum regreſſus tabulā inſtruit, remedia illa remediorumq; auctores continentem, ac primo loco Marchionem adſcribit, inde alios atque alios delectu adhibito. Tertio die quaſi ſanus atque à dolore liber, nudata gula ac ceruicibus, principē adit, docet quæ conquiſita & comprobata fuerint, mulctam ab illo expoſtulat, atque in ius illum ſeſe adacturum minatur, atque his dictis tabulam Marchioni legendam exponit. Ibi Marchio primum inter medicos locum ſeſe obtinere cōſpicatus, inde alios atque alios primates viros, à riſu continere nequiens ſeq; victum confeſſus, pecunia illi vt ſolueretur, imperauit.

EQVES. Idē Nicolaus Princeps equi Gomellæ huius caudam, quo in loco ſtabulabatur, clanculum nouacula abſcindi iuſsit. Ille hoc animaduerſo, aſellis qui eodem in ſtabulo nutriebātur, particulam labiorum ſuperiorum abraſit. Delatus apud Principem, non excuſauit factum, rogauit tantummodo damnū vti æſtimaretur, ipſiuſq; ad conſpectum deligati ducerentur, quo æſtimatio ipſo æquius fieri poſſet. Primo itaque loco reſte ducebatur Gomellæ equus, caudę vix fruſtū moritās, ſubſequebātur aſelli ſuo ordine illigati. Qui vt ante illius conſpectū ſtetere, reſque ipſa oculis omnium expo-

expoſita eſtatque animaduerſa: nec princeps ipſe, nec quiſpiam ex ijs qui aderant fuit, quin riſu dirumperetur. Tum Gomella; Nec tu Princeps in ſolio conſtitutus, nec quiſpiam è iudicibus, quamuis grauis ac ſeuerus, ad hoc ſpectaculum tenere riſum potuit, tunc aſinos, tunc beſtiolas has à riſu continuerit, dum equum tam ipſis familiarem decaudatum contuentur? Quo audito, iteratus eſt riſus, Gomellaque ipſe abſolutus, commendatuſque vt facerorum omnium Princeps, ſuauiſſimarumque facetiarum artifex ſuauiſſimus.

Ivvenis. Idem tamen ipſe irriſus aliquando ac deluſus dicitur etiam à mulierculis, vt cum iter faciens per Vmbriam perque agrum Treuienſem, animaduertiſſet puellulam prandentem in via, reſidentemq; in lapide, ac deſpoliarò porro complicantem ſpolia in Epiſtolæ ſpeciem, complicataque in os ingerentem, dixiſſetque ac ſi puellam rideret: Ad quemnam, ô ſcitula, literas complicatas mittis? tum illa irriſione viri cognita, exhilarato vultu. Obſignandas eas anui, reſpondit, mitto, dextera etiam anum ſignificans. Cumque haud multo poſt puellæ alteri obuiam factus eſſet, quæ capellas paſtum duceret, dixiſſetque tentabundus: En tibi ô bellula argenteolum, petroſelinum mihi ſi denudaueris, accepit illa conditionem, atque argentum: ſtatimque apprehenſa capella annicula, caudaque eius ſubleuata: En, inquit, vide atq; inſpecta quod optaſti holuſculum.

Eqves. Condonantur tamen quandoque temere à quibusdam perpetrata; quale eſt quod iam allegaui. Ac licet ea ipſa, cum dicuntur, ſunt ſiue ſalſa & aculeata nimis, ſiue obſcœna & ſpurca, poſſunt tamen referri cum modeſtia, quo efficitur, vitijs vt iis careant, qualia nunc referam.

Fuit è ſenatoribus Petri Aragoniæ Regis Queraldus quidam, tum ore fœdo, tum reliquo corpore parum compoſito: tamen qui ſumma comitate eſſet præditus, maximiſque in negotijs exercitatus. Is miſſus aliquando ad Regem Africæ, fuit ab illo in cœnam adhibitus, quã noſtrum in morem Rex ipſe apparari iuſſit editioribus in ſcamnis, Afri enim in ſolo ſuper tapetis diſcumbunt. Cœnitauerunt complures ſimul, Rex qui & ipſe comis eſſet & iocandi ſtudioſus, iuſſit clam oſſa colligi omnia, eaque ad pedes Queraldi illo neſciente conijci. Finita igitur cœna, cum aulæ magiſtri iuſſu menſæ eſſent ſublatæ appareretque oſſium cumulus, tum quiſpiam à Rege ſubmiſſus. Quid hic, inquit, oſſium video? Lupus profecto hic cœnitauit, non homo, tum Queraldus ad Regem conuerſus: Mihi, inquit, ó Rex, cum lupis in in cœna fuit negotium, quando

Liberè dicta & facta ſæpe cōdonantur.

rienſi, quatumnam ſiue artium ſiue facultatum in vrbe Ferraria maior eſſet numerus? confeſtim reſpōdit: Quis dubitet, medicorum maiorē eſſet numerum? tum Nicolaus: O inanem hominem, & verbis huius artium artificumque ignorantiſſimum, quippe cum vix duo treſue ad ſummum Ferraria medicos habet ſiue ciues ſiue externos. Ad ea Gomella: O principem maioribus rebus deditum, qui ob eas vrbem ſuam ſuoſque ciues ignoret penitiſſime. Tum Nicolaus: Quid ſi hoc falſum ꝙ ipſe aſſeris? tum Gomella: Quid ſi ego verus? ibi ſiue pęna ſiue mulcta ex compacto ei qui van⁹ inuentus eſſet, conſtituta. Igitur in ſequenti die ſub aurorā Gomella pro templi aſtans forib⁹, obuoluto pellibus ore ac gutture, interrogantib⁹ qui in templū ingrediebantur, quonam morbo laboraret, reſpondebat ſingulis, dentium dolore, ſingulis etiam remediū aliquod dolori præbentibus, quorum ipſe & nomina conſcribebat & remedia. Atq; hac ratione vrbem perrectans perſcrutandoque remedia, ſingulos qui obuiam fierēt, percontatus, ſupra trecentos homines medicinam dolori tradētes notauit in tabella. Quo facto regiam ingreſſus, qua hora Nicolaus prandebat, ſeſe obtulit inuolutis & ore & ceruicibus, ingentem dolorem ſimulās, Nicolaus aſtu viri parum cognito, cum intelligeret illum haud bene valere à dentibus: Hoc ſtatim, inquit, Gomella, remedium adhibe, laudabis Nicolaum, è veſtigio enim ſan⁹ eris. His Gomella acceptis domum regreſſus tabulā inſtruit, remedia illa remediorumq; auctores continentem, ac primo loco Marchionem adſcribit, inde alios atque alios delectu adhibito. Tertio die quaſi ſanus atque à dolore liber, nudata gula ac ceruicibus, principē adit, docet quæ conquiſita & comprobata fuerint, mulctam ab illo expoſtulat, atque in ius illum ſeſe adacturum minatur, atque his dictis tabulam Marchioni legendam exponit. Ibi Marchio primum inter medicos locum ſeſe obtinere cōſpicatus, inde alios atque alios primates viros, a riſu continere nequiens ſeq; victum confeſſus, pecunia illi vt ſolueretur, imperauit.

EQVES. Idē Nicolaus Princeps equi Gomellæ huius caudam, quo in loco ſtabulabatur, clanculum nouacula abſcindi iuſſit. Ille hoc animaduerſo, aſellis qui eodem in ſtabulo nutriebātur, particulam labiorum ſuperiorum abraſit. Delatus apud Principem, non excuſauit factum, rogauit tantummodo damnū vti æſtimaretur, ipſiuſq; ad conſpectum deligati ducerentur, quo æſtimatio ipſo æquius fieri poſſet. Primo itaque loco reſte ducebatur Gomellæ equus, caudę vix fruſtū motitās, ſubſequebātur aſelli ſuo ordine illigati. Qui vt ante illius conſpectū ſtetere, reſque ipſa oculis omnium expo-

expoſita eſt atque animaduerſa: nec princeps ipſe, nec quiſpiam ex ijs qui aderant fuit, quin riſu dirumperetur. Tum Gomella; Nec tu Princeps in ſolio conſtitutus, nec quiſpiam e iudicibus, quamuis grauis ac ſeuerus, ad hoc ſpectaculum tenere riſum potuit, tunc aſinos, tunc beſtiolas has à riſu continuetis, dum equum tam ipſis familiarem decaudatum contuentur? Quo audito, iteratus eſt riſus, Gomellaque ipſe abſolutus, commendatuſque vt facetorum omnium Princeps, ſuauiſſimarumque facetiarum artifex ſuauiſſimus.

IVVENIS. Idem tamen ipſe irriſus aliquando ac deluſus dicitur etiam à mulierculis, vt cum iter faciens per Vmbriam perque agrum Treuienſem, animaduertiſſet puellulam prandentem in via, reſidentemq; in lapide, ac deſpoliatò porro complicantem ſpolia in Epiſtolæ ſpeciem, complicataque in os ingerentem, dixiſſetque ac ſi puellam rideret: Ad quemnam, ô ſcitula, literas complicatas mittis? tum illa irriſione viri cognita, exhilarato vultu: Obſignandas eas anui, reſpondit, mitto, dextera etiam anum ſignificans. Cumque haud multo poſt puellæ alteri obuiam factus eſſet, quæ capellas paſtum duceret, dixiſſetque tentabundus: En tibi ô bellula argenteolum, petroſelinum mihi ſi denudaueris, accepit illa cõditionem, atque argentum: ſtatimque apprehenſa capella annicula, caudaque eius ſubleuata: En, inquit, vide atq; inſpecta quod optaſti holuſculum.

EQVES. Condonantur tamen quandoque temere à quibuſdam perpetrata; quale eſt quod iam allegaui. Ac licet ea ipſa, cum dicuntur, ſunt ſiue ſalſa & aculeata nimis, ſiue obſcœna & ſpurca, poſſunt tamen referri cum modeſtia, quo efficitur, vitijs vt iis careant, qualia nunc referam.

Liberè dicta & facta ſæpe cõdonantur.

Fuit è ſenatoribus Petri Aragoniæ Regis Queraldus quidam, tum ore fœdo, tum reliquo corpore parum compoſito: tamen qui ſumma comitate eſſet præditus, maximiſque in negotijs exercitatus. Is miſſus aliquando ad Regem Africæ, fuit ab illo in cœnam adhibitus, quã noſtrum in morem Rex ipſe apparari iuſſit editioribus in ſcamnis, Afri enim in ſolo ſuper tapetis diſcumbunt. Cœnitauerunt complures ſimul, Rex qui & ipſe comis eſſet & iocandi ſtudioſus, iuſſit clam oſſa colligi omnia, eaque ad pedes Queraldi illo neſciente conijci. Finita igitur cœna, cum aulæ magiſtri iuſſu menſæ eſſent ſublatæ appareretque oſſium cumulus, tum quiſpiam à Rege ſubmiſſius. Quid hic, inquit, oſſium video? Lupus profecto hic cœnitauit, non homo, tum Queraldus ad Regem conuerſus: Mihi, inquit, ô Rex, cum lupis in in cœna fuit negotium, quando

ſuporum eſt & carnem & oſſa ſimul abrodere, quod commeſſatores iſti tui fecere: Ego vero vt homo, vt conuiua comis, carnes abſumpſi, oſſa in humum abieci, in canum paſtum atque oblectamentum. Hæc igitur dictio vt mordax tum pupugit, at relatio, vt iucunda nunc delectat.

Idem Queraldus, quo Regem delectaret, adhibitus ab illo in cubiculum, in quo conſtrata eſſent omnia ſerico, atque exaſperatis acu purpuris, nulluſque relictus eſſet locus, in quo ſine nota poſſet inſpui, fieretque illi proximus Regijs è famulis quiſpiam ore fœdo atq; impuro, à veſtigio excreabundus os illius ſputo inſpurcauit, qui ſublata ſtatim voce Regem appellauit.

Hoc cognito Queraldus: Ego, inquit, iucundiſſime Rex, apparatus tui nitorem admiratus, ne aliqua illum parte contaminarem, nullum cum alium præter illius os, immundum relictum locum atque ſpurcoſum cernerem, in illum excreatum profudi, quaſi à te ob id ſeruatum, quo nitor ibi tuus ſaluus eſſet. Actio quidem ipſa ſordida tunc fuit & contumelioſa, at relatio perbella.

In eadem legatione quidam è Regis aula factus ei obuiam, in deformitatem eius illatus: Quid, inquit, Petrus Rex portenti ad nos miſit? ad ea ipſe confeſtim: Sciebat, inquit, Petrus, ad quē me mitteret, nam & Rex illo deformior erat. Hæc ipſa & dictio & reſponſio habent in dicendo ſpicula: at in referendo ſalem ac ioculationem, propter promptitudinem reſpondendi, & maledicti reiectionem tantopere inexpectatam.

SENEX. Nimis libere iſthæc à Queraldo acta atque dicta fuerunt, & mirum omnino quod impune. Impunitatem Galeatius Pandonus quoque nactus fuit, ſed interueniente prudentia. Dicam hiſtoriam: Galeatius Pandonus, Ioannis Andegauenſis partes ſecutus, cum alijs non paucis in carcere ac ſqualore complures annos Ferdinando à Rege eſt habitus: cæteri in vinculis aſſiduo maledicere, lamentari, mœrore confici: ipſe contra iocari, ridere, pædorem in delitias verbis conuertere, nihil illo iucundius eſſe, deniq; eam ob rem in pugillatum deſcendere. Quod Ferdinando renunciatum cum eſſet, liberari eum è carcere ſtatim iuſſit, liberatumque honeſto ſalario eſt proſecutus. Ille ad mortem vſque Ferdinandi ſic vixit, vt quæ plurima in carcere teterrime paſſus eſſet, ea omnia inter enumerandum in riſum conuerteret ad iocum. *Patientiæ fructus.*

Delectant autem hæc tum dicta tum reſponſa, nam & laceſſunt neminem, & obſcœnitate carent, nec indigna ſunt ingenuo ho-

homine, ſiue dicendo ſiue audiendo.

EQVES. Hæc igitur Maxima in omni iocorum genere eſt, nimirum faceti hominis orationem vbique multum gratię habere oportere, vt grauiſſimis quidem in rebus ſuiipſius obliuiſcatur, ſitque ita facetus, vt ſeueritatis quoque meminerit: adeo autem ſeuerus, vt ſciat, laborum comitem eſſe debere quietem ac ludum aliquem, honeſtum tamen ac commendatione dignum. Qualia vero facetorū tum dicta, tum reſponſa eſſe debeant, ex ijs paucis quæ ſubiiciam, facile apparebit.

Viſui quid conferas.

Actius Syncerus, rari vir ingenij, magnæque nobilitatis, & ipſe quoque admodum facetus, cum in conſpectu Federici regis eſſet inter phyſicos quæſtio, quid præcipue conferret oculorum perſpicuitati, alijque fœniculi afflatum dicerent, alij vitri vſum, aliique item aliud: At ego, inquit, inuidiam aio. Obſtupuerunt hoc dicto adeo medici vt ab auditoribus deriſui haberentur. Tum ipſe: Annon inuidia maiora ac pleniora omnia videri facit? Quid autem oculis magis præſentaneum, quam vt vis ipſa aſpiciendi maior reddatur, atque vegetior? protulitque ſtatim Ouidianos illos verſus:

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in agris,
Vicinumque pecus grandius vber habet.

De podagra iocus.

Idem interrogatus ab amico, quid de Marini Mineruæ negotiis haberet certi? reſpondit, quod apud forum cum vxore litigaret. Cumque ille: Quid (malum) ex te audio, cum vxore hic vt litiget, qui eam in Brutiis multos ante annos pene viduam reliquerit? Tum Actius rurſum: Quænam (malum) ignorantia iſta eſt tua, qui neſcias Marinum repudiata priore, nuper vxorem duxiſſe podagram? Mouit repente, qui aderant, omnium riſum, cum pro lecto ad forum alluſerit, vbi perpetua eſt litium agitatio, pro vxore ad podagram quæ illi vſque in cubili adeſſet & comes & ſocia, nec quieſcere eū pateretur.

SENEX. Petrus Fundanus, cum audiret familiarem hominem de pedum dolore eiulatus mittere, nec poſſe illos compeſcere, accurrit ad clamores: Ecquid, inquiens, alij de itinere queruntur aſſiduo laboribuſque quamplurimis de perpetua negotiorum inquietudine alij: Tu (proh Deum atque hominum fidem) de quiete quæreris atque otio? quod ſi tibi moleſtum eſt, exurge age, ac peregre proficiſcere. Sic de lepore dolor in riſum conuerſus eſt.

IVVENIS. Celebrabantur aliquando nuptiæ regię, apparatu ſplēdidiſſimo. Erat dies decurſionis haſtatæ, flagrabantque ſub ſole cuncta.

cta. Conuenerant autem mortales omnis generis ad ſpectandum, cumque plurimi ludorum eſſent laudatores, vel plerique omnes admiratores potius, in media laudantium frequentia & plauſu exclamauit Teutonicus: O valeant ludi, in quibus nemo bibit. Neſciam an alius tanta in multitudine dictũ vllum tanto cum riſu acceptum fuerit, præſertim ex ore Germanici hominis.

Germanorũ ſitis.

EQVES. Philopœmenes Achæorum dux, præcipue inter Græcos clarus erat diuerſurus ad hoſpitium veteris amici. Quo cognito iuſſit hoſpes apparari quæ neceſſaria eſſent alia, ab vxore, dum interim ipſe obſonium apparatet. Hæc inter Philopœmen ſolus (vt ipſa res ferebat) ad hoſpitium properat, quem venientem hoſpita, dum vt ſolum, vt deformem, vt qui nihil ornatus haberet eximij, conſpicit, arbitratur mulier ex adminiſtris eſſe aliquem, qui herum præueniret, cum eſſet, de aduentu Philœopmenis mirifice ſolicita, etiam blandienter rogauit eum, ſe vti adiuraret ad dominum comiter accip[illegible] Tum Philopæmen [illegible] per humanus, co[illegible]ris errore, confeſti[illegible] accepta & cuneó, cœpit [illegible] findere coquendam ad [illegible]. Hoſpes interim do[illegible] regreſſus, cum animaduer[illegible] Philopæmenem findendis li[illegible]s malleo incumbere. Proh Iupiter, inquit, quid hoc Philopæmen? proh pudor deorum atque hominum, quid agis Dux maxime? vultumque de dolore ſimul ac pudore demiſit. Ad ea Philopæmen maxima cum iucunditate: Pro deformitate, inquit, oris, totius corporis pœnas luo.

Philopæmenis benignitas.

Voluit ipſemet præbere de ſe & riſum hoſpiti, & ſibi ipſi ridiculus eſſe. Res ſane feſtiuo ac faceto homine, digna quæque quo rarior, eo etiam fuerit lepidior.

SENEX. Cum aliquando Titus Flaminius in dictum Philopœmenem iocaretur, deformitati corporis eius illudens, diceretque vultu quam maxime iocoſo & hilari: Quid hoc Philopœmen, cum pulchras manus, crura etiam perquam pulchra habeas, quod ventrem ipſe non habeas. Ad ea Philopœmen eadem cũ hilaritate & vultu: Quid ô Romanorum Imperator eximie, cum egregios pedites, ſtrenuos maxime equites, quod pecuniam minime habeat? Nam & Flaminius perſæpe inopia rei pecuniariæ laborabat, quemadmodum Philopœmen exiguitate ventris, ac medij corporis gracilitate.

EQVES. Hæc pungunt & facile crabrones irritant. Hoc vero genus facetiarum & ingenuo viro dignum eſt & inter egregios ciues relatu atque auditu, quando & obiecta diſſoluit, & offenſione caret: nec delectat ſolum, verum

ſumma

ſumma quoque eum laude fert ſecum audientium approbationem. Id tamen videndum, ne dicta ipſa aut frigida ſint, aut abſurda, quæue imprudenter excidant, ex quo ſtultitiæ accuſemur.

Ioci frigidi & abſurdi. Gregarius quiſpiam furti accuſatus, dum iram ſeſe prætoris lenire putat: Equidem, inquit, ô prætor, artibus his hero meo placere intelligebam. Quid his ſtultius? Namque hero, dum dicit, ſtudere ſe vt obſequatur, illum calumniatus eſt.

Alius eiuſdem ordinis in horto deprehenſus, cum vapulans deprecaretur, non mihi, inquit, poma ſurripui, verum aſello meo. Quid hoc frigidius?

SENEX. Ad humiles abiectoſque redeamus, de quibus ſupra breuibus aliquid attigiſti; quid indignius quam miſerum irridere? Colas Siculus, & naturæ & fortunæ bonis deſtitutus, cum nobili ab adoleſcente importune irrideretur: ne tu, inquit, me irrideas, inferior enim ſum, quam vt irrideri merear, cuius potius ſors ab ſummis atque infimis deplorari iure debeat: haud tamen multum aberit, cum bonis ipſe exutus omnibus mecum & fortunam tuam lugebis, & mendicabis in patria, quod non multo poſt contigit. Habent enim impia & inteſtabilia tum facta, tum dicta, Deum ipſum vltorem. *Miſeri non sũt irridẽdi.*

EQVES. Aliquando etiam miſerabilium è numero ac mendicantium exſiſtunt, qui dicaces ſint, ac maxime ipſi quidem ad mouendum riſum idonei: de quibus iure dici poſſet: Horatianum illud: *Fœnum in cornu gerit.* Hi igitur ipſi irritati notas maxime cicatroſas relinquunt immorſionum ſuarum: vt cum dicaculus quidam lippo inſultaret mendicanti, quod ad ſcrupum pedem offendiſſet: At non offendit (reſpondit lippus) pedem tuarum ad limen ædium nocte præterita adulter, domo cum abeſſes, quod quidem & factum erat, & ille id minime ignorabat. Quocirca nequaquam committendum, ratione vt aliqua huiuſmodi hominum generi ſiue imprecationibus, ſiue maledicentiæ te exponas.

SENEX. Afflicto non eſt addenda afflictio. Itaque magis illis commiſeremur, quam diuexemus. Cæterum quod ad eorum attinet claſſem de quibus hactenus egimus, quandoque ita cum ijs ita comparatum eſt, quinetiam locus & tempus & res etiam ipſa ſuadet, vt increpatoris etiam acerbi aut inclamatoris agreſtis perſonam quis induat, non quidem vt moleſtiam illi afferat, verum vt vbi retinere ſuauioribus illum verbis nequit, aut dictis exempliſque, aut probabilibus ſuaſorijſque rationibus deterreat, inclamando auſterius,

Vu pro-

proponendo etiam turpitudinem, infamiam, periculaque tum rerum honoriſque, tum vitæ quoque ipſius.

Admonitionis acrimonia quãdoq; neceſſaria. Cæterum quales eſſe debeant admonitiones in rebus ac negotijs grauioribus, docet apud Saluſtium Micipſa Rex, Iugurtham commonefaciens grauiſſima vel paterna potius oratione, nunc enim commonefacit ipſum beneficiorum quibus Rex humili natum genere affecerit, nunc vt gratum collaudat, nunc vt gratum collaudat, nũc aduerſus fortunæ inconſtantiam præmunit egregijs ſententijs, nunc Adherbal & Hiempſal filios ipſi commendat. Videatur integer locus apud Saluſtium. Nec minus docet apud Liuium Scipio in maxime amica & ſapienti illa ad Maſiniſſam allocutione, qua nihil grauius, nihil amicius, ac (ſi rem ipſam introſpiciamus) nihil accommodatius, neue aliqua in parte dignitati aut ſuæ aut Maſiniſſæ deeſſet, poſt Sophoniſbæ interitum nunc ſolatur illum, nunc leuiter caſtigat, poſt etiam aduocata concione Regem appellat, eximijſque ornatum laudibus, aurea patera, ſella curuli, ſcipione eburneo, toga idem picta, palmataque tunica donat, additque & verbis honorem.

EQVES. Nimirum id amici officium eſt in amicum, mutuus eſt inter amicos amor, mutuum etiam ſtudium, mutua vtilitatum collatio expetitioque gratificandi, denique amicus eſt alter ego, vt omnes conſentiunt. Eſtque hæc inſignis virtus quæ dicitur Comitas, quique huic ſtudet, Comis dicitur; atque is non mouetur in peregrinum, aduenam, ſummum vel infimum ciuem, notum, ignotumue beneuolentiæ atque amoris, mutuique ipſius gratia, ſed naturali quadam commotione, quodque ita ſuapte natura inſtitutus ſit, cumque ſeſe ipſe aſſueſcendo comparauerit, vt qui gratus eſſe omnibus velit, moleſtus vero nulli, aut impudenter contentioſeque aduerſari, quin vt aſſentari minime vult, recuſatque altercari ac rixas ferere: ſic media inter vtrunque officia inter omnes exercere nititur humanitatis præcipue memor, generiſque hominum ſtudioſus, eorumque ſocietatis & inſitis à natura officij. Quo fit, idem bonus vt ſit vir, ciuis probus, homo hominis amicus, gratus ac iucundus, & ſimul cunctis publice & priuatim ſingulis, moleſtus vero nemini: quique in conuerſationibus vitaque ſociabili eum ſeſe gerit, vt lenibus pariter gratus ſit, ac ſeueris, iucundis æque ac triſtibus, manſuetis item ac duriuſculis, præſtatque aduerſum ſingulos id quod Horatius præcipit: *Comitas.*

Sed pater vt gnati, ſic nos debemus
amicis,

Si quod ineſt vitium, non faſtidire: ſtrabonem
Appellat pœtum blandus pater.

Omnino igitur huiuſmodi habitu qui eſt præditus, ita loquitur in gratiam, vt in impudentiam aliquam nullo modo incidat aut parum modeſtam commendationem ac laudem. Quod ſi quandoque deflectendum ſit à linea, illud ſeruat, quod ij qui rapida ac maiora tranãt flumina, in obliquum trahi ſe tantiſper vt ſinant, dum ea ratione ad alteram ferantur ripam, cum velle aduerſum ire continentius, ſit non modo difficile, verumetiam temerarium longeq; periculoſiſſimum. Rurſuſque ita aliquando aduerſus contendit, eaque modeſtia & lenitate aut refragatur, aut parum aliquid probat, vt exemplo illorum qui dirigere virgulam aut flagellum incuruum volunt, & ſenſim & molliter retorquendo dirigere illud ſtudeant, ne maiorem dum afferre vim volunt flagellum ipſum frangant.

IVVENIS. Abſit itaque omnis adulatio, omneſque adeo adulatores longum abeant quippe quorum vna eſt cura, totique in eo ipſi ſunt, quo adulando rei ſuæ conſulant familiari, & quaſi verborum mercaturam faciant, oratione vbiq; vtuntur ſecunda & blanda, hocque ſibi vitæ genus delegerunt ad amplificandam rem domeſticam.

Adulatores. EQVES. Periculoſa ſane & maxime peſtilens huiuſmodi hominum eſt conſuetudo ac familiaritas, quorum quia primatum virorum principumque ac regum præcipue, plenæ ſunt aulæ, inde adulatores dicti: qui dum placere & gratificari tantum ſtudent, veritati apud dominos aures obſtruunt, atque ad illorum vultum libidinemque ſeruilem in modum omnia loquuntur.

Aſſentatores. SENEX. Iidem alio ſunt nomine Aſſentatores, ab aſſentiendo dicti, quod eorum congitationes atque conſilia in id ſolum intendant, id ipſi tantum agant, ſibiipſis vt proſint, ſecuti Terentianum illud: Ais, aio, negas, nego. Quibus hominibus, quod plerunque ſolis, qui res moderantur publicas, ſuas patefaciunt aures, hinc & videmus & audimus, & legimus, eorum res frequentiſſime in præceps rapi, turbarique ac miſceri repente principatus ac regna. Quæ res noſtris quoque temporibus clariores ſunt, quam vt exemplis indigeant.

Subſurrones. IVVENIS. His accedunt & Suſurrones, qui & ipſi auribus quoque inſeruiunt quo aliquod inde emolumentum, & cœnas ſaltẽ, & vultus bonos (vt dici ſolet) reportent. Seruile ſane hoc genus hominum, nec de prauatis modo, verumetiam ſordentiſſimis moribus. Nero ac Domitianus Auguſti, ſimulationes ſuas fictoſque vultus ac

verba compoſita, ad crudelitatem plerunque conuertere, Ferdinandus Alphonſi filius, Neapolitanorum Rex magnus & ipſe fuit artifex & vultus componendi, & orationis in quem ipſe vſum vellet.

Ptolemæus ille, qui poſtea in Nilo perijt; à Cæſare ita diſceſſit, vt etiam lacrymaretur, oſtentans ſi deſiderium abſentis eius vix eſſe paſſurum: qui tamen vbi ad exercitum atque ad ſuos tranſit, bellum e veſtigio multo acerrimum excitauit.

Captatores. SENEX. Sunt etiam qui Captatores dicuntur, quorum ſtudium eſt, non dictis modo, ſed conferendis etiam muneribus captare animos ac voluntates illorum præſertim quibus aut certi minime ſint hæredes, aut eorum eijciendorum ex hæreditate ſpes adeſt. Quod genus late diffunditur, non maximis inhiantum modo fortunis, verum patrimonijs etiam minimis.

Dicti igitur à captando, quo in verbo & fraus ineſt, & maius etiam habendi ſtudium. Quippe cum ipſi non verbis modo, verum etiam donis conuiuijſque pugnentur, aucupum morem atque allectationes ſecuri: eorum enim captioſa ſunt omnino obſequia, fraudis atque inſidiarum plena; aduerſum quos merito & dentes acuunt & gladios ſtringunt Satyrarum ſcriptores. Sed nobis hac ſatis in parte fuerit vitij genus innuiſſe.

EQVES. Sunt quoq; quos ambitio honoriſque ſtudium minime, vero pecuniæ cupiditas trahat ad aſſentandum, leuitate tantum quadam duce, dum videri quam eſſe ipſi malunt, ſolaque populari & capiuntur & paſcuntur aura: qua in re ſeq; ſuaſque res omnes videntur collocaſſe, plebeiorum etiam ad hominum opinionem omnia referentes. Quæ ſane leuitas eſt ac vanitas maxima, proindeque homines ipſi perquam leues ac vani, dum vmbra capiuntur rerum magis quam rebus ipſis.

SENEX. Horum omnium ſtudium eſt atq; propoſitum, adulando atque in gratiam loquendo rebus ſuis conſulere, hiſque artibus & conſilijs rei familiari proſpicere. Quod dummodo conſequantur, non modo nulla è parte moleſti eſſe volunt, verum ſingula laudant, dictiſque & factis quibuſque aſſurgunt, quin quæ maxime fortaſſe ridenda ſint, & admirantur illa & in cœlum ferunt, verbis quoque ipſis oris geſtum adhibentes, & corporis totius habitum.

EQVES. His accedit maxime vanum genus hominum, quorum ſtudium tantum eſt, loquendi in aliorum gratiam, atque ad illorum ipſorum vultum atque opinionem, orationem ſuam ſeque ipſos componere, iiſdemque in omnibus.

bus morem gerere, ſeque ſuaque dicta ſermoneſque ad hæc ipſa tantum inſtituere. Quorum quidem conſilium Terentianum quoque eſt illud, & meta quaſi quædam, ad quã ſeipſos inſtruunt: Obſequium amicos, veritas odium parit. Quod dictum quanquam latius fortaſſe patet, tamen maxime ad eos referendum, qui voluptatem ſolam ſuis è dictis quæritant, quam ad adipiſcẽdam ſeſe omni arte inſtituunt ac dicendi ſtudio, ſolumque eorum eſt propoſitum, dominantibus vt placeant, & quibus cum obuerſantur, eos delectent, iis blandiantur, & illorum arte vt omni aures demulceant, voluptatis gratia demũ omnia. Hæcque illorum eſt finis ac propoſitum.

Salſum. *Inſulſum.*

IVVENIS. Sunt tamen etiam, qui in dicendo ſalſi eſſe ſtudẽt, quo ipſo tamen, mirum quàm ſunt inſulſi. Atque hinc eſt, quod ſalſum à peritioribus dupliciter cõſideratur. Aut enim in rixam ſpectat ac contentionem, moleſtumque eſt atque odioſum, aut delectat & familiariter iocatur: proinde hoc omnino liberale eſt ac iocoſũ, illud vero mordax ac dentatum. Generis vtriuſq; hæc ſunt exempla.

Scipio ille maior in menſa cum accubuiſſet, ac de conuiuarum more corona capiti eius eſſet impoſita, eaque & bis & ter rumperetur, ægreque fortaſſe id ferret, tum P. Lucianus Varus: Noli mirari, inquit, parum ſi conuenit, caput enim magnum eſt.

Craſſus in Parthos proficiſcens ad Deiotarum in Bithyniam diuertit, nouam tunc vrbem ædificantẽ; itaque in eum iocatus quod eſſet ſenectute iam confectus duodecima, inquit, diei hora nouam vrbem aggrederis. Ad quæ Deiotarus, (nam & Craſſus erat ſexagenario maior) Nec tu, reſpondit, ó Graſſe ſatis matutinus in Parthos proficiſceris. Vterque perquàm familiariter ac iucunde, neque vt laceſſerent, verum vt iocarentur.

SENEX. Exempla quæ iam proferam, velut vncum præ ſe ferunt, quippe quæ & ſcindunt, & rapiunt.

Barnabas Barolitanus iudicatus eſt de fide Chriſtiana parum piè ſentire. Itaque aliquando cum hiaret, deque more tamen Chriſtiani hominis pollice crucem ad os deſignaret: tum Maſius Æquoſa, qui & iocoſus homo eſſet & peracutus, vt Siculus, atque ille notus: Quid hoc, inquit Barnaba, qui cruce os quaſi carcerem obſignaueris, ne dæmon ille malus tuo te è pectore ꝓripiat? Quid hoc ſalſo ſalſius? his enim verbis vt malè de Deo ſentiens coarguitur.

Accubuerat ad menſam Petrus Summontius, cumque pranſus iam eſſet, ſacerdos ſatis importune ad menſam ſeſe ingeſſit, vixque accubuerat, cum ad miniſtrũ conuerſus, ſtatim: Sitio, inquit, miſce puer.

Tum Petrus; Atqui, inquit, non putaſſem, præterita nocte tua te cum commatercula delitias feciſſe. Pupugit enim illum acerrimè ex hoc, quod mane ſitiant multum, qui ſe in Venerem noctu reſoluerint.

Scurræ. IVVENIS. Eſt & huic confine Scurrarum quoddam agmen, qui tametſi prima fronte nequaquam accuſandi videntur, quia delectare dictis ſuis ac iocis conſeſſores ſtudeant, & tanquam recreare à curis & ſolicitudinibus, ex eo tamen, quod nec modum in iis retinent, nec menſuram dumque iocari queant ac riſum mouere, hinc honeſtatis modeſtiæque digrediuntur è via, illinc vellicant aſtantes, ac moleſtia afficiunt, & perturbant potius quam delectant aut recreant, vt finis eorum nequaquã ſit refocillare facetiis ac iucundis dictis, ſed quouis modo riſum mouere: dumque delectent, parum omnino curant alios laceſſere ac ſugillare. Itaque non abs re multis nominibus accuſandi veniunt ac reprehẽdẽdi, digreſſi ſiquidem è facetudinis curriculo, ac decori ipſius delectuſque obliti, delabuntur ad obſcœnitatem, dicacitatem, ſpurcitiem.

SENEX. Scurrarum non vna eſt ſpecies. Cum enim ipſi à iocandi ac dicendi exceſſu rapiantur, huic vni tantum ſtudent, & alij quidem relicta prorſus mediocritate decorique ipſius ac temporis, locique & item perſonæ, immemores, id tantum quærunt, vt & videantur & iudicentur faceti: in quo nihil omnino penſi habentes, vanitate quadã ducti, nomen vix ipſi ſuum ac certum habent. Alij qui videri velint tum oblectare, tum etiam vellicare, ac mordicus petere, ſiue vltioni ſtudentes, ſiue vt maledicant, moleſtiamque ingenerent, cum natura ſint ab ipſa incommodantes, ſiue vt inde timeantur, lucrumque ex eo referant; & hi quidem Dicaces, viciũque ipſum Dicacitas dicitur. *Dicaces.* *Dicacitas.* Alij vero qui nequaquam moleſti videri aut mordaces velint, ne quo oblectent per ſe, verum dum placent, fructum vt inde aliquem referant: hique Arriſores appellari fortaſſe *Arriſores.* poſſent, quum vultu quam verbis vt placeant magis, dent operam.

Alij contrà, his vt diſpliceant, illis vt placeant, aliis vt gratificentur, alios vt dirideant, ſummo contendunt ſtudio. Hique Deriſores dicuntur. *Deriſores.*

Sunt quibus curæ ſit obſcœnitas, hoc eſt, dicta parum modeſta, eaque nec verecunda nec proba, quæque impudentiam præ ſe ferũt, & à modeſtis auditoribus non ſine rubore oculorumq; demiſſione audiuntur, cum verba ipſa ſint obſcœna ac res ipſæ ſæpe obſcœniores.

Quidam non tantum obſcœna, verum etiam ſpurca capiunt, eſtque eorum ſtudiũ ſpurcari, hoc eſt, impuris

puris & iocis & dictis diffluere, vt nō iucūditas eos moueat, ſed turpitudo potius ipſa tum rerū tum verborum intemperata ac deformis explicatio: ipſi Spurci vocati, vitiumque ipſum Spurcitia.

Spurci.
Spurcitia.

His accedunt maligni quidam, naturaque etiam ipſa ad maledicendum procliues, ad detrahendumq; habitu atque exercitatione confirmati, quorum dicta non pungant modo, verum & vrant, puſtulas inducant atque carcinomata: nec careant aut veneno aut aperta petulantia, morſibuſque viperinis.

EQVES. Hæc quidem videntur eſſe Scurrarum genera, quorū deformatiſſimi ſunt, qui apud Principum menſas inque dominantium aulis verſantur: non modo rei familiaris ampliandæ gratia, quod tolerabilius quidem videatur, verum vt ventri ſatisfaciant atque ebrietati, hique facile quidem in omnem turpitudinem dilabuntur, gulæ ac ventris ſtudio: Græco nomine nunc Paraſiti vocati, nunc Sycophantæ, vitiumque ipſum Paraſitatio ac Sycophantia.

IVVENIS. Horum tamen ſtudiis quam maxime ferè aduerſari videntur contentioſi quidam homines, quorum ea eſt natura, id etiam ſtudium, vt non modo non loquantur in aliorum gratiam, atque gratificentur ipſi aliis, ſed contra vt aduerſentur & vbique & in quibuſq; neminemque vereantur in dicendo offendere: quin & ferant ipſi ſponte ſtudioſeque contentiones, & ab aliis ſatas accipiant, lætenturque iis & fouendis & exercendis, quibus etiam vita ipſa vel moleſta futura ſit, ni in cunctis vel dentes imprimant, vel infignant aculeos, vt ad contentiones, diſſidia, rixaſque atque altercationes nati prorſus videantur. Et quam alij à natura conceſſam elocutionem exercent in conſeruanda hominum ſocietate, in conciliandis amicitiis, in ſolandis demulcendiſque moleſtiis, laboribus ac mœroribus aliorum, ea ipſi in aduerſum vtantur vel abutantur potius ac odia contrahenda, liteſq; excitandas, ac ſerenda diſcordiarum ſemina.

Cōtentioſi.

EQVES. Odioſum ſane genus hominum & muſcarum maxime ſimile vt nati hi omnino videantur ad turbas, vexationes, inquietudinē, vitęq; ad vniuerſę turbationē ac tędia.

IVVENIS. Horum autem duplex videtur mihi eſſe partitio, eorum vna, qui ſtudent, vt commoda vtilitatemque inde ſibi comparent, illorum altera, qui voluptatis tātum gratia, vtque inuidentiſſimæ ſuæ naturæ ac peruerſiſſimis cogitationibus morem gerant: Eorum autem vtrum genus longè ſit peruerſius, iudicatu difficile videri quidem iure poteſt, vtrunq; tamen peruerſiſſimum.

EQVES. Noui ego hominem natura admodum cōtentioſum, qui generis

Procurator litigioſus. generis ac familiæ contempta vel repudiata potius dignitate totum litibus ſeſe tradebat: ac ſatis ſcio, lites quaſdam ab actorib' deſtitutas, ſiue ob inopiam rei familiaris ad eas proſequendas, ſeu quod male eſſent cœptæ, pretio mercatum, quo (vt conuenerat) exoluto, proſecutum ſumptibus ſuis litigia, in hocq; vitam ſuam egiſſe omnem.

Ex eadem item familia alterum noui, mirificè controuerſiis aſſuetum, quin omnino illis addictum, vt cum aliquando per iocum ex ipſo quærerem, quonam modo cũ cauſis? reſponderit, bene ſibi atque è ſententia in omnibus ſucceſſiſſe, eaſdemque in rem ſuam terminatas, duas tamen aut tres in longum à ſeſe ea ratione protrahi, quod aliter otio immarceſceret, illaſque eo à ſe ſtudio reſeruatas, vt haberet in quo oblectaretur paſceretque animum. Vide hominis ingenium, qui litigia controuerſiasque ſibi voluptatem ſtatuerit. Sed nobis hac in parte loquendum neutiquam eſt iudicialibus de contentionibus, tantum ſtudia volui contentioſorum quorundam hominum oſtendere.

SENEX. Laurentius Vallenſis in Grammaticis, Rhetoricis, Dialecticisque ita ſcripſit & diſputare eſt ſolitus, vt minime videretur velle præcipere, nec appareret tam contendere illum de varietate proprietateque, quam docere, quam maledicere, obiectareque vetuſtis ſcriptoribus atque obloqui.

Itaque Ciceronem vellicabat, Ariſtotelem carpebat, Virgilio ſubſannabat. Et qui cum Laurentio familiariter vixerunt, affirmant illum nequaquam eo conſilio in Grammaticis ſcripſiſſe ac Dialecticis, quo doceret, diſciplinaſque ab ignoratione vindicaret, verum vt malediceret, obloquendoque detraheret de fama atque auctoritate, rerum ſcriptoribus.

IVVENIS. Hem hominem ingenio retrouerſo ſiue præpoſtero, qui maximis quibuſque ringeret auctoribus, vni tantum Epicuro aſſurgeret, qui nec aliud velit, curet, ſtudeat, quam vt detrahat quibus minime par eſt, ac maledicat.

SENEX. Communi vocabulo Momi dicuntur. Præter hos autem *Momi.* in vtroque genere, quos peccare dicimus delabique in exceſſum, ſiue adulando, ſiue contendendo rixandoque, ſunt qui Verboſi dicun- *Verboſi.* tur. Hi dum placere ſtudent & grati eſſe minime quidem aut placent aut voluptatem afferunt, qui in moleſtiam potius ac tædium pariunt defatigationis ac ſatietatis plenum, decepti iudicio rerumque ſimul ac verborum aceruationibus, vt neſcias, ex eo quod aures vel offendunt vel exatiant, ſintne Cõtentioſis potius quam inſulſis annumerãdi. Verum cõtentioſi id agunt, vt nemini parcant,

parcant, parumque omnino offenſitare alios, aut curent aut caueant. Verboſis vero propoſitum eſt ac conſilium oblectandi, modum tamen dum minimè retinent, dum delectum adhibent nullum, in caſtra tranſeunt aduerſariorum, apparentque transfugis ſimiliores. Itaque Verboſi & initio & inter dicendum ſubinde delectant: nec odio ipſi habentur, ſed recuſantur eorum ſermones magis quam fugitantur. At contentioſi vbique offendunt, & odio eos boni omnes proſequũtur, ab illiſque abhorrent audiundis, quos & maledictis quoque inſectantur.

IVVENIS. His ipſis haud multum etiam videntur differre Nugatores, quorum narrationes inopes quidem rerum ſint, nugæ (vt Horatius inquit) canoræ. Cæterum vanitate illi verborum atque aggeſtione magis peccant; hi rerum. Vterque tamen confunduntur in dicendo & nimij ſunt, nullum cum delectum adhibeant, indeque maxime etiam moleſti vterque quando vterque inepti ſunt maximeque inconſiderati.

EQVES. Horum haud multum tum diſſimiles ſunt, qui Garruli dicuntur, quorum ſermo & moleſtus eſt & nimius. Obtundunt autem tum vanitate rerum, tum inanitate verborum, quibus in omnibus & nimij ſunt & importunati valdeq; indecentes. Vitium autē ipſum Garrulitas, ab auibus ductum, neque enim ceſſant, & in iiſdem aſſiduo verſantur vel potius interſtrepant.

IVVENIS. Peccant hi omnes quos hactenus enumerauimus, in exceſſu. Cæterum in defectu qui peccent conſiderandum.

SENEX. Ipſum quidem peccatum ſeu defectus potius, Ruſticitas à Moralium ſcriptoribus vulgo appellatur. Ruſticis tamen hominibus eo nomine dicam inurere, indecēs fuerit; quippe mores ac vita vſque adeo apud veteres non fuerunt illaudati, vt etiam è ruſticis conſules ac ſenatores ſuos olim delegerint Romani, orbis vrbiumque dominatores. *Ruſticitas.*

EQVES. Ruſticis quatenus ſunt ruſtici, id eſt, quatenus operas ruſticas exercēt, omnino carere nō poſſumus, ſuntq; laude omnimoda digniſſimi, id quod ſuo loco à nobis dicetur ampliſſime. Ruſticitatē tamen dixerunt illum in iocando defectum veteres, eò quod teneritas ipſa iocandi ciuilis admodum res ſit: cōtrà vero plerunq; ruſticorum hominum ſiue rigiditas ſiue iocādi fuga atque horror inhumanus ſit, atq; ab omni humanitate auerſus. Cum enim agri plerunq; propter finium vaſtitatem ſqualeſcant, magiſque à feris frequententur quam ab hominibus, inde agreſtitas ipſa feris ſimilior eſt, quam hominibus. Agreſtis autē viri proprium eſt, tū abhorrere à dicentis facetiis atque à iocando, *Agreſtes.*

tum etiam ab audiendis, quæ cum iucundo, tum etiã ab audiendis quæ cum incunditate dicantur. Quamobrem huiuſmodi hominum conſuetudinis difficiles ſunt & parum gratæ, vitaque eorum triſtior, nec omnino ſociabilis, vt videãtur cum natura ipſa parum conſentire: quæ vt ſomnum dedit animalibus omnibus ad recreationem ſenſuum omnium, ſic tribuit homini & locutionem, non ad vtilitatem modò conciliationis, atque ad eam conſeruandam, verum etiam ad recreationem laborum ac moleſtiarum, quæ plurimæ contingunt in vita agenda atque in gerendis rebus.

SENEX. Agreſtitatis ipſius comes eſt ruditas quædam inciuilis ac malè accepta, nec minus & moroſitas. Eiuſmodi enim homines non modo circa iocos & dicta, verum etiam circa conſuetudines & facta difficiles ſunt, parumq; omnino accõmodantes aliis aut indulgentes, duri ipſi quidem, acerbi, inconditi, atque ab omni genere vrbanitatis alieni, vt omni ferè vitæ parte agreſtes ſint iudicandi. Qui ſi quando in dictũ prorumpant aliquod (homines enim ſunt, quibus natura nec riſum negauit nec iocũ tametſi hac in parte manci prorſus ſunt ac deficiẽtes, eorum tamẽ dicta aut ruſticana quidem ſunt, incondita, rudia ac maledica, cõuitioſa, & tanquam à moroſitate profecta, quæq; aut laceſſant aut mordicent, aut ita ſordeſcunt vt riſui habeantur atque contemptui.

IVVENIS. Sunt etiam ex Agreſtium numero, qui tum fatui dicuntur, tum inſulſi, quorum quidẽ dicta non modo ſalem nõ habent, verum etiam in eo deficiunt, vt riſum nullo modo pariant: quem vbi forte pepererint, id accidit non è dicendi ſuauitate, verum ab inſulſitate potiꝰ ipſa, quę ridiculos illos reddat ac deſpicabiles. Inſulſi autem ac Fatui penè idem ſunt, differunt tamen, quòd Inſulſorum ioci ſale quidem careant, cum ſalſi tamen ipſi eſſe cupiãt, Fatuis vero natura ab ipſa parum conceſſum ſit idipſum aſſequi poſſe, proinde vt holeribus quibuſdã quibus negatum condimentum accipere: quod quamuis nonnunquam accipiant, nihilominus incondita tunc quoque appareant, vnde & iidem inconditi dicuntur, quando incondita atque inſulſa abſq; ſapore ſunt. *Fatui. Inſulſi.*

EQVES. His adiungamus etiam Ineptos quoſdam, quorum tamen dicta forſan ipſa per ſe delectarent, ſunt tamen parum apte inconcinnterq; aut ſine delectu pronunciata. Hi autem ipſi, quod neque in dicẽdo neque in iocãdo aut tempus aut locum aut dignitatem ſeruant ſuã, Inepti inde vocati: ex eo etiam inepti pictores, Poëtę item inepti, qui dignitatem minime ſuam retinent in pingendo ac deſcribendo. *Inepti.*

IVVENIS. Omnes illi qui huius ſunt farinæ, apud doctos homines atq; verſatos inter vrbis atque aulæ mores,

mores, ridiculi habétur ac deſpicatui. Sunt enim eorum dicta nó modo frigida, ſententiæq; penè aniles, verumetiam rancentes & penè dixerim, marcidæ. Sunt ex his quoque qui dum iocari ſtudent, ruptare eos potius verba dices, fœtereque illorum dicta ac confabulationes: quod tamen vitium nunc ad ruſticitatem quidem referre poſſis, nunc vero ad ſcurrilitatem. Sed ſcurræ idipſum & quæritant & affectant, vt videmus hiſtriones in comediis, labuntur enim voléces ad exceſſum, cum ruſtici quádoque ſtudeant ipſi quidem velle iocari; habent tamen & hi aliquádo auditores ſui ſtudioſos.

SENEX. Deſinamus vel tandem iocari, adulari, captare, ſcurrari, arridere, contendere, nugari, ruſticari, atque vt vno verbo dicam, ineptire. Potius veritatis, quippe cuius eſt ſimplex omnino oratio ad quam colendam nati etiam atque educati ſumus cultui ac ſtudio deditos nos eſſe conuenit. Loquor autem de Veritate, nó quidem illa quæ à Phyſicis quæritur aut Mathematicis, quæue verſetur circa certitudinem Syllogiſmorum, in ipſiſque diſputationibus, quæ ſunt de rerum natura, deque diſciplinis atque ſcientiis hominum, ac facultatibus, verum de veritate ea, quæ nihil in ſermonibus atque in oratione, nihil etiam in moribus ineſſe fictum, fallax, fucatum indicet: nihil quod ſimulatum, adulatorium, mendax,

Veritatis ſtudium.

glorioſum, vanum quodque ſupra vires appareat, ſupraque facultates ipſas, aut veri fines excedat, captuſue noſtri terminos.

EQVES. Sane non in maximis tantum aut mediocribus actionib', inque minus grauibus ſiue ſermonibus ſiue congreſſibus, ac ſiue ſeris, ſiue iocoſis in rebus veracitatis eluceſcit ſtudium ac vis, verum etiam in minimis quibuſque, vt veritatis ſtudioſi & tanquam profeſſores, de minutiſſimis quibuſque ac maxime leuibus non aliter ſint ſolliciti, quam pudiciſſimæ matronæ, de honeſtatis ac pudicitiæ famæ.

IVVENIS. Alia ratione idipſum præſtari nequit, niſi quis & vita & ſermone verax ſit, quam ad rem neceſſe eſt, habitus ita ſit, vt veritas ipſa & vbicunque opus eſt & quocunque in ſermone, minimaque quaque in actione, oculis ſemper obuerſetur eius: neque aliud aut ſtudioſius meditetur, aut potius eſſe cenſeas, magiſque perpetuum aut conſtitutum habeat, quam nullo pacto veritatis è via deflectere, deque veri delabi curriculo.

SENEX. Veracis viri officium eſt, vera & cognita nequaquam diſſimulare, ſed libere atq; aperte, vbi opus fuerit, eloqui, nihilq; aut arceſſitè affingere, aut ſubductim detrahere, modeſtè tamen omnia: euitabit inſinuationes flexuſque verborum: non detorquebit iter à li-

Veracis officium.

nea. Nihil ſimulanter dicit aut diſſimulanter, apertè quidem cuncta ſineque iniuria: erit autem ſermo eiùs nequaquam affectatus aut lubricus: neque rancescet ille quidem neque ſpurcabitur: prorſuſque alienus erit à fuco, infractione, effœminatione, mollitie: talis denique qualem ſerenitatem eſſe nocturnā requirimus, in qua nihil turbidum, nihil ventoſum, neque quod vel æſtum afferat vel gelu: qualis profectò ſerenitas eſt verna, quæ nullo modo cum offendat (quod ſuauiſſimum tamen eſt) rorem effundit ad omnem germinationem quam maxime vtilem ac felicem.

Qui igitur talis erit, vt de ſe rebuſque ſuis vera tantum & qualia ſunt, prædicet, nimirum idem hic non erit à ſeipſo alienus ac diuerſus in explicandis ac referendis aliorum rebus: quas ita referet atque explicabit in circulis, in cœnis cōuentibuſque, vt minime in gratiam loqui videatur, atque inſeruire auribus, ſed veritatis vnius ſtudio & cauſa.

Commendatur autem vt modeſtus, vbi in enarrādis ſuis fuerit parcior, dum ne id fiat cum diſſimulatione: in alienis tamen diſſerendis non erit conſtrictior, ne id detur inuidentiæ.

Cicero φίλαυτ۞. IVVENIS. Vituperio dignus eſt præter alios hoc nomine Cicero, Optauit is (vt laudū expetētiſſimus) exornari res ſuas à Luccio; videlicet cupiit illas amplificari adiungiq; iſdem ornatū ac nitorem. Verecūdiꝰ Cicero cū Luceio ſuo cumq; rebꝰ à ſe geſtis egiſſet, ſi illā ita rogaſſet, vt hiſtorici officio fūgi vellet, naturęq; ipſius exemplū ſequi, illiq; inhęrere.

EQVES. Fit tamen quandoque, vt ipſa etiam veritas cultum ſibi patiatur detrahi, quamuis nequaquam perpetuum, ſed pro tēpore. Sic Cæſar in terrore illo formidabili aduētantium Germanorum, forſan infra verum, minime tamen præter tempus de hoſtium virtute locutus eſt, eam deprimendo apud milites, pluraq; de legione decima ſibi perſuadere oſtendit, quā reipſa ſibi perſuadebat. Nequaquam autem aut ſeipſum decepit aut milites, verū imperatoriæ ſatisfecit prudentiæ.

IVVENIS. Summa tamen cura videndum erit, ne dum habenis vtitur laxioribus, metā tranſiliat: quo vitio infecti ſunt Panegyricorū maxime ſcriptores, qui pleraq; arceſſita, partimque non vera aut ficta afferunt vt erubeſcendum etiam videatur ſiue lectoribus illorum ſiue auditoribus.

EQVES. Nimirū hinc quæſtionis huius exultat reſolutio, nimirū an Veraci ſit permiſſum, aut verum quādoq; ſubticere, aut aliquid quod nequaquā ita ſe habeat, ſubſimulare atq; effingere. Reſpōdetur enim ad hanc quęſtionem, magnam eſſe vim temporis ac rerum, non minorem perſonæ ipſius quā quis gerit. Fingunt nunc contrà celant in aduerſis *An liceat verum quādoque ſubticere.*

ac pe-

ac periculoſis caſibus ſapiẽtes, tum rerum publicarum temperatores, tum duces exercituum: multa periſſimi medici periculoſiſſimis in morbis, non pauca ſacerdotes, quique prædicatores dicuntur, quo rebus adiungant auctoritatem: nec tamen illi ex eo aut mendaces habentur, aut minus veridici, quando neque propoſitum eorum eſt aut mentiri aut fallere, verum & prodeſſe ea ratione & pericula auertere, quod omnino prudentium eſt hominum munus atque officium.

SENEX. Cum contraria iuxta ſe poſita magis eluceſcant, non indignum arbitror, ſi de huic virtuti (veritati nimirum) oppoſito vitio (Mendacio) aliquid etiam dicamus. *Mendacium* Sunt enim quibus Mendacium ipſum pretium eſt, ipſaque mentiendi, voluptas perquam ſuauis eſt eorum fructus. Huic accedit, quod mentientium hominum comes eſſe conſueuit maledicentia, quando mendaces exiſtunt plerunque maledici pariter ac nugatores. Namque vt luceantur, vt vanitatem patefaciant ſuam, neceſſe eſt perperam multa vt dicant & fingant, atque vt Comici inquiunt, garruloſe deblaterent. Quorum ſunt è numero Nebulones, nugigeruli, blaterones, veteratores, & id genus vaniſſimorum hominum ac maxime ſeruilium.

EQVES. Videntur eiuſmodi homines ab illo ipſo ad quod geniti à natura ſunt, quam longiſſime diſceſſiſſe, cum ad grauitatem geniti ſimus & ad conſtantiam ac firmitatem omnes. Quam autem ridicula hæc ipſa ſit vanitas, ea fingens quæ nuſquam ſunt, ea mentiens, quæ fieri aut eſſe nequeant, Vmber Comicus docuit in milite oſtentante victorias ſuas: Sexaginta hominum millia vno die manibus occidi meis. Et quo ſermo eius vanior appareret, ſubdit. Viſcum legioni dedi, fundiſque eos proſternebam, vt folia farfari. Quid multa? quos ſiſco offenderam, tam crebri ad terram decidebant, quaſi pyra: vt quiſque ceciderat, necabam indita per cerebrum pinnula. Quid his dictis magis euanidum, aut ridiculum? *Thraſonica gloriatio.*

IVVENIS. Sed hac ratione omnes Pratæ ridiculi erunt ac deſpicabiles?

EQVES. Minime vero gentium, quin admirandi potius, quippe quorum dicta pleraque habita ſunt antiquitus pro oraculis, & ipſe Ariſtoteles Homeri & aliorum Poëtarum auctoritate in maximis quibuſque rebus vtitur; cum contra ipſi mendaces atque oſtentatores nugentur aut garriant magis quam fingant: ſitque fabula ipſa inuenta non vanitatis gratia, verum vt arte ea homines vel deterrerentur à vitijs, vt cum Lycaonem in lupum fingunt ob crudelitatem maxime *Poëtæ an ridiculi.*

efferatam conuerſum: vel incitarentur ad virtutes, cum Caſtrorem, Pollucem, Herculem in cœlum tranſlatos decantitant. Æſopi fabula exemplum vitæ eſſe poteſt, quos contingit obſcuriore in loco aut naſci aut educari & viuere.

SENEX. Homeri Poëma virtutem eſſe ſanctiſſimus vir Baſilius indicat. Nihil enim Poëta ille neglexit, quod tum heroicas tum ciuiles ad virtutes pertineat. Quid porro ad pietatem, religionem, tolerantiam, fortitudinem, quid item ad declarandam rerum humanarum inconſtantiam fortunæque varietatem, quod non Æneæ Virgiliani res declarent? vt etiam illorum qui diem obiere, quæ præmia ſint cuique pro meritis conſtituta, aut rurſus pœnæ, liceat apud illum plane noſcere.

Itaque mendaces hi quidem inanes ſunt ac vani, quoniam eorum finis ac propoſitum eſt vanitas, & quidem moralis eaque apertiſſime vanitas. At Poëtæ habiti ſunt admirabiles diuinique. Delectando enim & per blanditias in animos hominum influendo conati ſunt eos ad generoſiſſima quæque ab maxime fœdis feriſque atque à belluarum oppido quam ſimilibus moribus retrahere, abducereq; a ſyluis. Quocirca ob hoc ipſum ſtudiũ putatus eſt Orpheus ſyluas cantu traxiſſe poſt ſe, animaliaq; illas incolentia, & Amphion rupes & ſaxa.

SENEX. Poëtas nolite ſuggillare, ne in vos ſtringant calamum. Iactatores, ſimulatores ac Diſſimulatores in hanc mendacium claſſem potius ſunt referendi. Iactator namque in ijs quæ vera ſunt, referendis atque extollendis eſt nimius, peccatque in eo vehementer; quod nec modum ſeruat nec menſuram, nimiſque faſtidit, & geſtu & verbis & contentione eſt immoderatior. Quod vero ad ſimulatores ac diſſimulatores attinet; Sane etſi ſimulare & diſſimulare nonnunquam prudenti viro ſit permiſſum, vt qui *Iactatores, Simulatores Diſſimulatores.*

Spem vultu ſimulat, premit alto corde dolorem.

Vtplurimum tamen Simulatores ac diſſimulatores mendacium reſpectant, ementiendoque fallunt ac recedunt à veritate profitenda. Et tametſi ſimulatorum ac diſſimulatorum diuerſa ſint ſtudia, diuerſi item mores, fit tamen ſæpenumero, vt qui diſſimulator eſt, ſit item, diuerſa tamen ratione, ſimulator. Nam & Iunius Brutus ſapientiam diſſimulauit, & cum minime eſſet ſtultus, eum ſe geſſit, moreſque eos induit, vt brutus à ciuibus vocaretur. Proindeque idem hic & ſimulator dici & diſſimulator poteſt. *Iunius Brutus ſimulator & diſſimulator.*

EQVES. Sunt diſſimulatorum genera quædam, eaque perniciosiſſima in ciuitatibus ac populis. *Diſſimulatores pernicioſiſſimi.*

Cum

Cum alios videas, qui ſub libertatis ſpeciem ipſi quidem ſint largitioſi, hacque ratione ſtudeant clientelis, quibus ciues alios opprimant, ſeque efficiant quam potentiſſimos: Alios, qui dum publica negotia, reſque ciuitatis maxime difficiles atque ærumnoſas diligentiſſime pariter ac fortiſſime obeunt, maximiſque pro patria, ſeſe obiectant periculis, clam regno ſtudeant: Illos, qui ſuſcipiendis miſerorum patrocinijs ac popularium cauſſis, factionibus clanculum dent operam: Hos eroganda inter pauperrimos atque egentiſſimos quoſdam ſtipe, quo ſub ſpeciem minutiſſimæ erogationis, fœnus occulant, ac ciues, aduenas, peregrinos clam excarnificent. Differentem Mediolani de religione deq; hominum moribus Bernardinum, adibat ſæpius hortabaturque mercator quidam, vt multus eſſet in abominando fœnore, laborare enim vrbem ipſam nimio plus eo morbo. Itaque Bernardinus mores vitamque exquirit mercatoris, comperit perditiſſimum eum eſſe fœneratorum omnium, illudque agere, quo cæteris deterritis, liberior ipſi vni fœnerandi relinqueretur prouincia. Horum igitur omnium perinde vt turpe eſt admodum ac pernicioſum vrbibus genus, ſic etiam multiplex eſt ac diuerſum.

Mercator fœnerator.

SENEX. Noui ego Iuriſconſultum, iure iniuriaque corradentem vndique, ſummaque preſſum auaritia, denique Deo ac religione Chriſtiana male omnino qui ſentiat, diebus tamen fere ſingulis, ſiue pro templo ſiue pro domus ſuæ foribus, mane mendicantibus compluribus de manu numulum ſingulatim præbere, qua ratione & auaritiam celet, & animum à religione prorſus alienum. Qua cogitatione ac facto quid perditius dicas ac peruerſius?

Iuriſconſultus.

EQVES. Sub Ferdinando Neapolitanorum Rege agebat Caietæ in cœnobio Gerardus quidam, qui ſeptimum in diem cibo abſtinere conſueuiſſet ac potu, indeque ſanctus habeatur ac Deo charus. Venerabatur illum populus vtque eum adorarent, frequentes ad eum finitimis conueniebant ex oppidis. Tantam hanc hominum opinionem cænobitæ adaugebant, ꝓpter munera quæ templo offerebãtur. Miſit ad eam rẽ perſpiciendã Ferdinandus Maſiũ aquoſam, & per ſpicacem & abunde expertum virũ, cuius etiam fides eſſet ꝗ perſpectiſſima. Is dies noctesq; cum illo ſeptẽ eodem ſimul in cubiculo cũ egiſſet, ſumma cũ vigilantia & cura, cõperit tandẽ, & capitis illũ & ſtomachi pituita laborare, nimiaque de humectatione, quo e vitio appetendi cibi vis illa conſopita iaceret, ac pene extincta, eſſeque ſiue ieiunium illud ſiue abſtinentiam ad morbum malumque corporis habitum referendum,

rendum, vanoſque illos eſſe rerumque religionis oſtentatores, qui perſuadere conarentur, Genios, hoc eſt, angelos victum ad illum quotidianum ferre, ciboque diuino paſcere.

Ieiunium fictitium. SENEX. Sub Alphonſo Rege, cum alius quidam eandem hanc abſtinentiam oſtentaret, adhibitaque eſſet cura, ne quid eſculenti potuſque ad illum inferretur, compertum poſtea eſt, ſub ſpeciem nocturni luminis (erat enim hybernum tempus) victitare interim illum è candelis nocturni luminis cauſa ſubminiſtratis, quæ è ſaccaro cinnamomoque conſtarent, atque è gallinarum pectoribus minutiſſime contuſis, ſeuo tamen ſuperillito.

Simulatio & diſſimulatio tranſeunt in oſtentationem. Quid? quod interdum diſſimulatio & ipſa quidem oſtentatio quædam eſt, cuiuſmodi eſſe generis Ariſtoteles Laconicum arbitratur veſtitum, ſub illa namque modicitate deliteſcere elationem ac ſuperbos ſpiritus. Tali ſub modicitate ac veſtitus ſorde non pauci olim Philoſophiæ profeſſores peſſima quædam exempla prodiderunt. *Philoſophorum oſtentatio.* Vtinam ne ætate etiam noſtra ſub hac quoque ſpecie atque habitu turpiora magiſque profana admitterentur, præſertim vt plurimum à cucullatis eiuſque ſententiæ hominibus.

EQVES. Videas hodie quoſdam minutiſſima ac ſordidiſſima quædam vel obſtinate diſſimulare, quod ea ad virtutem ipſi (vt ſunt animo imbecillo admodum atque abiecto) referant, publicamque ad commendationem.

Quocirca diſſimulant ea, dum è diſſimulatione ac reticentia magis magiſque commendatum iri ea exiſtimant: qui meo quidem iudicio non degeneres modo atque abiecti, verum nullius videantur eſſe pretij, deq; cœtu prorſus hominum eiiciendi. *Religioſorũ diſſimulatio*

SENEX. Commendabatur religioſus quidam, quod ieiunia traduceret ternis tantum cariculis ac nucibus, aquæque cyathulo: cumque antiſtes id ex eo ſciſcitaretur; demiſſo vultu, voce quam maxime depreſſa & languida, miſerum ſe eſſe peccatorem reſpondit, quid diſſimulantius, imo quod inanius? atque apud recte ſentientes contemptibilius? Riſit antiſtes hominis inanem oſtentationem, & vt aliam inſiſteret viam, quæ ad cœlum ferret, commonuit. *Ieiunij oſtẽtatio.*

EQVES. Iacobus Zanes, negociator Venetus, multa amplaque negotia Neapolia cum adminiſtraret, cerneretque Caſparem Rauennianum ſingulis diebus ſub matutinum tempus viſitare templa, intereſſe rebus diuinis, ſacraque dum celebrarentur, intentiſſimum illum eſſe legẽdis Dauidicis Pſalmis, captus, imo deceptus (vt res ipſa docuit) *Religio ficta*

docuit) viri moribus, non paruam illi pecuniæ ſummam credidit adminiſtrandam, de qua poſt ratione habita lucrum compendiaque partirentur, vt mercatorum mos eſſet. Gaſpar accepta pecunia cum aduenifſet reddendæ rationis tempus, riſui Iacobum habuit: quippe qui non pecunam modo abnegauerit, verum ignorare ſe illum dixerit. Cumque Iacobus mercatoribus ab alijs accuſaretur: non me, inquit, Gaſpar decepit, ſed Gaſparis libellus, lectioque illius ſuſpirioſa.

SENEX. Quinimo vix aliqua vitæ ſpecies eſt, ad quam ſeſe diſſimulatio non inſinuet: quod aliquando frater Franciſcus quidam Hiſpanus docuit. Is quamuis rudis atque indoctus, tactus tamen audacia atque ambitione, pulpitum aſcendere eſt auſus, tantoque ſiue faſtu ſiue temeritate, palam vt aſſeueraret, prædicare ſe de religione, Chriſtianiſque de rebus, docente ac dictante Angelo, cuius admonitu & futura quædam prædiceret, & qui cum diuis in cœlo è mortuis agerent, qui rurſus apud inferos cruciarentur, ſciret ac proferret. Denique cum Ferdinando perſuadere arte nulla aut ratione poſſet, vt vniuerſam Iudæorum gentem omnino exterminaret è regni finibus, cõmentum hoc iniit: E plumbo tabulam diui Cataldi nomine clanculum à ſe inſcriptam, haud

Iudæorum exterminatio ſtulte attentata.

Tarento procul in ſacello ſemidiruto ſub parietem occuluit, quam triennio poſt eruendam curauit, corrupto ſacerdote, qui diceret, in ſomnis aſtitiſſe ſibi Cataldum monſtrantem quo in loco tabella eſſet abdita, commonentemque vti cum populo ſupplice collegioque ſacerdotum iret ad effodiendam illam, effoſſam curaret ad regem deferendam, communicandam ab eo vni tantum viro, quem è ſuis optimum noſceret ac maxime fidum: Deum enim iratum illi futurum, cladемque ac calamitatem immiſſurum, ni quod in tabula ſcriptum eſſet, & cautum, à rege præſtaretur. Scriptum vero ipſum per ambages quaſdam ac latebricoſa verba eo ſpectabat, vti Iudæorum exterminatio indicaretur. Rex accepta tabula deprehendit fraudem, qua deprehenſa, minime Franciſcum ad eam legendam ſecum adhibuit, arbitratus eum interpretaturum verba in eam ſententiam, diſſimulauitque rem ipſam ſumma cum taciturnitate & prudentia. At Franciſcus re cognita, furore percitus, quod tantum commentum falſum eum habuiſſet, non populo, non regi, vix ipſi Cataldo publicis pepercit in prædicationibus, in tantumque excanduit, vt Italia ferme omnis ipſeque inprimis Romanus Pontifex de tabulæ huius fuerit inuentione ſolicitus atque anxius.

EQVES. Nimirum vitij huius vis adeo culta & potens eſt, neque omnino animaduerſa, vt nō modo interdum in oſtentationem ſeſe cōuertat, verum etiam in ſpiritus ſuperbiſſimos execrabilemq; animorum impotentiam.

SENEX. Odioſa nimis eſt oſtentatio. Itaque ſeſe demittere atque extenuare ſatius eſt. Interim tamen & hoc attendendum eſt, extenuationem vehementiorem non minus intendere in oſtentationem, quam inſolentem arrogantiam. Erit itaque demiſſio ipſa ſic modeſta & prudens, vt neque quod ineſt, prorſus inficietur, neque externum aliquid ſibi affingat, exornetue ſe ijs, quæ ſua non ſunt, vtque ab ingenuitate nullo modo recedat, ſed in ea ipſa diſſimulantia potius id præſtabit, quod liberali homine dignum indicetur. Exemplis id quod dixi, fit illuſtrius.

Demiſſio atque extenuatio quomodo attemperanda.

Iulius Pomponius, exactiſſimus Grammaticus, & Romanæ vetuſtatis perpenſor diligens, nobilitatem generis ita diſſimulauit, cum è familia eſſet Sanſeuerina, quæ haud quaquam exiguæ parti Lucaniæ imperitaret ac Brutiæ, vt neque ipſe genus fateretur, & cum illis, quibus notum id eſſet, ita loqueretur, vt videri poſſet nobilitatem contemnere. Cognitionem vero rerum plurimarum, quæ inerat non mediocris, ita præ ſe tulit, vt docens ipſe, vetuſtoſque autores interpretans declararet, qui & quantus in docendo eſſet, atque in interpretando: cæterum in conuentibus familiarique in conſuetudine ac ſermone, mirum eſt quam verecunde, nedum modeſte de ſe aut ſentiret aut loqueretur; cumque alijs plurimum tribueret, in ſeipſum maxime parcus erat.

Contra vero Laurentius Vallenſis, multæ vir doctrinæ ingenijque inprimis acuti, popularibus in congreſſibus, ac literatorum circulis oſtentandæ diſciplinæ iudicatus eſt fuiſſe ſtudioſior, ne dicam parum modeſtus, vt ijs in circulis multo appareret diligentior, quam in libris ipſis quos ſcriptos reliquit. Cumque non pauca in Dialecticis adinueniſſet, aduerſus horum temporum artis eius magiſtros, eo ſeſe efferebat, palam vt diceret, nullam eſſe Logicam præter Laurentianam.

EQVES. Detrahebat ſibi Socrates de cognitione rerum, de ſcientia: non vt abnegaret quod in hac ce expoſitum erat, ſed vt alios inuitaret ad humanitatem ac modeſtiam: neque enim videri volebat inſoleſcere ob multarum rerum peritiam.

SENEX. Eſt etiam quædam prudens diſſimulantia quæ plurimum ſecum fert momenti & in laudando & in vituperando. Exempli gratia: Franciſcus Pudoricus

Diſſimulantia prudens.

cus Grammaticum cum commonefaceret, cuperetque illum minus excandeſcere erga diſcipulos, temperantiuſque illos verberare, vocatum illum ad ſe, huiuſmodi aggreſſus eſt dictis: Quid hoc amabo, quod aliorum quidem Grammaticorum diſcipuli ſuis de inſtitutoribus queri conſueuere, ferula quod nimis ſæuiant, te verò ipſum incuſant, quod ne iraſci ſciat, nec ſcuticula ferire? Itaque diſſimulanter dum loquitur, Grammatico ruborem induxit.

E q v e s. Hoc illuſionis ac diſſimulantiæ genere olim Annibal luſit Antiochum regem: Cum enim rex ſuas illi oſtentaret copias & numero peringentes, & armis egregie inſtructas, percontanti ſatiſne eæ aduerſus Romanos eſſent, reſpondit, ſe ſatis arbitrari, tametſi Romani admodum auari eſſent. Vide obſecro, quam Socratice ignauiam illius riſerit.

Eadem arte ſummis extulit Scipionem laudibus, nam cum eſſet (vt traditum eſt memoriæ) ſermo inter eos de ducum excellentia, dixiſſetque Annibal, primo ſibi videri loco ſtatuendum Alexandrum Magnum, ſecundo Pyrrhum Epirotam, ſibique aſſereret tertium, intuliſſetque Scipio: Quid ſi te non viciſſem? Tum ille, vel me, reſpondit, omnibus cenſerem præferendum. Itaque per hos quaſi cuniculos iterque diſſimulatum peruenit ad exquiſitam illam ac maxime celebrem laudem.

S e n e x. Eſt & diſſimulatio irritatoria quadantenus, quæ tamen à modeſtia non recedit, cum videlicet tecte quempiam pungimus. *Diſſimulatio irritatoria.* Vtuntur autem ea & Oratores & Poëtæ non ſine vrbanitate. Sic Actius Symerus, cum irridere hominem verboſum honeſte vellet, conuerſus ad adſtantes: Homo hic, inquit, à muro parum abeſt.

E q v e s. Eſt hoc diſſimulandi genus Socraticum ad modeſtiam referendum, quemadmodum Catonis quoddam ad prudentiam ſapientiſſimumque viuendi vſum ac rationem. *Diſſimulatio Catonis.* Cato ſiquidem, licet in explicanda animi ſui ſententia apertus admodum ac liber eſſet, tamen ſurdaſter cum haberetur, ſæpenumero ac ſi non audiſſet, quorundam dictis nihil omnino reſpondebat. Nec vero pauci hoc diſſimulationis genere non à maledictis modo ſe tutantur, dum tanquã non audiſſent, illis non reſpondẽt, verum etiam à malefactis, dum aliter etiam quam dictum eſt ſeſe accepiſſe fingunt.

Adoleſcens quidam vocatus ad teſtimonium dicendum in cauſa furto ſurreptæ lanæ, ſumpta occaſione à Luna, quæ biduo ante deliquium paſſa eſſet, diſſimulauit ſe

audiſſe de lana, itaque de Luna reſpondit: namque interrogatus à iudicibus de lanæ ſurreptione, ſublatis in cœlum oculis: Per, inquit, cœlum ipſum iuro iudices perque Dei potentiſſimum numen, qui omnia nutu ſuo temperat, nunquam me dediſſe operam Aſtrologiæ, neque vnquam me audiſſe, qua ratione Lunæ ſurreptio fieret, addidit & ijs fatua quædam dicta. Quibus verſi in riſum iudices, arbitrarique rudioris illum ingenij eſſe, ac proſecuti eum cachinnis, abire è conſpectu perinde ac fatuum permiſerunt. Ille igitur hac ratione liber à teſtimonio dicendo euaſit.

Fallaces. SENEX. Tolerari iſthæc quadantenus pro ratione loci ac perſonarum poſſent modo nulla ſubſit affectata falſitas. Sunt enim haud rari, qui cum maxime (vt Cicero ait,) fallunt, id tamen agunt, vt boni viri eſſe videantur. Horum non modo ficti vultus verbaque, verum etiam veſtitus, inceſſus, capitis ac ceruicis tum demiſſio, tum inflexio, oculorum deiectio in humum atque infixio, ſummum ſilentium, rariſſima in publicum proditio. Nullum eſt autem vitæ aut genus aut ordo, in quo vel non paucos eiuſmodi inuenias, quos quidem plerunque *Hypocritæ.* dicere ſolemus Hypocritas; de quibus tamen ſuo loco prolixius à nobis dicetur.

EQVES. Falſitatum exempla quotidie occurrunt. Ridiculum vnū enarrabo. Me puero puer haud malæ indolis à patre mittebatur in ludum literarium. Is quo patri appareret literis deditior ſenſimque patrem diuerteret ab incepto, dum veretur, ne vehementiorem ob operam in ęgritudinem filius ipſe incideret, è fabæ polline tenuiſſimū in modum contritæ, cœpit mane ſibi vultum afflatim inſpergere, magna arte adhibita. Quod dum aliquot à filio continuatur diebus, animaduertit pater, os eius ſubflaueſcere, atque illi metuens, an bene ſe, an ſatis valide haberet ſciſcitatur: reſpondet ille, & bene & valide, ac tum vehementius multo quam ante literis incumbit, multum noctu vigilat, matutinus è lecto ſurgit, totumque ſeſe ad libros conuertit, ac nihilominus ſingulis diebus pluſculum è polline in faciem inſufflat, atque non ita multo poſt languere ſe ſimulat. Quo cognito pater vetuit illum ex eo ad Grammaticam proficiſci, malle enim filium ſibi illiteratum viuere, quam ob cauſam literarum in tenera eum ætate amittere.

SENEX. Videas quoſdam, cum nulla non parte corporis contaminati ſint, præ ſe ferre ſummam continentiam: alios, qui cum ſint languori ac deſidiæ dediti, fortitudinem & quandam quaſi viuendi ruſticitatem ſimulent, hos mirificam

ficam integritatem, cum ſint corruptiſſimi, eos eximium in Deum cultum, cum ab omni clam abhorreāt pietate: nonnullos lachrymari, cum in miſerabilem aliquem inciderint, ac miſerari eum, hacque arte oculere animi ſæuitiam nefariaſque cogitationes: haud paucos, quorum auaritiam atque occultas fœnerationes abſcondat ſimulata liberalitas, erogatæque inter mendicantes, atq; in triuiis ſtipes. Plurimorum peruerſa cōſilia arteſque doloſiſſimas obuelat templorum quotidiana frequētatio, aut obtegit nequiſſimas inſuſurrationes, viuendi humilitas quædam, aut multum in circulis ſilentium, aut coram facta quædam de ſingulis benedicentia. Itaque rariſſimi illi quidē ſunt, ad quos non penetret ſimulatio; quodq; flagitioſiſſimum eſt, ad permulta veriſimilius ſimulanda, nunc religionis adhibēt vincula, nūc affinitatis amicitiæue. Quæ ſi perſequar, an erit aliud, quā velle iras hominum in me ac maleuolentiam prouocare? Itaque ſatis modo eſt hæc attigiſſe, quæ & inquirenda diligentius & accuſanda liberius ſacerdotibus ſeu prædicatoribus relinquimus, quippe quorum eſt officium coram atq; in templis de iis liberius diſſerere, maioreque cum licentia.

Mercatorū fraudes ac falſitates.

EQVES. Ad Mercatores trāſeo; quorum non pauci ſunt, quos parū iuuet lucrari, nec multū ipſi poſſint proficere, niſi (vt Cicero ait) admodum mentiantur, quin & mendacio addunt iuriſiurandi religionem: nec verbis ſolum; verū etiā ſcriptis annotationibuſq;, dum qui pānus Italicus eſt aut Hiſpanic⁹, Gallorum cū emētiuntur aut Britannicū, quoties gen⁹ pāni aliquod maiori eſt in pretio. Idem in linteis ſeruāt ac ſericis. Qui equorum, qui mularū exercēt mercaturā, compungunt & equos & mulos eius generis notis, de quo maxima eſt opinio. Itaq; vix aliquod gen⁹ eſt mercis, in quo nō primum ſibi locū mendacium pepererit, potiſſimaq; apud mercatores laus eſt ſcire & multū & caute fingere. Quo effectū eſt, vt fides mercatoria, quæ antea maxime habebatur integra, nunc fluxa ſit admodum ac fragilis. Verum hæc nō dūtaxat in ſolis mercaturis vigent. Quotus enim eſt hodie, præſertim dux imperatorq; exercitus, qui non fraude nitatur inſidioſiſq; conſiliis? Simul & ſemel: Simulatio eorum verborumq; atque cōſiliorum in omni artium genere ac negotiorum facultatumq; præcipuè regnat, proinde etiā in diſciplinis, quod ſophiſmata ipſa docent, vt iam veritas non in abdito atq; in puteo deliteſcat, vt Democritus dictabat, verū ſophiſtarum laqueis præpedita ac fallaciis, ꝓdire in lucē atq; in libertatē nequeat. Iam vero Pontificum, Regum, Dominorum ac Principum hominum aulæ, ac domus (vtque hodie dicuntur curiæ) ſimulationibus ac fallaciis, menda-

Simulationes ac diſsimulationes aulicæ.

ceſſimuſque ſuſurrationibus, iiſdemque nocentiſſimis infectæ ſunt, vt videatur veritas ab illorum Regiis exterminata, neque bonus quiſquā habeatur curialis atque aulicus, niſi qui & mentiri admodum, & pro loco ac tempore vultum fingere ac lenocinari ſcierit. Quo effectum eſt, vt quæ maximorum virorum dom⁹ eſt, ſit eadem ſimulationis propemodum ac mendacij.

IVVENIS. Vos liberè nimis hominum, cuiuſcunque etiam ſint ſtatus aut conditionis, acta perſtringitis, & multorum illos inſimulatis facinorum, quorum tametſi illorū quidam ſibi fortaſſe eſſent conſcij, non tamen iſthæc nola, cuius tinnitus in ipſorum videtur tonare opprobrium, tam ſubito non fuerat trahenda.

EQVES. Exiſtimas fortaſſis fore, qui aduerſus vos intentaturi ſint actionem iniuriarum. At nos iniuria neminem affecimus, ſtatus hominum quoſcunque, quatenus nimirum ſunt ciuiles, omni laude digniſſimos eſſe cenſemus atque prædicamus. Abuſus vero & σφάλματα, ſi qua ſeſe ingerunt, vt tanquam putida ac putrida membra abſcindantur atque amoliantur, votum ac deſiderium noſtrum eſt vtrobique pium ac iuſtum.

IVVENIS. Parcere interim ad minimum debebatis iis, qui vel de minima quauis re litem vobis mouere poſſunt, quique lites poſſunt propagare in curia, ſicut vinitores vites in vinea.

EQVES. Illos nimirum putas, qui vel fruſto panis cōduci poſſunt, vt vel taceant, vel loquantur, quiq; ſubreptitie, id eſt, tacita veritate, & obreptitiè, id eſt, allegata falſitate per obſcuritatem & inuolucra verborum, nænias ſuas ad rauim vſque proclament; genus hominum valde contentioſum. De veris Aduocatis cauſarumque patronis, qui innocentiam & bonam conſcientiam, verumque adeo ſinceri pectoris candorem vbiuis habeat comitem, hic non loquor. *Aduocati. Cauſidici.*

SENEX. Extat inſignis deſuper Eraſmi Roterodami cōmonefactio ad quendam ingenui ac candidi pectoris virum, qua inſuſurrationib⁹ cuiuſdā ex iſthoc vitilitigatorū genere ne ineſcari ſeſe patiatur, ſummopere dehortatur, cuius commonefactionis ſeriem, quum ſeria admodum ſit ac grauis, vobis recitare nō grauabor: Contigit (inquit) tibi genus cum primis honeſtū: contigit res ſatis ampla; contigit ingenium: contigit eruditio non vulgaris, nec deeſt iudicium. Quid multis? felix eras, niſi vnum quiddam tibi deeſſet, vt hoc tua pace dixerim. Nam hæc qui ſcribit, tibi ex animo bene vult, vt ſi quis alius. Quid iſthuc? inquiens, vt animo imperes tuo, mi Saxoni. Quid conferunt literæ, ſi neſcias vti? Non hercle plus, quam cithara ei qui neſciat canere. *A Litibus pedes abſtrahendi.*

nere. Ad hoc dicitur philoſophia, vt ne quid agatur ex affectuum arbitrio, ſed ex rationis iudicio. Et vnum hoc quod deeſt ad felicitatem, ipſe tibi præſtare potes: præſtiteris enim ilico, ſi magnopere velis. Quid tibi cum iſtis litibus? Sit interim leuis momenti, quod & rem deteris, & temporis iacturam facis, animi tranquillitate cares, & minus iucundus es vxori, liberis, amicis, minus adeo tibi ipſi: vides toties periclitari valetudinem tuam. Vt belli, ſic litis incertus euentus. Sed finge certam victoriam: quæſo te, totum hoc quod euinces, tot incõmodis emendum putas, etiam vitæ diſcrimine? Scio, non facis iſta tuopte ingenio, quo nihil eſt ad pacem, & amicitiam propenſius. Inſtigat te lippus ille veterator, homo factus ad lites. Sed obſecro te per noſtram amicitiam, qui magis libet vni auſcultare, quam optimo parenti, quam his amicis, qui tibi non minus bene volunt, quam ſibi? Tu quidem pro tuo candore alios æſtimas è tuo ingenio: at verior ne conſultor iſte ſibi conſulat, nõ tibi. Mihi vultus ipſe hominis impoſtorem clamitat. Atque vtinam hic mihi ſit læua mens: ſed vereor ne ſerò ſapias, meque vatem verum fuiſſe dicas. Reiice nebulonis venenatam blandiloquentiam. Patrem virum & ſingulari prudentia præditum, & cui plus quam paternè amãtem, amo tuum ipſius ingenium, tuam eruditionem in conſilium adhibe. Rem per arbitros cum affine tranſige, vel parum æquis conditionibus: fortaſſe capies aliquod rei diſpendium. Crede mihi, ſi rerum omnium rationem ſubduxeris, iſtud diſpendium ſummum erit compendium, etiam ſi in ſolidum pereat, quod tuis eſt. Vale. Hactenus Eraſmus.

EQVES. Nouerat haud dubie Eraſmus, quippe qui in numerum fidelium cõſiliariorum Regis, adeoq; ad cõſilia atque negotia forenſia accitus atque cooptatus fuerat, quod multi ex Iuriſconſultorum adeoque Aduocatorũ Procuratorumq; numero, prætextu legum ſæpenumero iniuſtas cauſas ornant ac defendũt, ſiue in aulis, ſiue in curia & foro. Eoque nomine male audire doctrinam Iuris, quod nimirum hominum vitæ ſit pernicioſa. *Iuris doctrina an vita hominũ ſit pernicioſa.*

IVVENIS. Fallacia eſt accidentis. Non enim ſunt doctrinæ legum imputáda vitia hominũ, ſicut de cæteris artibus honeſtiſſime dictũ eſt. Vitia artificum nõ eſſe adſcribendi ipſis artib. Vt autẽ hi qui de reb° bonis ac vtilib. rectè iudicare volũt minimè illas aſpernari debẽt ꝓpter abus°, q aliũde accedũt: ſic illos quoq; q in ſtudiis iuris verſãtur, ſępe cogitare & factis exprimere decet, quę pie & ſapiẽter in pcedenti reſpõſione cõmemorãtur de officio Iuriſcõſultorũ, qui cũ ſacerdotes ſint iuris, multo magis, quam Cicero de oratoribus ſcribit, boni viri eſſe debent dicen-

dicẽdi periti. Fugiant igitur peccata quibus irritatur ira Dei, & attrahuntur pœnæ priuatæ & publicæ. Nam ꝓſtituant leges in ferẽdis ſẽtẽtiis, vel inſcitia vel malitia, vel etiã metu ſuorum incommodorum, repugnãte conſcientia. Non exiſtiment ſtationem, in quam collocantur in gubernatione ludum eſſe, ſed cogitent ſpeculã eſſe generis humani, & velle Deũ ipſos cu ſtodes eſſe religionis, legũ iuſtitiæ, diſciplinę & pacis. Hęc optima dona cum voce Iuriſconſultorum Deꝰ tribuat generi humano, ſumma vigilantia & fide ea tueãtur. Nõ impellat eos leuitas ad ambitionẽ, & ad adulationes, nõ vincat metus, vel iniuſtas ſẽtẽtias approbẽt. Non odia, non ſtudia factionum accendant animos, vt ruant contra iuſtitiã, & augeant mala publica. Contra vero ſtudeant virtutibꝰ illis, quæ ſunt præcipuum ornamẽtum ordinis Iuriſconſultorum, qui cum officio ſuo funguntur, nõ leue onus in republica ſuſtinent. Conſuluntur n. de præcipuis rebꝰ in vita, de religione, de omnib. vinculis pacis & iuſtitiæ, de coniugiis, de cauſis bellorũ, de iure defẽtionis, de bellis derimẽdis, de fœderum interpretationibus & autoritate, de ſingulorũ patrimoniis & domiciliis. Afferant igitur cognitionẽ doctrinæ ad conſilia, vt rectè iudicare poſſint. Sequantur normam in iure diuino & humano ſcriptam, nõ fingant opiniones propria petulantia, aut præſtigias ſophiſmatum ad veritatem & iuſtitiam opprimendam. Deinde ſit in eis amor iuſtitię, & tale animi robur & firmitas, vt conſtanter veras & iuſtas ſententias tueantur, nec inflectãt ſe ad partium volũtates. Intueatur mẽs Deũ inſpectorem, iudicem & vindicẽ, & velit Deo obedire, ac ſerio petat ab ipſo ſalutaria cõſilia & robur animi, ne voluntas frangatur vllo prauo affectu. Magnæ ſunt inſidiæ Diaboli, qui diſſipare genꝰ humanum conatur. Magna rabia eſt diabolorũ, qui odio Dei ſæuitiam exercent contra hãc infirmam naturam hominum. Ideò ſint vigilantes, & adhibeant diligentiam in diſcendo, & frenandis affectibus, ne diſcedant à norma legum diuinarum & inuocationẽ Dei, qui quidem promiſit ſe opitulaturum inuocãtib. eum bona cõſcientia, quę vtrumq; extremũ fugit, affectatam ignorantiam & perfidiam.

SENEX. Hanc admonitionem vtinam ſępe cõſiderarent ij, qui iuris doctrinæ operam dare volunt, & ad negotia publica & ad conſilia gubernationis adhibentur, ne ruentes extra metas nimis ſerò querelam illam ſonent, quam memoriæ proditum eſt Iuriſconſultum quendã ſupplicio capitis iam iam plectẽdũ miſerabili voce ediſiſſe.

Quid iuuat innumeros caſus euoluere legum,
Si fugienda facis; ſi facienda fugis?

EQVES. Idẽ ferè Galeacus dux Mediolanenſium, aduerſus Cauſſi- *Cauſidici indigna pe* dicum *na.*

dicum ſtatuit. Cum n. aliquoties audiſſet vafro ingenio Cauſſidicũ eſſe, qui lites ſerere, & ſatas producere atque alere, etiã in liquido iure poſſet: hominem ad ſe accitum affatur. *Debeo,* inquit, *Piſtori meo centum aureos, non lubet ſoluere: tu, ecquid tueri me in iure, & rem protollere potes?* Annuit largiter, & principi promptè ſe dedit: ſed iſte ei malum. Nam fraudis ſic cõfeſſum, verbis prius increpitum, laqueo publicè necari iuſſit. *Ex I. Lipſij monitis polit.*

Cauſſidici cõdigna pœna.

SENEX. Dignũ mehercle prauitatis huiuſce præmiũ! Extat querela Melanthonis, quã aduerſus huiuſmodi prauos cauſarum patronos ſtringit, *Tomo 4. Declam. 106. in orat. D. Schurff.* his quæ ſequuntur verbis: Proh dolor, inquit, multi ex iis qui in forum & in curiam veniũt, vbi legum voce deliberationes regere debebant, peccant, aliqui inſcitia & audacia, aliqui metu, aliqui adſentatione, ſcelere & perfidia, aliqui cupiditate nocendi. Ex his fontibus quãta mala oriantur in Imperiis, oſtẽdunt multa exempla horum temporum. Rex Perſicus Cambyſes, ducturus ſororẽ, interrogabat ſuarum legum cuſtodes; liceretne ſororem ducere vxorem? Illi, quia norant regis truculentiam, reſpondent, vtramq; eſſe Perſicam legem, alteram prohibẽtem, coniugium cum ſorore, alterã, quæ concedat regi facere, quicquid libet. Hi non inſcitia, ſed metu peccarunt. Etſi tales non ſunt excuſandi, tamen plus peccant, qui de rebus maximis reſponſuri, cum nec leges norint, nec controuerſias intelligãt, audaciſſime tamẽ pronunciant, ſed ita vt arte alludant ad adfect⁹ eorũ, quorum ambiunt fauorem. Et plerunque quo quiſque eſt indoctior, tã ta eſt audacior, vt S. Hieronymus inquit: Et qui ſciunt ſe non poſſe tueri locum eruditione & virtute, confugiunt ad alias artes, ad aſſentationes, ad calumnias, ad pręſtigias qualeſcunque, vt ſtudia hominum retineant. Maxime vero peccant illi, qui ſcientes perfidioſe corrumpũt, & obruunt veritatem, ſimiles Iudæ ꝓditori, qui ſpe & pactione magnæ mercedis, veritatem contra conſcientiam oppugnant.

Querela ſuper prauos cauſarum patronos.

De his ſceleribus omnibus ſæpe vox diuina concionatur, vt in cap. 5. Eſaiæ: *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, qui iuſtificatis impiũ pro muneribus.* Et mox de pœna additur: *Propter hoc, ſicut deuorat ſtipulã ignis, & paleam flamma: ſic radix eorum fauilla erit, & germen eorum vt puluis diſſipabitur. Abiecerunt enim legem Domini exercituum, & eloquium ſancti Iſrael contempſerunt.* Has triſtiſſimas pœnas minatur Deus his, qui talia ſcelera faciunt. Poſtea tantis gentibus minatur vaſtationes propter tales præſtigiatores, quia iſtorum ſophiſtica multorũ ſcelera confirmat falſo iuris prętextu, & fax eſt diſcordiarum & bellorum ciuilium & aliorũ ingentium malorum. Addit igitur

Prophēta de populi pœna: *Ideo exarſit furor Domini ſuper populum ſuum, & extendit manum ſuam ſuper eum, & percuſſit eum: Et quaſſati ſunt montes, & facta ſunt cadauera eorum, ſicut ſtercus in medio platearum.* Videtis imaginem Germaniæ in hac deſcriptione: Eccleſiæ dilacerantur ſine fine nouis opinionibus. & Principum odia inter ſeſe armantur prætextu iuris. Ardet igitur Germania bellis iam aliquot annos, & velut ſtipula abſumitur, & montes, id eſt, Principes duriter concutiuntur: ac vidimus his annis Principum & aliorū fortium virorū cadauera humi ſtrata. Hæc triſtia ſpectacula, & eorum cauſas & conciones diuinas cogitate, vos præſertim qui Principum conſiliis affuturi eſtis, & timete iram Dei, & veſtras & publicas pœnas. Vt autem ſint felicia conſilia vobis & reipublicæ, has duas virtutes in curiam afferri oportet. Primum doctrinam integram legum diuinarum & humanarum, non tantum vmbram doctrinæ & garrulitatem: Deinde & agnitionem & verum timorem Dei, qui pectus confirmet contra metum potentum, contra aſſentationes, contra auaritiam, contra ambitionem, & erigat animum vt iuſta velit conſtanter & dicere & propugnare, ſicut Ieremias nullis terroribus & ſuppliciis frangi poteſt, vt bellum Sedechiæ regi ſuadeat, aut motum approbet, cum quidem ſpecies iuris tanta prætexeretur, vt multi ſapientes & docti ea mouerētur, & quaſi claſſicum canerent, ſeu vt Iohannem multi terrores frangebant, quo minus diceret Herodi: *Non licet tibi habere fratris vxorem.* Nec deſunt exempla inter Ethnicos.

Papinianus iuſſus ab Imperatore Baſſiano, vt defenderet parricidium, quod ipſe Baſſianus fecerat, interfecto fratre, quanquam ſciebat ſibi pereundum eſſe, recuſauit tamē ſceleris defenſionem ſuſcipere, ac poſtea magno animo ſuppliciū pertulit. Caſſio Longino Nero effodit oculos. Meminimus & noſtra ætate, paucos quidem, quorum ſimilis fuit conſtantia. Sed duos tamen nominare poſſum, quorum alter chariſſimo patri meo amicus fuit, Gregorius Lamparter: alter notus eſt in hiſtoriis, Thomas Morus.

Nec inuſitatum eſt à Tyrannis deuorari fideles monitores, vt leo in fabulis deuorat equum & aſinum ignaros adſentationis. Obruit ingentes iſta procella viros, vt virum optimum Abel, & deinceps Prophetas, & inter Ethnicos Palameden, Themiſtoclem, Theramenem, Demadem, Demoſthenem, Aratum, Ciceronem, & innumerabiles alios. Ad hæc pericula parati ſimus, & ſciamus Diabolum præcipuè inſidiari gubernatoribus conſiliorum, & petamus à Filio Dei, qui eſt magni conſilij angelus, ſapientiam & protectionem. Has commone-

nefa-

nefactiones ſæpe nos repetere neceſſe eſt, quia Deus immenſa bonitate vult in genere humano ſonare ſuæ ſapientiæ vocem, ſiue multi ſiue pauci fiant meliores. Hactenus Melanthon.

EQVES. Grauis iſthæc querela in eos quidem qui à cõſiliis ſunt virorum Principum, principaliter directa eſt, de quibus etiam ſuo loco prolixè à nobis dicetur. Interim nõ minus etiam ipſos, de quibus nunc agimus, prauos cauſarũ patronos, ac pſeudo Iuriſperitos (ſeu Iuriſperditos mauis) pungit, quippe q in curia & foro cauſas ſubinde agũt; quod vt grauiter animo ſecũ perpendãt, atq; officio ſuo vtrobique tam cõſiliarij quam cauſatũ patroni, ſatisfaciant, omnium bonorũ votum eſt ac deſiderium ſummũ. Nullum n. Imperiũ in hodiernum diẽ vſq;, vel amplificatum vel cõſeruatũ eſt, niſi per homines reip. ſtudioſos: qui nõ ſaltem publicum commodum amãt: ſed & in eo promouendo ꝓpriã vtilitatẽ & authoritatẽ ita neglıgãt, vt Reip. vitã, honorẽ atq; fortunas impendere parati ſint. E conuerſo, vbi homines contrariæ qualitatis rebus publicis præeſſe cœperunt; eodem die talis earum inclinatio eſt facta, vt penitus tandem cõciderint, inquit Frid. Furius *in Idea conſiliarij, pag 55.*

IVVENIS. Erat olim apud Atheniẽſes lege ſancitum: vt quoties aduocata concione populus de Republica cõſultabat: præco maxima voce diram cladẽ & exitium illi & poſteritati ei⁹ imprecaretur, qui Reip. inutile conſilium daret: ne ipſa incommodum aliquod ſubiret. Erant autem illæ execrationes, quæ caput eius perfidi deuouebant, tam horrendis verbis ſcriptæ, vt maximum metũ omnibus, qui illas audiebant, incuterent. Sapienter enim intellexit, qui illas leges tulit: nihil eſſe acuto ingenio ſine fide, ſine reip. ſtudio, ſine patriæ charitate pernicioſius.

SENEX. Quod ad ipſam iuramenti præſtationem, annexaſq; eidẽ execrationes attinet, de his quin fiãt, nemo ambigit. Sed num etiam ab iis qui iuramenta, illa præſertim quæ in alterius præſtantur animam, variæque illorum ſunt ſpecies, quales ſunt, iuramẽtum, calumniæ, malitiæ & ſi quę ſunt alia, præſtant, ſanctè ſeruentur, de hoc multi dubitant, ac ſæpenumero grauiter deſuper queruntur. *Iuramenta cauſidicorum.*

IVVENIS. Iuramentorum formulæ, quę cauſarum patroni pręſtare ſolent, paſſim in publicis qui de iure in lucem prodeunt, ſcriptis extant, atque propterea vos ablego. Vnicam duntaxat iuramẽti formulam, quam illi qui in Notarios creantur, ante omnia corporaliter præſtare coguntur, allegabo. Eſtq; hæc quæ ſequitur iuramenti forma. *Notarius quomodo iurare cogatur ante Notariatum.*

1. Ego N. iuro & promitto: Quod ero Inuictiſſimo, Potentiſſimo, atq; Sereniſſimo Principi ac Dn. D. Rudolpho

dolpho II. Romanorum Imperatori ſemper Auguſto, & Sacro Romano Imperio, omnibuſque ſucceſſoribus eorum, Romanorum Imperatoribus & Regibus legitime intrãtibus, fidelis.

2 Nec vnquam ero in conſilio, vbi eorum periculum tractetur: Sed bonum & ſalutẽ eorum defendam, & fideliter promouebo: Damna eorum pro mea poſſibilitate vetabo & auertam.

3. Præterea Inſtrumẽta, tam publica, quam priuata, Vltimas voluntates, Codicillos, Teſtamenta, quæcunq; Iudiciorum Acta, ac omnia alia & ſingula, quæ mihi ex debito dictorum officiorum facienda occurrerint, vel ſcribẽda, iuſte, pure, fideliter, omni ſimulatione, machinatione, falſitate & dolo remotis, ſcribam, faciam atque dictabo: Non attendendo odium, pecuniã, munera, aut alias vel paſſiones, vel fauores.

4. Scripturas vero quas debebo in publicam formã redigere, in mẽbranis mundis, aut Papyris, nõ tamẽ chartis abraſis, fideliter, ſecundum Terrarũ cõſuetudinem, cõſcribam, legam, faciam atque dictabo.

5. Cauſaſq; Hoſpitalium, & miſerabilium perſonarum, nec non pontes & ſtratas publicas, pro viribus, procurabo.

6. Sententias quoque & dicta Teſtium, donec publicata fuerint & approbata, ſub ſecreto fideliter retinebo.

7. Ac omnia alia & ſingula recte, iuſte & pure faciã, quæ ad dicta Officia quomodolibet pertinebunt, vel de Conſuetudine, vel de Iure.

SENEX. Iuramentum hoc extorſit ſeu ad id auſam poti⁹ præbuit quorundam Notariorum peruerſitas ac malitia. Sic namq; D. Maximilianus, Rom. Imperator *in Conſtitutione ſuper officij Notariatus exercitio.* Cum plurimi, inquit, Notarij ſeu Tabelliones & ſe ſaltem officio Notariatus ingerentes, in Imperio (vt per experientiam didicimus, multorumque accepimus clamore) defectuoſi & indigni inueniuntur, tum ratione conditionis & qualitatis perſonæ, tum ratione defectus etiam ſcientiæ & morum; ac qui alias multipliciter inutiles exiſtunt, vt puta aliqui ſeruili conditioni aſtricti; alij de falſi, præſertim etiam circa tale officium Notariatus commiſſi, aut etiam aliis criminibus irretiti, ſeu publice diffamati; alij negligentes, nonnulli indocti & imperiti, ex quorum imperitia, negligentia & malitia innumeros homines, defraudari, negligi & grauari, non eſt dubium. Ad obuiandum igitur huiuſmodi periculis & defectibus, neceſſarium etiam putamus deſuper fieri prouiſionem, viriſque doctrina & harum rerum experientia ſuffultis mandauimus, qui noſtra auctoritate præſentem ordinationem compilauerunt, &c. Ipſa ordinationis.

tionis Cæſareæ verba ex antographo recitarem, ſed quia illius tenor ſiue Summa Iuramenti formulæ eſt inſerta, nolo eſſe prolixior.

EQVES. Refert Poggius Florentinus de Notario quodam Florentino hanc indignam Notario notoriam tum temporis hiſtoriam. Notarius, inquit, quidam Florentinus qui parum queſtus arte ſua faciebat, excogitata aliquid lucrandi verſutia, adoleſcentem quendam adijt, petens nunquid ei ſatisfactum eſſet de quingentis florenis, qui olim patri per quendam iam defunctum mutui cauſa debebantur. Inſcius ille negauit id debitum in nominibus patris eſſe. notarius id inſtrumento conſtare ab ſe facto aſſerens, iuuenem perpulit, vt nummis redempto inſtrumento apud prætorem debitum peteret. Citatus filius eius qui debitor dicebatur, negauit parentem vnquam mutuo quicquam ab alio ſumpſiſſe, cum nihil de ea re (vt mos eſt mercatoribus) libris ſuis conſtaret, ſtatimque ad notarium profectus vt falſum hominem arguere cœpit, qui quod nunquam eſſet actum ſcripſiſſet. Tum notarius, Neſcis fili temporis illius acta, inquit, cum nondum natus eſſes, pater quondam tuus eam ſummam mutuo ſumpſit, ſed poſt paucos reſtituit menſes, eius rei ego contractum finis feci: quo liberatus eſt pater. Ille pecunia data inſtrumentum redemit. & ea moleſtia producto fine liberatus eſt. Ita ab vtroq; nummos bella fraude contraxit.

Notarij prauitas.

IVVENIS. Huiuſmodi Notarium ipſius ego pronunciarem eſſe Nequam Omnis Terræ, Autorem Rixarum, Imperatorem Verarum Sententiarum ſeu Vtrobique ſuſpectum.

SENEX. Sicuti Medicus tripliciter poteſt culpam committere circa ægrotum, ſic etiam Notarius circa officium ſuum, nempe ante factum, in facto, & poſt factum. Ante factum, ſi ſit imperitus, & ſe intromittat in cura ægroti. Scriptor vero ſi ſine titulo Notariatus, aut eo priuatus, aut imperitus permittat ſe rogari. In facto, vt licet ſit petitus in arte, non tamen in curatione artis præcepta ſequitur, Notarius autem ſi permittat ſe rogari ſuper illicitis, aut ſine modo ſuæ artis, id eſt, non adhibitis adhibendis. Poſt factum, vt ſi derelinquat infirmum, antequam integræ & firmæ valetudini reſtituatur: Notarius ſi defectuoſum tradat inſtrumentum aut mora ſua in tradendo partem lædat, *De medico præmiſſa aſſerit Ang. in ſumma. verbo Medicus, & alij; refert vero Binsfeld. in c. 9. q. 11. in princip. de iniurijs & damno dato.* His enim caſibus & Medicus, & Notarius reſarcire damnum læſo tenentur.

Notarius in quibus poſſit peccare.

Zz 3 EQVES.

EQVES. Medicus ſi ex induſtria curam extendat aut morbum prolonget, vt plus lucri & ſalarij acquirat, mortaliter peccat & tenetur reſtituere omne id quod vltra iuſtum acquirit. Idem etiam ius militat in Notario, qui vltra debitum officij extendit ſcripturas & proceſſus, vt inde plus debito conſequatur.

Notario ſolarium qui ſoluere teneãtur.

IVVENIS. Anne vero omnes in vniuerſum Notario ſoluere teneantur ſolarium.

SENEX. Non tenentur. Primo namque ſecundum iuramentum ſuum pauperibus gratis inſeruire debet, *vt dixi lib.1.cap.29.num.25. Iaſ. in §.tripli. num. 56. Inſtit. de actio. Pet. Ger. ſing. 73. num. 3.* Sicuti etiam in cauſis miſerabilium perſonarum iudices de iure non debent habere ſportulas, nec aduocati Salarium, *Iaſ. in dict. §. triplic. num. 54. & 55.* Et Iudex nihil recipere debet in decreti interpoſitione. *Aman. ll. ſing. 175.* nec etiam in cauſis ſummarijs, *Iaſ. in d. § tripli. nu. 55.* Et pauperem medicus gratis curare debet, *Geil. lib. 1. obſ. 43. num. 13.* Hinc etiam pauperibus appellantibus acta gratis exhibenda ſunt, *Geil. lib. 1. obſ. 43. numer. 15.*

Secundo prohibetur recipere aliquid pro inſtrumento furioſi, *Petrus Ger. d. ſingul. 73. num. 3.* Amplia quod etiam in omni illicito & punibili inſtrumento, de quo rogari non potuit, non debeat habere Salarium, *per ea quæ dicit Couar. in c. peccatum. de reg. iuris. §. 2. de reſtit. doli ob turpem cauſam. num. 1. & 2.* vbi loquens de quæſtione, vtrum meretrix poſſit petere mercedem coitus damnati & punibilis, ſic inquit, In maleficio quod lege exteriore punitur, quantum ad ipſum recipientem actionem, nemo poteſt iure quicquam paciſci nec ſtipulari, qua ratione etiam ſi ex propria natura materia vendibilis ſit, quia res ipſa humana actum ipſum punit, propter quem pactio fit, vere dici non poterit, eadem lege humana pactionem iſtam validam eſſe, qua quicquam promiſſum fuerit ob maleficium cõmittendum. Quid? quod Notarius qui requiritur, nec vult officium ſuum interponere ad mandatum ſuperioris, poteſt priuari officio Tabellionatus, *Rauenna ſing. 440. Roman. ſing. 263.* & fit periurus, *vt Decius in regul. inuitus. num. 6. ff. de regu. iuris.* inuitus enim cogitur Notarius recipere rogatum, Aduocatus Patrocinium, Procurator mandatum. Item caupo, hoſpes & tabernarius recipere hoſpites, doctor conſulere, & omnis artifex, qui tenet artis ſignum, tenetur ſeruire, nam omne officium authoritate vel vtilitate publicum, dicitur officium neceſſarium, & recuſari non poteſt. *Decius in l. inuitus. vbi hæc omnia illuſtrat autoritatibus. ff. de regul. iuris, & vide lib. 1. cap. 10.* quando autem

tem Notarius excuſetur, *vide limitationes in d.c.10.lib.1.*

IVVENIS. Anne exiſtimatis, requiſitum quoque fuiſſe Notarium ad factionem Teſtamenti illius de quo ſupra à nobis dictum fuit, quod quidam Cynicus condidit? Aut etiam ad Teſtamentum illius M. Grunnij Corocottæ Porcelli, cuius meminit D. Hieronymus *in duodecimo comment. in Eſaiam*, his verbis: Teſtamentum Grunnij Corocottæ Porcelli decantant in Scholis puerorum agmina cachinnantium. Et Eraſmus nominatim de illo ſcribit in Moriæ ſuæ Præfatione.

Teſtamentũ Grũnij Porcelli.

EQVES. Lepidum iſtud Grunnij Porcelli eſt teſtamentum, quamobrem etiam intermittere non poſſum, quin ſæpius à me relectum denuo relectitem, non equidem ex analectis illis poſterioribus Ariſtotelis, ſed ex ipſo autographo. Tenor autem huius Teſtamenti is eſt qui ſequitur: Marcus Grunnius Corocotta Porcellus teſtamentum fecit. Quoniam manu mea ſcribere non potui, ſcribendum dictaui. Magirus coquus dixit. Veni huc euerſor domi, ſoli Verriator, fugitiue Porcelle, & hodie tibi adimo vitam.

Corocotta Porcellus dixit, ſi qua feci, ſi qua peccaui, ſi vaſella pedibus meis confregi, rogo domine coce, vitam tu hanc concede roganti. Magirus cocus dixit. Tranſi puer, affer mihi de coquina cultrum, vt hunc Porcellum faciam cruentum. Porcellus comprehenditur à famulis ductus ſub die 16. Calen. Lucerninas, vbi abundant Cymæ, Clibanato & Piperato conſ. Et vt vidit ſe moriturum, horæ ſpacium petijt, cocumque rogauit, vt teſtamentum facere poſſet. Clamauit ad ſe duos parentes, vt de cibarijs ſuis dimitteret eis, & ait: Patri meo Verrinolardino, Do, lego dari glandis modios XXX. Et matri meæ ſcrofæ do, lego dari, Laconicæ ſiliginis modios, XL. Et ſorori meæ Quirinæ in cuius votum intereſſe non potui, do, lego dari hordei modios XXX. De corpore autem meo ſutoribus dari iubeo ſetas. Pellem veſtiendis libris, aut certe firmiſſimis loris inde aptandis. Aniculis, dentes. Cauſidicis & verboſis, linguam, pueris, veſicam, Puellis caudam. Scabie laborantibus, aut phthiriaſi, vngulas quibus ſedent pruriginem. Luſoribus talos. Principibus aures, quibus oppreſſos exaudiant & ſupplices. Superbis qui præ ſe omnes deſpiciunt, oculos. Curſoribus leniendis crepidulis, adipẽ. Curioſis ꝓboſcidẽ. Illis, qui nullius ſunt eruditionis, itemq; pertinacib. ſophiſtis, cerebrum. Salacibus lumbulos & inguina. Patribus familias Germaniæ,

maniæ, pernas & petaſones iunctis farciminibus, quæ omnia ad præſtantem alimoniam ſub fumoſis tectis penſilia recondantur. Comatulis pilos, in manipulum colligatos, polliendis capillis ornatuque idoneos, cupidinarijs in teſtina, vnde tomacla conficiantur. Inſitia, hilla, apex abo, & botellus. Inconſtantibus & lubricis pedes. Diſcordibus & ſeditioſis, caput. Et hæc de membris noſtris hoc ordine fieri iubemus. Cæterum de multis alijs quoque, quæ hic chara relinquemus, pauca quædam ſtatuere, eſt operæ pretium. In primis horas, dies, noctes menſes, & quicquid ad temporis huius orbem attinet, fœneratoribus legamus. Cantoribus pertinacem ſpiritum. Paraliticis aut podagricis greſſum. Deſidioſis ſomnum. Ocioſis & monachis ſaginam. Inuidis & oſoribus, maciem. Febricitantibus aquæ potum. Mercatoribus & Franciſcanis longas peregrinationes. Valetudinariis & Carthuſianis domeſticum carcerem, viuique hominis ſepulturam. Contentioſis, grunnitum. Auaris perpetuas ſordes. Mulieribus lauacra. Pannonibus ſtabulum. Studioſis literarum, vigilias. Meretriculis, ſubactiones. Heluonibus ſuillos in conuiuando mores. Temulentis ructum. Colicis & torminoſis, id quod vnice expetunt, ventris crepitum. Rhedas meritorias, locantibus. Veredarijs, & luctatoribus, in luto volutationes. Obtrectatoribus; ne morbi quoque hæredibus careant, anginam. Immoderata venere aut alia vitæ intẽperantia effœtis, grandinem noſtram, ſiue vt vocant homines, lepram. Bellatoribus ſanguinatiis mactationem, mortem præmaturam ac violentam Empiricis lotiũ. Excrementa quandoquidem extrema ſunt, & legare illa agricolis animus fuit, ad ſtercorationem. Nunc, quia Columellam contra aliorum omnium ſententiam lætamen noſtrum reijcere intelligo, coco nec nominãdo, ne indonatus mihi remaneat, id quodcunque eſt muneris, do, lego. Volo autem mihi fieri monumentum ex literis aureis ſcriptum, M. Grunnius Corocotta Porcellus vixit annos DCCCCXCIX. & ſex menſes, quod ſi ſemis vixiſſet, mille annos impleſſet. Optimi amatores mei vel conſules vitæ, rogo vos, vt cum corpore meo epulemini, beneq; illud condiatis pipere & melle, quo nomen meum perpetuo nominetur. Vos qui huic teſtamento interfuiſtis, iubete ſignari; Lardio ſignauit. Offelicus. S. Cincinatus. S. Lucianus. S. Terpilius. S. Celſanus. S. Nuptialicus. S. Explicit Teſtamentum Grunnij Corocottæ Porcelli, ſub die XVI. Cal. Lucerninas. Clibanoto & Piperato Coſſ.

SENEX.

SENEX. Conditor Teſtamenti huius næ homo obeſæ totus fuit. Cæterum ne bilem moueamus, ad ipſos cauſarum patronos ſiue Aduocatos denuo tranſimus.

EQVES. At exiguam apud eoſdem inibimus gratiam, ſi quidem ea quæ de ipſis ſeu potius contra ipſos ſcripſerunt, alij, inuicem referemus. Sed enim ſi quis Aduocatorum deſuper litigare volet, litiget ſane cum ipſis rerum ſcriptoribus quos ex fide allegamus. Sic namque inter cæteros Cornelius Agrippa in Tract. *de vanitate ſcientiarum cap. 93.* de arte aduocatoria: Iuris adhuc, inquit, aliud eſt exercitium, quam artem vocant placitatoriam ſiue aduocatoriam, vt aiunt, maxime neceſſariam, ars vetuſtiſſima & fraudulentiſſima ſuaſorio cooperimẽto ſubdole adornata. Quæ non eſt alia, quam ſcire iudicem perſuaſione demulcere, & ad omne arbitrium vti, ſcire iuribus vel inuentis gloſſis, ac commentis leges quaſcunque pro libidine fingere & refingere, vel iniquis quibusque diuerticulis illas ſubterfugere, aut fraudulentam litem prorogare, ſic citare leges, vt peruertatur æquitas, ſic gloſſemata adducere authoritatem, vt ſubuertatur ſenſus legis, mensque legislatoris. In hac arte plurimum momenti habet altum vociferari, audacemq;, & in litigando clamoſum & improbum eſſe. Ideo habetur aduocatorum optimus, qui plures allicit ad litigandum & promiſſa ſpe vincendæ litis in iudicium impellit, ſtimulatque prauis conſiliis, qui vetuſtatur appellationes, quiq; eſt egregius rabula, ac iurgiorum author, qui garrulitate, ac linguæ viribus nihil non poſſit declamare: ſed & quamuis cauſam alteri iudiciorum præſtigiis præferre, ac vera & iuſta iſto modo dubia & iniqua facere, iuſtitiamque ipſam ſuiſmet armis profligare, peruertere, proſternere, apud quos iuſtitia nihil eſt niſi publica merces: at iudex in cauſis, qui vendit, empta probat. Sed & ea etiam quæ non ſunt rerum, ſcilicet priuationes & ſilentia, precio exponunt. nam vt nullus eorum loquitur, niſi ad mercedem: ita nec tacet niſi ad præmium, exemplo putà Demoſthenis, qui cum Ariſtodemum fabularum authorem interrogaſſet, quantum mercedis, vti ageret, accepiſſet, & reſponderet ei, talẽtum: At ego, inquit Demoſthenes, plus accepi, vt tacerem. Cauſidicorum ſiquidem lingua, tam damnifica eſt, vt niſi vinciatur muneribus, fieri non poteſt, vt non noceat. Hæc Agrippa.

Aduocatorum vituperium ex Agrippa.

SENEX. Audite vero etiam, quæ de arte Notariatus & Procuratoria idem Cornelius Agrippa, in eodem iam dicto tract. tradit. His, inquit, ad hoc ipſum adſunt Procuratores & Notarij, quos vocant tabelliones, quorum iniurias, & da-

Notariorum & Procuratorum vituperiũ.

Aaa mna,

mna, & nequitias, & falſificia, omnes patienter ferre oportet, cum omnium fidem, & licētiam, ac poteſtatē Apoſtolica & imperiali authoritate ſe obtinuiſſe vidētur. Atque inter hos illi ſunt præcipui, qui norunt forum egregie perturbare, miſcere lites, confundere cauſas, ſupponere teſtamenta, inſtrumenta, reſcripta, diplomata: tum egregie fallere, decipere, & vbi opus eſt peierare, & falſum ſcribere. Omnia audere, & conſtruendis dolis, fraudibus, technis, calumniis, laqueis, captiunculis, inſidiis, tricis, ambagibus, circumuentionibus, Scyllis & Charybdibus ſe à nullo vinci patiantur. Nullus præterea Notariorum tam integrum quod vocant inſtrumentum præſcribere poteſt, quia rurſus litem conteſtari neceſſe ſit, ſi quis velit contradicere aduerſarius. Nam ad aliquid omiſſum dicere, aut falſum, aut fraudem ſubeſſe, aut aliam exceptionem opponet, quia inſtrumenti, aut Notarij fidem impugnet. Atq; hæc ſunt alia iuris remedia, ad quæ litigantibus confugiendum eſſe docent: hæc illæ vigiliæ, quibus iura ſubuenire dicunt, ni ſit, qui male pugnare quam litigare. Is enim tantum iuris habebit, quantum potentia ſua potent defendere dicente lege, quoniam potentioribus pares eſſe non poſſumus. Hæc Agrippa.

EQVES. Dura illa hæc nimis eſſent, ſi ſolus Agrippa hæc in Cauſidicos diceret. At vero ſunt & alij non minus grauiſſimi autores, qui conſimilia in Aduocatos ediderunt. Punitæ ſunt, inquit Auentinus *lib. 2. Annal. Baior.* Cauſidicorum merces, quorum perfidia nihil eſt venalius. Nec eſt quicquam, quod Teutones noſtro æuo magis ad ſummam egeſtatem redigit, quam litium calumniæ, & Leguleiorum auriſuga turba, qui quaſi ſorbi venales, fora conſpergunt.

Aduocati mali paſſim apud autores audiunt.

SENEX. Accommodari in eo haud inconcinne poteſt illud *Ieremiæ cap. 9.* In ore ſuo pacem loquitur cum amico ſuo, & occulte ponit ei inſidias.

EQVES. Iohannes Sophilæus Epiſcopus Siburtenſis in oratione habita ad Rotæ auditores, anno Chriſti 1528. die 15. Maij, poſt direptionem vrbis Romæ, vbi inter alias excidij vrbis cauſas hanc refert. Sed iam, inquit, ad nos ipſos reuertamur, qui, ſi verum amamus, ingenue fateamur neceſſe eſt, his tot & tantis malis, & aliorum communibus ſceleribus non defuiſſe propria noſtra factionis ſcelera & peccata.

Nos enim, qui miniſtri ſumus iuſtitiæ, iuſtitiam forte, vt par eſt, non miniſtrauimus. Quid ſi in ſiniſtrum nos ignorantia traxit? ſi fauor inflexit? ſi acceptio muneris vel perſonæ corruperit? Vos ſpectabiles Aduocati, qui ſtatis (vt de mortuis & abſentibus taceam) reſpon-

ſponſa & conſilia veſtra plus iuſto ſordium diuendidiſtis, ponentes tenebras lucem: quærentes mendacium: dicentes bonum malum, & malum bonum. Vos quoq; patroni cauſarum, vos nuper tabelliones cum miniſtris & coopetatoribus veſtris, parrocinia veſtra, operas ne dicam quid deterius veſtras minus forte diligenter clientulis & partibus exhibuiſtis.

Quas ob res, cum omnes grauiter deliquerimus, emendemus deinceps in melius quæ ignorantes, aut ex animo peccauimus: conuertamur pariter ad Dominum, & miſeribitur noſtri: quia pius & miſericors eſt, & præſtabilis ſuper malitiam. Hæc Staphilæus.

SENEX. Methodius in gloſſa: Nec Iuriſtæ, inquit, qui bene iudicant, conſtituuntur; ſed qui iudicium peruertunt qui iura ſecundũ voluntatẽ, & largiſſime exponunt: cerea faciẽtes iura, vt ad quamcunque partem velint, flectant. Eligunt enim, quod ipſis placet; & quod contra eos eſt, omnino tacent. Certe non dicuntur Iuriſtæ, ſed peruertiſtæ. Illi enim præ aliis eruditis volunt vocari Doctores, & Rabbi: & quærunt ſalutationes in foro, & adulatores in curiis Dominorum Epiſcoporum, & Prælatorum. Vnde Seneca: Nihil peius, quam adulatores in curiis Prælatorum. Amen dicitur de illis, quod receperunt in hoc ſeculo mercedem ſuam. Tales enim fouentur, & nutriuntur, & pro Secretariis atq; intimis Cõſiliariis in curiis Epiſcoporũ habentur præ cæteris, & qui multa beneficia poſſident. Alij vero viri ſcientia, parum vel nil poſſidentes, ſub pedibus ſpernuntur.

EQVES. Liuius eos Foreſes canes, & togatos vultures appellat, apud quos ceſſante lucelli ſpe, ſola, & rubiginoſi aura marcidi ſilebant & cauſarum indagatores: tales ſunt hi ſordidæ totius expertes eſſe & humanitatis.

SENEX. Seneca ait: Iuriſtas eos, veluti canes acerrimos, nõ niſi oblato cibo manſueſcere.

EQVES. Hieronymus inquit Iuridici lincibus & leonibus crudeliores, ore rabido tam diu deprædandi memoriam non perdunt, quam diu venter eſt vacuus.

SENEX. Petrus Bleſenſis *in ep. 140.* inquit: verba ſiquidem lepida plerumq; habet cẽſura ciuilis: ſed ſunt folia ſine fructu, nugæ canoræ, & Syrenes vſq; in exitiũ dulces. Mentior, ſi vnquam videris, illius ſcientiæ Profeſſorem, in ipſius exercitio, felices exitus habuiſſe.

EQVES. Tuſe. temp. S. Iuo Britto Doctor, canonizatur: quia fuit Aduocatus pauperum, & ſanctæ vitæ. Hic ſolus inter Iuriſtas modernos, ſanctus computatur.

SENEX. Arnoldus Ferronus, inquit: Dicit ſæpius Ludouicus XII. Rex Gallorum, optumum eſſe

ad oculorum ſalutatem remedium: non multos videre Iuriſtas & Procuratores. Item, leges Iuriſconſultorum habere ſe inſtar corij ſutorum. Vt enim hi corium, ſi breuius aut denſius ſit, quam conueniebat, dentium morſibus fricant, ſtringunt & diſtendunt: ſic & Iuriſtas ſuas leges diſtrahere, fingere, contorquere, & artibus mirabilibus tornare, donec propoſito iniquo reddant accommodas.

Ita & Philoſophus ille non inepte per Aranearum telas & retia, apto admodum hieroglyphico, legum notat inæqualitatem propterea, quod veluti muſcæ & volatilia alia puſilla, ſi in eas inciderint, capiuntur & pereunt; fortiora vero animalia, perrupto texto facile, quoquò libuerit, elabuntur: ita leges imbecillam & tenuem plebeculam cohibent atque caſtigant: potentioribus vero nihil aduerſantur, qui eas ex arbitrio tollunt, ſcindunt, abrogant & refigunt. Hoc eſt, quo pollutior vita, eò præclarior: quo plus ſcelerum, eò plus præmij & gloriæ. Sicut Diomedes pirata comprehenſus ad Alexandrum ait: Ego, quia vno nauigio latrocinor, accuſor pirata: Tu, quia ingenti claſſe id agis, vocaris Imperator: Me rei familiaris anguſtia, te faſtus intolerabilis, inexplebilis auaritia furem facit.

IVVENIS. At non ita Antiochus Tertius, qui ciuitatibus ſibi ſubditis ſcripſerat, ſi quid vnquam per literas mandaſſet, quod legibus aduerſaretur, ne curarent, tanquam illud eſſet ſe neſciente ſcriptum. Neq; ſic Rex ille, qui præfecto aulæ ſuæ gladium præbens, dixit: Hoc in adminiſtranda iuſtitia vtere, & ſi ego quoq; eam neglexero, in me diſtringito.

Philo, inquit, ſis intactus à contentionibus, veritatem inquire, & nihil præter eam admittere, longe aliter quam iſti, qui accepta ſemel qualicunq; dogmata obſtinate defendunt, ſiue probata, ſiue improbata; cauſidicorum mercenariorum morem imitantes.

EQVES. Publicæ mercis nihil tam venale, quam [illegible]catorum perfidia, inquit Tacitus, & venali verſutiæ Iuridicæ arte non fructuoſe vſus eſt Demoſthenes, Orator ille Græcus. Nam Harpalus, qui Alexandro Magno theſauros abſtulit, vt Athenis tutum eſſe quæretur hoſpitem, Demoſtheni 12000. coro[illegible]rum, atq; poculum dono dedit, quod pro ipſo cauſam dixit. Eiuſmodi γλωσσοχρυσέγχει poſſent adhuc plures recenſeri, niſi frequentia occurrerēt quotidie in lectione hiſtoriarum exempla.

SENEX. Mutius lib. 14. [illegible] Iuriſperitos multi in cognoſcendis cauſis adhibent: quod, ſi probi eſſent, quantum emolumenti adferret ad hanc vitam feliciter degendam, nemo ſanæ mentis ignorat. Et

Comi.

C[illegible], inquit, nam & ſua ingenia, quadam ſponte Principes eo propendent, vt, quod libet, licere ſibi putēt, & qui ſunt circum ipſos, quoniam aucupandæ modo gratiæ ſunt ſtudioſi, plane ſeruiunt illorum cupiditatibus; & ſi quis ad meliorem frugem aliquando hortetur, magnas tempeſtates excitat. Temperare mihi non poſſum hoc loco, quin grauius aliquid dicam in Principes imperitos & ignauos. Habent ſibi pleriq; familiares aliquot Iuriſperitos, & quoſdam, qui longiori veſte diſcernuntur ab aliis: & recte quidem, cum ſunt viri boni, ſed periculoſe admodum, & magno cum detrimento, quando ſunt vitioſi. Cuiuſcunque rei ſermo inciderit, illico legem aliquam, aut hiſtoriam adferunt; plerumque & ſæpenumero præter rem, dum ad ſuum ſenſum & affectum omnia detorquent, idque eo crebrius faciũt & audacius, cum Princeps ipſe nullam habet rerum cognitionem, qui ſi vel ingenio valeret, vel librorum lectione quæſitam haberet aliquam prudentiam, non temere circumueniri poſſet, nec ſic ludificationibus aliorum eſſet expoſitus.

Hoc enim [illegible] eſt, Deum non condidiſſe regna, vt gubernarentur ab hominibus ineptis & ſtolidis, qui friuola quadam, & miſera iactatione ſolent dicere, ſe, quod vſum literarum non habeant, ſuis familiaribus & neceſſariis omnem actionem committere, ac deinde, nulla probabili adducta ratione, cur ita loquantur, totos ſe dedunt voluptatibus. Si bene fuiſſent a teneris annis educati, longe aliam viam ingrederentur: & hoc darent operam, vt homines bene & prȩclare de ipſis ſentirent.

EQVES. Liber de dictis & factis memorabilibus Lutheri. Iuriſconſulti vident, quotidie multa iniqua committere Principes ſuos. Quod ſi igitur vellent digni eſſe nomine, quod ipſimet arrogant ſibi ſacerdotum iuſtitiæ: nō ſic conniuere ſubinde deberent, vt muli, dicam muti: ſed dicere, Illuſtriſſime Princeps, hic peccatum eſt, hoc iniquum eſt, hoc contra leges diuinas & humanas pugnat, V. C. hoc omittat, hoc auertat, iſtud fugiat, aut ego officium meum reſignabo, veſtroq; valedicam muneri. Sed non adeo multos reperias eius candoris & integritatis, qui hoc faciant.

Et ſane inficias ire nĕquimus, quod hic Lutherus de I.C. dixit. Si enim nōnunquam Magnatibus ſua improba cœpta a conſiliariis fidelibus [illegible] dicerentur, a multis equidem incommoditatibus & malis immunes eſſemus.

SENEX. Verum appoſite Lutherus idem dicere potuiſſet & de Theologis ſuis. Nonnulli enim,

tametſi quorundam in aulis & ciuitatibus dominorum, quibus ſunt à confeſſione, enormia ſæpe, & indigna Chriſtiano nomine crimina & vitia nouerunt: tamen ad ea (ne eos offendant, aut ab menſa aulica vel curiali abſtinere cogantur, & quo pedem alterũ in ſuggeſto templi, alterumque in curia retinere queant) impie & turpiter conniuent; approbant, & indulgent omnia, adblandiuntur, adulantur & admittũt ad communionem & abſolutionem leuiſſime: ſed ô factum malè, imò vero peſſimum.

Nam ſi & illi officiis vel renunciarent, vel, vt decet, ſatisfacerent, & eiuſmodi peccatores non reciperent, niſi dixiſſent prius (vt Nathan Dauidi) Tu es ille, qui feciſti malum: & (vt Iohannes Herodi) non licet tibi vxorem habere fratris, & (vt B. Ambroſius Mediolani Epiſcopus, Theodoſio Imperatori, cum Eccleſiam intrare vellet) ſiſte gradum, te enim hominem propter peccata prophanum, & manus innoxio ſanguine commaculatas habentem fas non eſt, antequam pœnitentiam agas, ad diuinorum myſteriorum communionem admittere; &c. & ſeriò caſtigaſſent eorum delicta, omitterentur certe plurima ſcelera & peccata, quorum culpa penes neminem eſt alium quam Theologos & Iuriſconſultos, qui & de illis olim grauiſſimam tenebuntur reddere rationem ſeuero iudici Deo: Sanguis enim pereuntium de illorum manibus (teſte Propheta) repoſcetur.

EQVES. Antoninus *tit 24. c. 9.* Iohannes, inquit, Florentinus cum eſſet Iuriſperitus, & in ciuitate Caſtellana Iudex, reſpiciens aliquando per feneſtram, audiuit, porcorum paſtorem, porcos includere non valentem, his verbis incantare eos; Porci porci, intrate in ſtabulum veſtrum, ſicut iudices & Iuriſperiti intrant in infernum. Quo dicto, ſtatim porci morigeri intrarunt ſtabulum. Pro omine hoc habens Iohannes, & metuens, ne & ipſe intraret in infernum cum Iuriſperitorum ſuorum & Iuridicorum turba, relictis & contemptis omnibus cum filio, Minorum Ordinem intrauit: cuius mox Generalis factus, ſanctam adeo geſſit vitam; vt, cum ordines viſitandi eſſent, illud faceret nudis pedibus.

SENEX. Fratris Iohannis Iunioris in Scala cæli verba ad Iuriſtas ſunt hæc: Venite Aduocati mei, qui viliores eſtis quam meretrices, vendentes viliorem partem, vos autem meliorem. Item viliores vſurariis, qui lucrantur in temporalibus: vos autem ſapientiam & intelligentiam vendidiſtis; viliores eſtis omni creatura, empti Chriſti ſanguine, cum res venerabiles exhibueritis ad omnem iniuſtitiam.

Item ad Idem. Quidam habuit

filium,

filium, & venit cum eo ad quendam ſapientem, & dixit ei: Domine, pauper ſum, & vellem ditari: & quia Aduocati ſumme ditantur, ſi conſulitis, vellem, filium meum fieri Aduocatum. Cui ſanctus ſenex reſpondit: quicunq; fit Aduocatus, ſtatim ponit ſibi ad collum vnam Scalam duodecim graduum, qua mediante, deſcẽdit ad damnationem æternam. Cuius latera ſunt honor & auaritia.

Et primus gradus huius Scalæ eſt: non ſubuenire miſeris, quia qui non ſubuenit, tollit.

Secundus gradus eſt, iniuſtam cauſam ſuſcipere, & defendere deſperatam.

Tertius gradus eſt, ſuſtinere cauſam, quã in proceſſu cognoſcit iniuſtam.

Quartus eſt, inducere ad compromiſſum, quoniam ſciunt iniuſtam cauſam.

Quintus eſt, per ignorantiam vel negligentiam perdere cauſam iuſtam vel deteſtandam.

Sextus eſt, immoderatũ lucrum accipere.

Septimus eſt, obtinere iniuſtas dilationes.

Octauus eſt, odium cõtra aliam partem.

Nonus eſt, falſa allegatio teſtium, inſtrumentorum, vel legum.

Decimus eſt, venditio ſcientiæ.

Vndecimus eſt, vana gloria.

Duodecimus eſt, infidelitas: & ideo, cum iſti talibus malis ſint onerati, conſulo tibi, quod damnationem æternam nõ præponas ſaluationi animæ filij tui.

Secundo Iuriſta eſt Eccleſiæ deſtructor: legitur enim, quod quidam Aduocatus mortuus portabatur ad Eccleſiam. Cum autem eſſet iuxta portam Eccleſiæ, portæ clauſerunt ſe, nec poterãt ipſum introducere ad Eccleſiam. Cum autem quidam ſanctus rogaret Deum, vt reuelaret cauſam huius, apparuit ei beatus Petrus, & dixit: Iſti ſunt deſtructores Eccleſiæ, & plus nocent Eccleſiæ, quam raptores omnes vnius terræ: quia auferunt prælationem à iuſto & bono, & dant iſteri inſigno. Plus nocent Eccleſiæ, quam Dæmones: quia omnes illi non poſſunt facere, quod regimen Eccleſiæ ſubderetur ſeruo Diaboli, & per conſequens Diabolo, ſed hoc facit malus Aduocatus: fideles expellit, & introducit Dæmones; machinam erigit ad deſtructionem Eccleſiæ, & tanquam ſagittarij Dæmonis, cum arcu falſitatis veritati nocet; peior eſt, vel æque malus, ſicut hæreticus. Nam ille corrumpit fidem; iſte opera fidei: ille peccat ignoranter, credens, ſe bene credere: iſte ſcienter. Quare non eſt dignum, vt tales beneficia Eccleſiæ recipiant.

Tertium eſt, linguæ præciſio: Vnde

Vnde narrauit mihi ante paucos mẽſes aliquis ſacerdos de Saxonia, dicens: Nuper in terra noſtra quidam Decretiſta, & nominatus aduocatus mortuus eſt, qui cum hiaret, lingua in ore eius defuncti non eſt inuenta. Et meritò linguam perdidit moriens, qui illam ſæpe vendiderat viuens; licet in illo diuino examine, vbi aperti erunt libri, nullus aduocatorum neq; pro ſe, neq; pro aliis aſſignare poterit aliqua falſa loca ex legibus ſiue decretis: iuſto tamen Dei iudicio, ad tribunal Chriſti iturus, linguã, qua multos vel iniuſte accuſarat, vel temerè defenſarat, amiſit.

Quartum eſt, miſericordiæ Dei depriuatio: vnde Iacobus de Vitriaco dicit: quod quidam aduocatus in morte exiſtens, petebat à Deo inducias pœnitendi: tunc vox audita eſt: Aduocatus ſumme ſimilis eſt dæmoni: quia ſicut ille vult litigium, & odit pacem. ſic tu in cauſis inducias non dediſti, niſi vt aduerſarium grauitate temporis fatigares: quare vade ad tuum ſimilem, quia non es dignus miſericordia: & tunc mortuus eſt, & à dæmonibus deportatus.

Quintum eſt, proximi deceptio. Duo homines tradiderunt cuidam mulieri depoſitum, cum iſta conditione; quod nulli redderet, niſi ambo eſſent ſimul, proceſſu temporis alter acceſſit ad eam, quam verbis decipiens, recipiebat depoſitum. Cum autem ſecundus veniſſet poſt multos dies, requiſiuit pecuniam traditam: quæ ſtupefacta, ad vnum Aduocatum acceſſit: tũc illa dedit talem reſponſionem: in pactis eſt, quod ſimul ambo adeſſe debeatis, quando reddetur depoſitum: & ideo adduc ſocium tuum, & reſtituetur tibi: qui non potuit adducere ſocium, quia iam depoſitum habuerat.

Sextum eſt, peccatorum cumulatio: quidam aduocatus ſolenniſſimus intrauit ordinem Ciſtercienſem, & factus procurator monaſterij, omnes cauſas perdebat. Cum autem interrogaſſent eum monachi, quæ eſſet ratio, quare omnes cauſas perderet, ex quo eſſet in monaſterio, cum nullam perdidiſſet cauſam exiſtens in ſeculo? Reſpondit, quando iam eram in ſeculo, vtebar mendaciis & fallaciis, & ideo lucrabar mundi partem: quia vero dimiſi mundum, & adhæſi veritati, non eſt mirum, ſi perdo ea, quæ ſunt falſitatis.

Septimum eſt, in morte obſtinatio: legitur, quod quidam aduocatus iacẽs in lecto ægritudinis, dum Euchariſtia præſentaretur ſibi, dixit: Volo, vt iudicetur, an debeam recipere, an non? Cum autem Sacerdos moneret eum ad pœnitentiam, dixit: Appello. tunc diabolus accedens ſuffocauit eum.

EQVES. Idem Frater Iohannes Iunior in Scala cæli, inquit: Aduocatus

catus

catus quidam tantæ ſuperbiæ erat, quod vix loquebatur cum hominibus, & hoc propter ſubtilitatem ſuam: qui diuino iudicio ad tantam deuenit miſeriam, quod infirmatus venientibus ad videndum eum dicebat, ſe eſſe cattum, ponendo ſe ſubtus ſcanmum & bancas.

SENEX. Idem Fr. Ioannes iunior, ibidem: Quidam aduocatus tempore chariſtiæ, ne audiret voces pauperum, acceſſit ad quandam hereditatem ſuam iuxta aquam, vbi tamen nec dum defuit populus clamans fame oppreſſus: quorum voces cum audiret, reſpondit: Non durabo cum iſtis canibus: & fecit poni menſam in alia camera: & ſtatim quidam armatus in porta pulſauit, & dixit: Nuncius Dei ſum, & volo loqui cum domino veſtro; & ſtatim ſeruus de mandato domini aſſerebat, eum ibi nō eſſe: at ille ait, mentiris; in illa camera ſe abſtulit, ne audiret voces pauperum: & nūc cito eum, vt cōpareat coram Deo, reddere rationem de commiſſis: & ſtatim infirmabatur, & exhortabatur ab amicis, vt confiteatur: renuit, & finaliter ad æternam damnationem peruenit.

EQVES. Franciſcus de Roſieres *in lib. Stem. Lotharing.* Non cōtemnimus, inquit, Iuriſprudentiæ religionem, ſine qua ciuilis nexus, cōmuniſque ſocietas ſubſiſtere nequeunt: ſed rabularum forenſium ineptitudinem, eloquentiam faſtuoſam; ſordidum quæſtum, & vt plurimum barbarum, quo tumidiores cæteris vel negotium faceſſere, vel legem conantur imponere. Præda victitant, vt accipitres. Si conſulantur, vel adeuntes ſuſpiciunt, adulantur, in aures inſuſurrant; falſa, vera negligunt, tum plerumque ſuperbia, quæ eſt ignorantiæ magiſtra, efferuntur.

SENEX. Baldus ipſe *colum. lib. 1.* Sine cauſidicis ſatis felices olim fuere, futuræque ſunt & eſſent vrbes: fit enim per eos, vt legibus fundata ciuitas, legibus euertatur. *Plin Paneg.* Et modicæ conſcientiæ Iureconſultos eſſe, affirmat idem Baldus, ipſe inter omnes ſummus Iureconſultus, *l. ab Anaſtaſio, cap. mandati.* Aduocatus dicitur parum conſcientiari: & præſumitur, quod omnia mala cogitet. *Auth. de exhib. reis. §. ſancimus.*

Sunt enim docti plerumq; mali, vt refert Cebes Thebanus, Ioannes Camers, Lactantius, Cicero: & in eandem ſententiam Bias; οἱ πλεῖστοι κακοί. Artibus etenim ſi qui malè vtantur, latam feneſtram ad nequitiam aperiunt. Plautus. Et doctrina bonos effectus habet, ſi in bonam naturam cadit; ſi in malam, malos. Cominæus. *Sincerum enim eſt niſi vas, quodcunq; infundis, aceſcit.* Aiunt, cauſam horum ex Philoſophorum doctrina eſſe hanc: quod ab extremo ad extremum ſine apto medio nemo peruenire poſſit.

EQVES. Franciſcus Petrarcha apud Squarzaficum, cum eum Cynus I C. ad iuris ſtudium exhortaretur, reſpondit: Studium, ad quod me hortaris, ſeruile officium reputo, & mancipium omnibus ſe præſtare, qui illo vtitur. Et ſi paterna nō foret reuerētia, ſi poſt me curreret, quia libertate vti cupio, nō accepta rem. Quis eſt qui non dicat, hæc iura venalia eſſe? & ad bene recteque viuendum longè aliis ſtudiis eſſe inferiora. Quid ad faciendum virum bonum iſta conueniunt? Sed quis non videt, ad virtutem conſequendam nihil pertinere? ac cupidū magis, mendacem, iracundumque hominem reddere? Quid mihi eſt de aqua arcenda diſputare? quid de ſtillicidio? quid, ſi ancillæ partus in fructibus cenſeatur? quid, ſi quis legata perſoluere teneatur? Cùm, etiāſi teſtamentum ſeptem teſtibus caruerit, executioni mandetur, cùm iſta a legumlatoribus luculenter explicata ſint. Vos veſtris commentationibus omnia peruertitis, ſunt commenta ſuper commenta, quæ indies noui legulei ſcribunt, vt iam eueniat ex hoc id, quod ait Comicus, Ne intelligendo nihil intelligant. Sed vt dignitati tuæ, & paterno amori morē geram, perſequar, &, tempus non inutiliter me triuiſſe, oſtendam.

Sed quis naturam vrgentem euadat? non poterat quidem facere, quin eloquentiæ ſtudia perſequeretur. Excitabatur multorum amicorum hortatione, qui & ſcriptas ab eo epiſtolas & carmina laudarent, & in ampliſſima reponebatur ſpe, ſi in dicendo perſeueraret, vt ſui temporis omnes ſuperaret, & ſe indubiè antiquis adæquaret. Creſcebat indies eius laus & fama, & vt aliquid dignum laude promereret, à multis incitabatur; ſicuti ille, qui iam Ciceronis fundamenta & diſciplinam intelligebat.

Patri autem, quæ de filio ferebantur, non placebant, quanquam laudaretur; ſed excandeſcens ita, Bononiam pergit, & filio diris verbis increpato, quid Cicero? quid Virgilius? quid ſcriptores hiſtoriarum, & Poëtæ denique omnes ſibi facere poſſent dicebat, cùm ad aſſequendas opes non valerent, ſed vt fabellæ & ſomnia eſſent: Iuri autem ciuili ſtuderet, quod ampliſſimum inde honorem & fructum haberet, hortabatur, & commonebat.

Poſtea ignem accendi iuſſit, vt, quotquot filius haberet libros Ciceronis & Poëtarum, omnes combureret, & cum iam aliquos irā igni mandaſſet, & Rhetoricam Ciceronis & Virgilij opus manu teneret, vt in flammas mitteret, non amplius ferre potuit egregius iuuenis, innocuos talem iniuriam pati, genibus flexis, lachrymiſque precibus admixtis, vt tantum nefas ne faceret, & à tanta indignatione ab-

re abſtineret, & ſi quid eſſet peccatum à ſe, non ab illis claris viris pœnas exigeret, exorat, obteſtatur, adiurat, patrem amplectitur, oſculatur, pollicendo non amplius illos legere, ſed ſtudium ſibi impoſitum ſequi.

Ex iis patris iram placauit, atque deinde, quoad vixit pater, Iuri ciuili diligentius operam dedit. Solebat ipſe admodum ſenex hanc hiſtoriam iucundiſſimè narrare.

SENEX. Ioannes Bodinus recitat, quod Ferdinandus Rex Hiſpanorum, cùm Proregem in Indiam Orientalem mitteret, in mandatis ei dederit, ne I.C. aut cauſidicos eo deduceret, ne litium ſemina, quæ in regionibus illis nulla erant, importarentur.

EQVES. Matthias Coruinus Rex Vngariæ I.C. & cauſidicos ex Italia magna mercede accerſiuit; ſed litibus creſcentibus, populo rogante, iterum eiecti fuerunt.

SENEX. Polycrates inquit, Improbitas cauſidicorum eò deuenit, vt teſtimonium conſcientiæ, & ſinceritas cauſæ apud eos planè deficiat, precium interueniens omnia interuertat.

EQVES. Rodericus Epiſcopus Zamorenſis, in ſpeculo humanæ vitæ de I.C. & conſiliariis loquens, ait: Ad conſulendi munus non niſi ſacramento admittuntur Conſiliarij, ſed toties deierare videtur, quoties Senatum ingrediuntur.

SENEX. Zamorenſis ex Platone & M. Catone: Sic, inquit, conſulendum eſt reipublicæ, non vt placeas, ſed vt proſis vtiliſque ſis. Sed quomodo vtilis ſis, triſtis euentus oſtendit: quo illa indies fit pauperior, tu ditior. Nõ tam cõſulis, quam conſumis: non tam regis quam premis, non tam protegis quam lædis. Ciuibus imponis grauiſſimas collectas, non reipublicæ ſed tibi imburſandas: conſulis non Reip. ſed tibi: gaudent Conſiliarij hoc nomine, à cuius re & effectu plurimum ſunt alieni. Pauperũ domus euertunt, vt ſuas conſtruãt: miſerorum capellas, agros atq; prædia ſubhaſtant, vt ipſi vilius emant & quæ ſequuntur.

EQVES. Idem Zamorenſis: Difficilis, inquit, eſt conditio Iuriſcõſulti. Neminem enim iuuare poteſt, quin alterum lædat: commodius eſt neutrum iuuare, quam alterũ grauare. Vbi deſinunt Aduocati, ibi quoque litigia deſunt: vbi vero Aduocatorum turba ſtrepit, ibi litium anfractibus tota ciuitas ardet, nec domus aliqua à litigio vacat: tolle cupidos litigandi miniſtros, ſimul tolles & lites. De pace non cogitat, qui cum bello lucratur. Aduocatus diſſidendo litigando diteſcit: qui mendicaret, ſi quietiſſimè omnes viuerent. Quomodo opes litigando quærere poſſumus licitè, qui noſtra proximis offerre iubemur? Charitatis ordo per Aduo-

catos perit. Minus pernicioſum foret, aliquos iniuſtè opprimi ob aduocationis defectum, quam plurimos: imo ipſam rempublicam eiuſque quietem tot tantiſque (vt cernimus) litium perturbationibus cõcuti atq; ſubuerti, quæ veluti quædam incendia cunctas Reſpublicas adurunt atque confundunt. Non tantum iuſtitia, ſed & ipſam iniuſtitiam vendunt: veritatem vilificat & inhonorat, qui eam pretio exponit & vendit. Seculo aureo laudabilis erat ars, laudabile exercitium, nunc vero quia ad pretium exponitur, merito in ſordibus computatur. Seruus eſt iuſtitiç, quæ virtutum regina eſt atque domina: qui ergo dominam ſuam vendit, vt proditor iudicandus eſt.

O quot litigia & mortales contẽtiones ſuſcitãt, quæ ſopiri per Chriſtianum decebant. O quot ſuperfluas dilationes; quot acta inutilia adducunt & ſcribunt, vt creſcat regiſtrum, proceſſuſque in pretio augeatur: & quæ ſequuntur.

EQVES. B. Auguſtinus inquit, Callidi argumentatores, & Iuriſperiti fallaces, dum cupiunt ditari; vix præuaricationis periculum fugiunt; controuerſias actioneſque cauſarũ contra ipſa iura vertunt: & vt aduerſarios coerceant, iuſſionib⁹ legum; ad illudendos iudices, exquiſitis exemplis, multiplices intellectus, & cauilloſas à legibus eliciunt coniecturas. Quid igitur in eis laudem, non facilè inuenio; vendunt enim linguam ſuam, quæ Spiritus ſancti donum eſt.

SENEX. Idem inquit, Forma in eis eſt litigioſa: hoc ipſo laudabilior, quò fraudulentior. Fateor enim, vtilis eſt iuris ſcientia: ſi eius Profeſſores intra eius limites agerent, & legum terminos non tranſgrederẽtur. Sed illis abutuntur, & falſo legum intellectu, & nouis interpretationibus, ſacris legibus illudunt. Quod ſi ſecus agerent, pauperes admodum & inopes; fateor tamen, felices viuerent.

EQVES. S. Bernhardus, Rurſus inquit, niſi fallor, fallitur quiſquis, qui litigandi officiũ aſſumit, & lõgè magis fallitur, qui artes litigandi & cõtendendi eligit; in quib⁹ propter nocendi facilitatem quãto quis doctior, tanto nequior euadit; vt de aleatoribus Polycratus ait.

SENEX. Fridericus Imperator factus, per Antoniũ de veteri prato Bononienſem L.C. librum de vſibus feudorum renouari fecit, etſi Iuriſperitos non nimium dilexit, quod, iuris æquitatem ab eis inuerti, iuſtitiamque fœdari, diceret.

EQVES. Memoratu dignum eſt de Traiano Imperatore, quod, correptus ab vxore Plotina, calumniis & malitia ſuorum Procuratorum prouincias diuexari, deteſtari eos cœpit, & improbos vocare fiſci lienes: vſurpans verbũ hoc memorabile, quod in præcordiis omniũ principum

cipum vtinam eſſet reconditum. Nam quadam egregia ſimilitudine fiſcum vocabat lienem. Sicut enim creſcente in corporibus noſtris liene, artus reliqui tabeſcunt: ita turgente Principis fiſco, reliqua ciuitatis membra macreſcunt & ægrotant. Ita vxor hæc bonæ frugis, maritum ſuis præceptis iuuit, ac corripuit, ne ſuæ laudis foret incurioſus: & ad honeſtiorem reduxit ordinem. Cuſpinianus.

SENEX. Alexander Seuerus toto Imperij ſui tempore nihil fecit aſperius, quam quod fumo necauit Thurinum Verconium, quia ſolitus eſſet fumos vendere; id eſt, fingere reſponſa Imperatoris, accepta pecunia, cum cauſas nunquam ad Imperatorem retuliſſet, iuſſitque Præconem clamare: Fumo punitur, qui fumos vendit. Compererat enim, ſæpe eum ab vtraque parte pecuniam accepiſſe. Supplicij exemplum ſumtum fuit ab Auidio Caſſio. Scribit autem Lampridius, Alexandrum deinceps in cauendis fumi venditoribus cautiorem fuiſſe, nec paſſum eſſe, vt de alijs quiſpiam male apud ſe loqueretur. In eos, qui corrupti pecunia iniuſte iudicauerant, duriter animaduertit, ſæpe hunc verſum recitans: ὁ πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δοὺς ἐκφεύξεται.

Fumi venditor fumo necatur.

EQVES. Plurimæ etiam extant Neotericorum ſuper prauitate Cauſſidicorum querelæ, Boſſus *in tract. de gerendo magiſtratu.* Peſtis quoque illa, inquit, & iudiciorum labes, quæ docet iudicem cauillari, & aſtu illudere veritati, non modo tibi cauenda erit, ſed acerrimo odio inſectanda, & perinde ac peſtiferum virus, parricidiumque iuſtitiæ paſſim fugienda. Id profecto non eſt ius dicere, & iniurias inter ſe hominum depellere, ſed nefario ac deteſtabili ſtudio maliciam, fraudemque venalem habere. Sed heu infœlicitas temporum imo infœlicium peruerſitas hominum. Iam tanti calliditas eſt, cauillandi, commentandique malitia, vt in tutelis, tabulis, vadimonijs: teſtamentis, reliquiſque cauſis, & litibus non patroni aut iudicis fides, integritas, prudentia, conſcientia, bonitas, quæratur, Sed temeritas animi, arrogantia, fraudolentia, aſtutia, & quæ nunquam ſuccubuerit, tergiuerſatio atque malitia; Ille ſapiens, ille eximius, ille legum monarcha, & iudiciorum peritiſſimus & habeatur & vocitetur, qui vertere iura, qui rapere leges, qui fallere, ac circumuenire, ſupplantare, & tanquam præſtigiare oculos poteſt, & per fas perq; nefas victor emergere.

SENEX. Eiuſdem tenoris etiam illud in Patrociniorum abuſum; carmen:

Occidunt miſeros vadimonia rauca clientes,

Ciuibus hoc peperit Cauſſidicina mali,
Cauſſidicina, cui Ius ſummum iniuria ſumma eſt,
Quæ lites in rem vertere docta ſuam.
Mille agilis verſare ſtrophas, & nectere tricas,
Actori pariter conſulere atq; Reo.
Stare palam hinc, illinc parti clam ſuggerere arma
Aduerſæ, & vinci proditione ſua.
Opportuna dolo hinc, & neſcia pectora fuci
In naſſam tectis pellicere inſidijs;
Circumſcribere pupillos; lare, cenſibus, agris
Et fundis dominos deſpoliare ſuis.
Quid? plagam an nobis grauiorem immittere poſſet
Si (quod fata vetant) victor abiret Iber?
Ille quidem ſine fine nocens, verum hoſtis apertus,
Et de quo poſſis dicere iure, Caue.
At veſtra metuenda magis diſcrimina pugna,
Quorum læua ignem, dextera portat aquam,
Cur igitur quæ vos patrocinia appellans,
Non latrocinia hæc fas vocitare mihi?

EQVES. Et illud quoque recens in quendam Ollum cauſidicum:

Quamuis illa mihi forenſis eſſet
Pridem perfidia vſq; & vſq; nota,
Nec donis ego, nec pecuniarum
Peperci cumulo, vt mihi innocenti
Præſto iudicis ad tribunal eſſes.
At tu muneribus meis receptis,
Me, nec id ſemel, Olle perdidiſti.
Sane eſt integer & bonus patronus,
Spem qui fallere non velit clientis.

Hinc illud Poëtæ cuiuſdam Galli in Fori mancipia.

Cum ſit hoc proprium fere poëtis
Rebus omnibus vt peculiarem
Diuum conſtituant, ſuumque numen:
Cur lucrum, forum & elocutionem,
Vni Mercurio tamen ſacrarunt?
Priſci ſcilicet hoc modo indicarunt,
Futurum, vt rabioſa quiſquis arma
Tractaret fori, haberet ille curam
Lucri non minus ac elocutionis.

SENEX. Huc quadrat hiſtoria de arbitro, in cuius domo porcus oleum effudit. Quidam arbiter inter duos litigantes datus accepit ab vno vrceum olei: ea ſpe pollicitatione vt pro ſe iudex ſententiã ferret. Hoc ſentiens alter, porcum pinguẽ miſit iudici, rogans vt ſibi faueret. Tulit ille ſententiam pro porco. Quod ſentiens alter, cum & fidem datam & oleum miſſum apud iudicem quereretur. Porcus, inquit, quidam domum venit, & inuento oleo vas effregit atque oleum diſſipauit, adeo vt tui fuerim oblitus. Optima venalis reſponſio. *Inhiatores priuati commodi.*

EQVES. Lucrum in arca, damnum in conſcientia, quod vſque adeo aucupantur, vt ſpe nummaria quan-

quandoque fruſtrati ſeipſos ſæpenumero affligant. Nota eſt hiſtoria de Iuriſconſulto Neapolitano. Is nudatis vertebris lignea pala grauiter ſe ab ancilla verberari iuſſit, pœna, ni obtemperaſſet, ancillæ propoſita, quia oblatam ſibi à cliente pecuniam, quod argentea eſſet, repudiauerat, pro qua mutanda, cum à ſe clientem acerbius obiurgatum dimiſiſſet, ille indigne id ferens, ſtatim cum aduerſario pactus liti ceſſit, neque ad aduocatum rediјt.

SENEX. Iſtiuſmodi nimirum ſanguiſugæ pernicioſi admodum ſunt litium propagatores. Ac ſane de ſtatu iudiciorum Germaniæ omnes tam nobiles quam ignobiles paſſim conqueruntur, quod nimia ſit litium diuturnitas, & ſumptuoſa nimis iuris impetratio, vt interdum præſtet rem emiſſe, quam in iudicio obtinuiſſe. Exhauriuntur litigantium loculi, exacerbantur litigantium animi, multiplicantur in omnibus tribunalibus lites in immenſum. Quibus rebus cauſatur omnis diſciplinæ diſſolutio, ſumma animorum diffidentia, iuris iuſtitiæque interitus & Rerumpubl. mutatio.

IVVENIS. Feliciorem Circulator quidam atque Impoſtor ſuperioribus annis ſortitus eſt conditionem. Is in Valeria Germaniæ, quæ hodie Styria appellatur, oppido Leubn, non longe à ferrifodinis, calchomiam, & alia quædam id genus præſtigia ſcire ſe exacte iactitabat, quæ res in cauſa erat, vt quotidie ditiorum hominum conuentus ad eum fierent, quos ille crebro poſcebat mutuum, prætexens rem arduam diutina egere mora, magniſque impendijs, quo felicius abſolueretur. Proinde cum multi in diem ſtipulati fuiſſent pecuniam, & euentus oſtenderet plane eluſos eſſe, qui fidem nebulonis, quæ nulla foret, ſecuti fuiſſent, in ius ab vno & item altero creditore debitor trahitur. Idque cum reſcirent alij creditores, breui ingens æs alienum emerſit. Verum dum homo vanus non eſſet ſoluendo, & actores Iudicem clamore ingenti premerent, vti ius diceret. Iudex reo copiam fecit cauſam defendendi, aut vtendi Aduocatorum opera. Itaque intuitus ille vnum ex patricijs, impenſe obſecrat, ne grauetur Aduocati partes obire. Qui etſi multum reluctaretur, tamen aſtantium precibus victus patrocinium pollicetur, & clam à Reo ſciſcitatur, num cupiat à creditorum omnium impetitione vna Iudicis ſententia liberari? Atque illo reſpondente; nihil ita ſe cupere ex animo, quam ſi iſthuc effici poſſit.

At patricius, æquo ſis animo, inquit: ego tibi extemplo hoc effe-

effectum reddam, productoque in concilium impoſtore, quem diu intus & in cute nouerat, ſecreta quoque ſigna quædam, quæ in corpore ob malefacta geſtabat, probe cognita habebat, his verbis Iudices compellauit: Auditum eſt iam ſatis ſuperque Iudices, quanta importunitate aduerſarij res creditas ab hoc miſello, quem conſtat non eſſe ſoluendo, repetant. Et recte habet, reſtituere omnia debet, niſi apertis documentis monſtrauero, illos magis accuſare debuiſſe ſuam dementiam, quam huius ſycophantæ fidem, cuius ne vllum quidem extat vſpiam argumentum. Porro impoſturæ & vanitatis complura, atque ea in conſpicua poſita liceat breui indicare. Naſus huic nebuloni ob malefacta detruncatus erat, vnde argentum, vt videtis, veri loco habet: caret auriculis, inuſtæ maxillæ; ſurarum nerui ferro abſciſſi apparent; quæ omnia probe admonuiſſe poterant virum cordatum, vt nihil perfido fideret. Itaque iudices ſi quod iuſtum eſt, ſequi ſtatuiſtis, actores ſtultitiæ pœnis deſtinate, quo poſthac cautius diſcat mercari, & vel Catoniani huius verbi meminerint, quo monet: Mutuum quidem dandum, ſed cui des, ſedulo videndum. Proinde hic qui ſoluendo non eſt, quando fruſtra ad pendendum quod non habet condemnatur, æquius puta veſtra benignitate abſoluetur, & ſic obtinuit.

EQVES. Laudo hunc Proceſſum, quippe qui de plano & ſimplici, ex æquo & iuſto, in quo nemini fit iniuria, modo ne quis in ſeipſum ſit iniurius, inchoatur atque etiam cito terminatur.

Tigurinorũ proceſſus in decidendis ſubito controuerſiis.

SENEX. Eſt hic prope Tigurinorum proceſſus, quamuis in rebus ipſis ingens ſit diſcrepantia. Ac ſane inter cætera Tigurinorum inuenta atque inſtituta, nihil fere eſt præclarius, quam quod lites non in multos annos extrahi patiuntur, ſed paucorum eas dierum interuallo finiunt, dantque omnino operam, quo quiſque & quam commodiſſime, & quam celerrime ſuum ad ius perueniat. Neque enim litigatori vltra bazionem cauſſidico ſuo numerare licet: neque huic amplius quid ab illo vel poſcere vel accipere, neque litem vltra quatriduum protrahere.

In priuatis eadem ratio eſt ſententiæ rogandæ & ſuffragij ferendi: ſed hi, qui cauſas habent, quas coram ſenatu agant, primum à Tigurini pagi legato petunt ſibi ſenatum dari, is diem illis conſtituit, ac nomina eorum in albo curiæ annotat. Cæterum vbi coram Senatu cauſæ agendæ ſunt, alij quidem ipſi cauſas ſuas agunt, alij cauſidicis vtuntur, quos vel domo ſecum adducunt, vel e præſenti copia vnum deligunt. Nam quoties ſenatus habetur, complures cauſidici ex proximis pagis & oppidis ſtipendiarijs

Heluetiorum illuc confluunt. Diſceptantur autem ab his cauſæ non ex Romano iure, & reſponſis Iureconſultorum, ſed ex æquo & bono, & legibus atque conſuetudinibus ſingulorum populorum. Scio hanc agendi rationem barbaram à multis iudicari, qui exiſtimant tantum iure ſcripto Romanorum vtendum eſſe, ſiue quo in grauium & obſcurarum controuerſiarum explicatione, ſæpe homines etiam prudentes à vero & iuſto aberrent. Ego vero Romanas leges à prudentiſſimis viris conſcriptas maximi facio, neq; earum auctoritatem vel verbulo labefactatã velim: ſed controuerſiarum diſceptationi, quæ hodie in vſu eſt, & iudiciis illis noſtri temporis, in quibus ex iure ciuili Romano ius dicitur, noſtram agendi & diiudicandi rationem anteponendam dico, & id iudicio bonorum & non litigioſorum hominum me probaturum confido.

Primum enim negari non poteſt, pleroſque cauſſidicorum, non tam Iuſtitiæ & æquitatis, quam iuris ſtudioſos, qui ſingula verba & ſyllabas legum venantur, & ſuo arbitratu exponunt, captiunculas aliquas ſimplicibus ſtruere. Deinde cuncta fere ab his ad priuatum commodum referuntur, vnde non explicandis, ſed inuoluendis & obſcurandis controuerſiis operam dant. Ita fit, vt lites in multos annos extrahantur, & ſæpe etiam ad nepotes tranſmittantur: ſumma cum moleſtia vtriuſque partis, & immenſo ſumptu, quo nonnunquam integra patrimonia exhauriuntur. Vnde non immerito quidam pragmaticos hos & cauſſidicos ſanguiſugas & hirudines appellare ſolent: qui opes vulgi & ipſum etiam ſanguiné exſugant. Quod ſi Tigurinorum iudicijs nonnunquam error aliquis committitur in cauſis implicatis & obſcuris, quæ tamen rarius occurrunt, nequaquam tamen tantum damni inde datur, quantum ex litium diuturna illa propagatione accipitur. Neque tantum Tigurinorum agendi ratione ſumptus minuuntur, & parcitur populo, ſed longe minor eſt litium & controuerſiarum numerus, dum ſententia cito lata controuerſia tollitur, & litigantes rurſus in gratiã redeunt: cum alibi contra videamus, lites quotidie nouas oriri, & vna nondum deciſa plures ſuccreſcere.

IVVENIS. Proceſſus quam de ſimplici & plano paulo prius indigetabas, in memoriã mihi reuocat ridiculam cuiuſdam ſimpliciſtæ demonſtrationem quam intendebat, ocularem. Erat in quodam oppidulo adoleſcens fatuus, cuius hortum ædibus contiguum vicini porcus quotidie per rimam ſepis intrabat, & terram roſtro inuertebat. Cũ puer ſæpe illum repuliſſet, nec tamen porcus ceſſaret redire, ſtatuit tãdem venientem excipere inſidijs.

Fatui ſuem obtruncãtis demõſtratio

Itaq; ſparo ingenti armatus rimam obſidet, & ſuem ingredientem vno ictu occidit. Accuſatus a vicino damni illati, & pertractus in forum, vt cauſam diceret, nihil reſpondet Actori, præter quædam ridicula, & fatuo homine digna. Sed iudex cum nihil poſſet decernere, rem detulit ad loci iſtius Regulum. Is ſtatim ad ſe vocat Adoleſcẽtem, iubetq; rem, vti geſta eſſet, narrare ordine. Bene, inquit ille, ego narrabo, & ad oculum demonſtrabo: Præfatus hæc, accedit ad mẽſam, cui aſſidebat Regulus, & manu menſæ impoſita, digitiq; diuaricatis: Vide, inquit, & imaginare tibi, hanc eſſe ſepẽ horti mei, ita vt ſunt hi digiti, hoc vero interſtitium eſſe rimam ſepis, per quam ſus irrupit: Nunc te porcum eſſe, qui velit irruere: iam vero hic adſtem cum ſparo, eumque roſtro tuo ſuillo impingam, & vno ictu te occidam. Quid ergo? an æquum ſit, vt ego pro te tanquam bono & frugi ſatisfaciam? Id vero faxit Diabolꝰ.

EQVES. Recte is quidem & probe ſuæ ipſius cauſæ egit procuratorem, propterea etiam in cauſa haud ſuccubuit; id quod tamen quorundam procuratorum propemodum eſt proprium in quarto modo. E quo numero olim inter alios fuit Henricus quidam de monte leone cauſarum procurator in curia Romana, ſenex admodum & parum in ea facultate ſcitus. Vnde *meſſer perde el piato* vulgari verbo appellabatur, id eſt, *Dominus perdens lites.* Cum ſemel ab eo poſtularetur, cur in ſingulis ſemper cauſis ſuccumberet? Quoniam nullus, inquit, niſi iniuſtitiam petens litigaturus patrocinium meum petit, vt neceſſe ſit me ſemper eſſe in cauſa iniqua inferiorem.

IVVENIS. Faceta iſthæc fuit hominis imperiti reſponſio. At annon licet in rebus huiuſmodi friuolis ac frigidis interdum mentiri?

Mentiri an liceat reip. cauſa.

EQVES. Reipublicæ quidem regiſque gratia ſane aliquando ridere licet. Etſi namque colenda ſemper ſit veritas, poterit tamen tanta interdum vis eſſe tum rerum, tum temporum, vt ea prorſus ſit obticenda. Eſto militaris lex, quæ iubeat nobilem de hoſte captam proſtituere, nuptam vero marito reddi intactam, contingatque aliquẽm capi à populatoribus cum ſorore, quæ ignoretur ſoror eſſe. Interrogatus ille, an quæ ſecum abacta eſt, nupta ſit, nimirum nuptam eſſe reſpondebit. Quis enim non duxerit præſtare, mendacio vti, honeſtiſſimæ rei cauſa, quam videre ſororem virginem ingenuam, inter ſcorta quæſtum agentem? cũ ſapientis ſit, è duobus obiectis malis, minus ſemper eligere. Licitum ergo fuerit reipub. regiſque qui patriæ pater eſt, gratia, aliquando & mentiri, quanquam qui pro loco ac tempore, & cum cõſilio verum obticet,

ticet, præſertim vbi de regis ac regni, patriæque ſalute agitur, non videtur is quidem mentiri: aut ſi mẽdacio vtitur, non ſtatim mendax videtur, cum prudentis hoc ſit, & vtilitatẽ neceſſitatemq; cum vero, falſoq; pẽſitantis. At mendacitas ingenij eſt omnino vani, nugacis, futilis. Quidſi coactus neruo, funeue torqueatur? Violentum hoc eſt, quanquam vt eſt apud Tragicum:

Cogi qui poteſt, neſcit mori.

Et qui in hoſtium caſtra vehementer exploratot tranſiit, quod militaris iubet diſciplina, patefaciet ne hic rem, ſi ab eo quæſitum ſit, vt indicio ipſe ſuo pereat? Qui ſi ſe indicet, ne mihi verax is fuerit, ſed ſtultus, incautus, ac ſuus ipſius parricida, & Imperatoris conſiliorum, ac fidei proditor. Non omnis tamen neceſſitas tantum in bonis viris habere iuris debet, vt aut apud quoſque, aut quocunque in periculo, aut quauis de cauſa mentiendum ſit. Medici vel iureiurando adacti ab ijs, de quorum ſalute ſoliciti ſunt, bonam eis ſpem pollicentur, ac tametſi grauior, diuturniorque valetudo appareat, iam valeturos promittunt. Contra, quamuis leuior morbus fuerit, tamen ſi viderint operam ſuam ab ægroto negligi, nec admitti curationem, periculoſas acceſſiones & dolores grauiſſimos ementiuntur. Quod quidem tantum abeſt à mendacio, vt virtus hæc ſit & laus medici, quem non modo peritum eſſe oportet, verum etiam prudentem, Ad hæc veritas ipſa non adeo nuda ſemper incedit, quod Poëtis placet, vt non aliquando ſeſe ipſa veſtiat. Quod & Abraham & ſacræ docent hiſtoriæ. Quinetiam nunc ſimulare, nunc diſſimulare prudentis eſt, vt in rebus dubijs atque aduerſis & vbi fortuna variat. Sed hæc in cauſis forenſibus locum non habent, quippe in quibus iuramenta reſpondendorum ſuper rei veritate dicenda, expreſſe præſtantur.

IVVENIS. Vide ne aduerſum te intentetur actio interdicti, quæ eſt inhibitio & retentio rerum vel perſonarum, ne moueantur de loco ad locum, quoad certum quid fiat. *Thilman. Beningn. in Apoſpaſm. Syntag. 4. deciſion. Camer. voto 2. deciſio. 2. numer. 58. fol. 64.*

EQVES. Sed tu identidem vide, ne Froſcheliana quædam aduerſus ſe intentetur illuſio. Hiſtoriam ſi non noſti, breuibus tibi exponam. A doctis exploratæque fidei hominibus accepi fuiſſe in celebri quadam Academia, in cætu ſcholaſtico Iuris quendam Doctorem, qui quidem Froſchelij Theologi cuiuſdam filiam natu minimam afflictim deperierit, vxoremque ducere omnibus modis exoptauerit. Quid vero obſtiterit, quo minus voto illi hoc ſuo potiri haud licuerit, equidem di-

cere nō habeo. Fieri vtiq; poteſt, vt Froſchelius aliquid in ipſius vel perſona, vel fortuna, vel moribus, vel eruditione denique deſiderauerit, fortaſſe religio quoq; ipſi fuit, cum homine Iureconſulto contrahere affinitatem, eiq; filiam in matrimonium collocare. Non eſt enim inuenire Theologos nullos, qui Iuriſperitos plane auerſantur, atq; adeo cane peius & angue oderunt, nulla alia quidem de cauſa, niſi quod Iure ſint Conſulti. Cæterum ne *Doctor* ille voti ſui non compos euaderet, Froſchelium veluti patrem alterum obſeruabat. Etenim conciones ipſius tum matutinas, tum meridianas, tum veſpertinas frequentabat, & cum fere quotidie inuiſebat, non ſolum illius filiam, ſed & ipſum illum munuſculis idētidem ornabat, & nihil denique eorum prætermittebat quicquam, quo quidem Froſchelium ſe demereri & deuincire ſibi poſſe arbitrabatur & confidebat. At vero omnia hæc boni Doctoris officia in nihilum prorſus occidebant, quod Froſchelio in animo non eſſet gnatam ipſi ſuam nuptum dare, licet eam amantiſſimam ipſius eſſe, & nubere ei percupere non ignoraret. Vt ergo Doctori tandem aliquando oſtenderet planumq; faceret, quomodo affect⁹ erga ipſum animatuſque eſſet, ecce tibi illum iam ſecum prorſum ſic alloquitur: Quin animi cauſa rus vna concedimus, & exſpatiamur. Gener non

Iuriſconſultus à Theologo ſalſe deluſus.

re, ſed ſpe Froſchelio mox morem gerit. Is per eam vrbis partem illum ducit, qua ad locum ſupplicij itur. Quum autem non ita procul inde iam abeſſent, ecce tibi corui mirum in modum crocitant, ita quidem vt garritu eos ſuo ipſorum aduentui certatim gratulari diceres. Itaque Doctor in hæc verba prorupit: Deus bone, quantus hic eſt coruorum crocitus, quantus ſtrepitus! Huic Froſchelius hanc in rationem reſpondet: Per me nouerunt auiculæ iſtæ, ac meo nunc aduentu conſpectuque lætantur, quippe haud ignaræ, me non parum quidem ſæpe ipſis aliquem adducere, quo quidem paſcantur & veſcantur, ideoque in ſpem veniunt, te quoque ſibi adductum à me nunc iri, quem deglubant ac deuorent.

IVVENIS. Conueniebat viro Theologo, magis eſſe moderatum. Sed vicit affectus. Interim & hoc mihi conſtat, Doctorem illum iuris, hominem naris minime obeſæ cum ſatis intelligeret, fruſtra ſe Froſchelij filiam amare & ambire, ex Academia iſthac poſtridie ſtatim diſceſſiſſe, in patriamq; ſe retuliſſe, Froſchelio ipſiuſq; filia in æternum valere iuſſis.

EQVES. Vtrinque ergo, rebus ſic ſtantibus ſuſque deque tulerunt. Interim artem quam diximus Aduocatoriam, apud plurimos male audire, non eſt diffitendum.

Cer-

Certe Cornelius Agrippa *in Tract. de vanitate Scientiarum, cap. 93.* non admodum honorifice de ea ſentit: Ars, inquit, Aduocatoria, vetuſtiſſima illa quidem, at fraudulentiſſima, & ſuaſorio cooperimento ſubdole adornata. Quæ non eſt alia, quam ſcire iudicem perſuaſione demulcere, & ad omne arbitrium vti, ſcire iuribus, vel inuentis gloſſis, ac commentis, leges quaſcunque pro libidine fingere & refingere, vel iniquis quibuſq; diuerticulis illas ſubterfugere, aut fraudulentam litem protogare. Sic citare leges, vt peruertatur æquitas, ſic gloſſarorum adſtruere authoritatem, vt ſubuertatur ſenſus legis, menſque legiſlatoris, in hac arte plurimum momẽti habet altum vociferari, audacemque, & in litigãdo clamoſum & improbum eſſe. Iſque habetur aduocatorum optimus, qui plures allicit ad litigandum, & promiſſa ſpe vincendæ litis in iudicium impellit, ſtimulatque impiis conſiliis qui venatur appellationes, quiq; eſt egregius rabula, ac iurgiorum author, qui garrulitate, ac linguę viribus nihil non poſſit clamare: ſed & quamuis cauſam altera iudiciorum præſtigiis præferre, ac vera, & iuſta iſto modo dubia, & iniqua facere, iuſtitiamque ipſam ſuiſmet armis profligare, peruertere, proſternere, apud quos Iuſtitia nihil eſt, niſi publica merces: at iudex in cauſa qui ſedet, empta probat. Sed & ea etiam, quæ non ſunt rerum, ſcilicet, priuationes & ſilentia, precio exponunt, nam vt nullus eorum loquitur, niſi ad mercedem, ita nec tacet, niſi ad præmium, exemplo puto Demoſthenis, qui cum Ariſtodemum fabularum authorẽ interrogaſſet, quantum mercedis, vt ageret, accepiſſet, & reſponderet ei, talentum: At ergo, inquit Demoſthenes, plus accepi, vt tacerem. Cauſidicorum ſiquidem lingua, tã damnifica eſt: vt niſi vinciatur muneribus, fieri non poteſt, vt non noceat. Hactenus Cornelius Agrippa.

SENEX. Hæc aliquanto modeſtius dici á Cornelio Agrippa debuerant. Sed defenſio eſto penes authorem. Interim conſcientioſos Aduocatos quod attinet, in hanc claſſem minime ſunt referendi. Illi namq; proceſſus iudiciarij ſicut habent exactam cognitionem, ita etiã eiuſdem ſunt obſeruantiſſimi; cuius quidem adeo ſtrictæ obſeruantiæ ipſum Deum autorem habent. Probe ſiquidẽ norunt homines ad Dei omnipotentis imaginem conditos, & ab eo pclaro rationis vſu & prudentia ornatos eſſe, præcipuumque eorum munus eſſe, honeſtè inter ſe viuere, ſuumque alterum alteri tribuere: & hoc quidem ob ſingulare Dei præceptum, & Magiſtratus quoquẽ politici ſacratiſſimas ſanctiones, cui, ſi quis reſiſtere velit, pacemq; publicam turbare, is atro- *Aduocatoriæ artis defenſio ab ipſius Dei exemplo.*

cibus adeo pœnis eſt afficiendus, vt pœna vnius ſit metus alterius, piiſq; condigna merces, impiis vero pęna tribuatur. Hæc ſcilicet eſt voluntas Dei, ſacris Bibliorum Codicibꝰ cõprehẽſa, ſingulariq; miſericordia & clementia Dei, (vtpote cuſtodis, & conſeruatoris iuſtitiæ, iuriſq;) variis caſibus eſt expoſita in Pontificũ canonibus, & Imperatorum ſanctionibus, quæ vulgo iura canonica, & ciuilia appellitare ſolemus. Hoc vero ius ab Imperatore Iuſtiniano, eiuſq; Conſiliariis, viris doctiſſimis, maximis exantlatis laboribus, præclaro corpori, (iuris,) incluſum, omnium vſui patet. Huius præclariſſimi theſauri, nõ exigua, verum potiſſima pars eſt, Proceſſus Iudiciariꝰ, qui nõ ſolum ex humano, ſed etiam diuino iure ortum trahit: Quam primum enim Deus Omnipotens hominem condidiſſet, Citationis ius oriebatur, neminem ſcilicet inauditum, & incognita cauſa condemnãdum: Cum Deus Adamum, primũ legis tranſgreſſorem in ius vocaret, dicens, Adam vbi es? hanc ſequitur comparitio rei, dicẽtis, Domine, audiui vocem tuam in Paradyſo, & timui. Citatus enim iudicem reuereri, & coram eo in iudicio comparere tenetur. Sequitur Libellus, ſiue accuſatio ipſa, Comediſti de fructibus, de quibus dixi tibi, Non comedes, &c. Hinc oriũtur exceptiones, & cõteſtatio litis affirmatiua: Vxor, quam dediſti mihi, dedit mihi, & comedi. Et propriæ reorum cõfeſſiones, diſputatiões variæ, & exceptiones, cum quiſque ſuam demõſtrare innocentiam, & culpam in alterum transferre conatur, quæ quidem exceptiones omnibus liberæ relinquũtur: ſerpẽs vero nihil reſpõdet, Euidentia enim facti ei obſtat, & in manifeſto crimine deprehenditur. Et quidem paria hîc ſunt, nõ reſpõdere, & ineptè reſpondere. Tandem à iudice Deo fertur ſententia diffinitiua condemnatoria, prout huius proceſſus mentio fit in *c. principium, de pœn. diſtinct. 2. & c. ſerpens. de pœn. diſtinct. 1.*

Idem etiam proceſſus iudiciarius cum Cain fratricida inſtituitur. *c. eod. ſerp. de pœn. diſtinct. 1.* Et legis per Moyſen datæ, *c. vni de puri. poſt par. & c. Moyſes diſt. 7. & c. libenter, de pœn. diſt. 1.* ex quibus locis iudiciarij proceſſus, exceptiones, & probationes oriũtur, vt cùm dicitur: In ore duorum, vel trium, &c. *num. 35. verſ 30. Deut. 17. 6 & 19 15. Matth. 18. 10. Ioan. 8. 17. 2. Cor. 13. 1 Heb. 10. 28. c. nouit. de iud. c. licet, de teſt. l. iuriſiurandi. § ſimili modo. C. eod. l. 1. § idem Cornelio. & l. Martius. ff de quæſtion.*

Cum igitur Proceſſus & iudicia ex diuino adeo iure oriantur, decet omninò, homines inter ſeſe honeſtè, & iuxta legum præſcriptum viuere, vbi enim nullus ordo, ibi perpetua confuſio.

EQVES. At vero nonnulli obtendunt hoc proceſſu & ſtrepitu iudicio-

diciorũ, in humana & cõmuni vita, opus non eſſe, cauſas & controuerſias, etiã abſq; iis determinari & facilius, & certius poſſe. Iudiciorum enim & proceſſuum vſum eam ſolam ob cauſam adinuentum, quo Procuratores & Aduocati lucrum maius facerent.

SINEX. Aſt hi grauiter hallucinantur, ex ſupina quadam ignorãtia, qua laborant. Nullus enim in ꝓceſſu iudiciario terminus ſuperfluꝰ reperiri poteſt, ſed omnia ac ſingula eo prudentiſſime accommodata, quo vnicuique ſuum tribuatur, adminiſtretur iuſtitia, & veritas euidentius innoteſcat.

EQVES. Interim magnæ vbiuis audiuntur querimoniæ non tam ſuper male adminiſtrata iuſtitia, quam etiam ſuper proceſsibus inordinatis. Sane genuina illa iuris ſanctimonia olim veteribus Iurecõſultis, ſummę ſemper fuit curæ, Coruncano, Sexto, Papirio, Appio Claudio, Sempronio, Scipioni, Naſicæ (cui publicam domum in ſacra via tribuerunt, quo facilius conſuli poſſet) Q. Fabio, Sex. Ælio, P. Attilio, Catoni, Bruto, Mutio, Craſſo, Sulpitio, Gallo, Aquilio, Caio Labeoni, Trebatio, Vlpiano, Modeſtino, Paulo, Papiano, Proculo, Celſo, Pomponio, Marcello, & aliis pluribus, qui non ſolum ex peritia iuris, ſed multo magis ſumma iuſtitia, æquitate, vitæ honeſtate, ac Reipublicæ adminiſtratione, viui ad ampliſsimos ſummi ſplendoris, maximæque dignitatis gradus aſcenderũt: & mortui ad immortalem perpetuamque totius poſteritatis memoriam fuerunt conſecrati.

Querimonia contra Iuriſperitos.

At ab horum hominum innocẽtia (Deus bone) quantum hodie pleriquc abſunt, non ſolum plebeij, ſed etiam maiorum gentium Iuriſconſulti: vt videri pene poſſet antiqua Iuriſprudentia, á noſtri ſeculi luce & conſuetudine longiſſime peregrinari, niſi in paucorum honeſtiſſimis animis retineret. Quotus quiſque enim eſt hodie, qui omnes ſuas rationes ad iuſtum & æquum dirigat, eoque animum ſolũ tanquam ad ſcopum intendat? neque aut pecunia, aut alio quæſtu, à recta conſcientia tranſuerſum vnguem diſcedat?

Sed contrà quot in aulis principum ſunt, qui ſub Iuriſconſultorum nomine (probos ſemper excipio) non tantum ius peruertunt, & in omnibus ad ſenſum & voluptatem, atque adeo ad nutum dominorum turpiſſimè aſſentantur: ſed etiam non dubitant, omnia in reliquo vitæ curſu veteratoriè ſimulare, interdumq; fatui aut bardi perſonam ſuſcipere, & quaſi heſterni conuiuij nondum exhalaſſent crapulam, omnia ioculatoriè & ſcurriliter ludere, vt principum gratiam captent: qui ſeſe in principum menſas & ſeruitutes dediderunt, non vt ius interpretentur, aut ſeruandi iuris ſint, princi-

principibus authores, ſed vt res iniuſtas verborum pigmentis & turpibus inuolucris conueſtiant, & commentitiis præſtigiis inobſcurent veritatem, neque ad iuſtitiam & æquitatem, verum ad lites, dolos, fraudes, & iuris cauillationes Principibus aditum patefaciant, aperiantque viam.

Deinde extra aulas, quanta eſt eorum vbertas, qui linguas quaſi flabella controuerſiarum vendunt, & ne fame emoriantur, ipſi lites ſerunt, & pecuniam magis quam ius reſpiciunt: item qui planè (vt apud Græcos olim cauſidici declamatores) non pro æquitate, ſed commodo atque lucro iuris tractationem exercent, & ad illiberalem turpemque quæſtum affixi, ius in iniuriam, æquitatem in prædam commutant: & veterum iuſtas probataſque ſententias petulanter conuellunt.

Scitum eſt illud Catonis, qui mirari ſe aiebat, quod non ridet auruſpex, quoties aruſpicem videret: exiſtimans, id genus diuinationes nihil aliud, quam meram eſſe impoſturam & vanitatem: quod idem hodie in quoſdam Iuris titulum circumferentes non abſurde, teſte IC. Fr. Duareno, dici poſſet: qui ſingulari artificio, planiſſimas atque explicatas cauſas mirabilibus tenebris & dubitationibus inuoluunt, & vnius ſimplicis atque expediti negotij tractationem, conquiſitis verborum & rerum fucis, ſupra hominum memoriã, in longiſſima multorum annorum interualla producunt. Ex quo quidem ipſi plurimũ colligunt lucri: verum miſeri clientes fortunis opibuſque omnibus diſpoliantur: quas illi in conuiuia & comeſſationes, in quibus ſymphonia canit, & maximis poculis miniſtratur, veſtes, & vitæ huius ſplendorem atque luxuriam impẽdunt: dum aliàs, vt eſt in veteri prouerbio. *Curios ſimulant, & bacchanali viuunt.*

Quod tanto nobis maiorem doloris ſenſum afferre debet: quod videntes, iſtorum hominum improbitatem & culpam reliquis etiã honeſtis viris nonnunquam imputari, totiuſque artis authoritatem dedecorari, & proſcindi maximis verborum contumeliis omnes artis cultores: & planè in hoc idem vſu venire quod Poëta quæritur.

Ἐν δ' ἴσῃ τιμῇ ἠμὲν ἐσθλὸς ἠδὲ καὶ κακός.

Sic enim vulgus ſolet, vt omnes vnius rei atque artis ſectatores ex paucorum ſceleribus exiſtimet, neque aut prauos ab improbis diſcriminet, aut artem à magiſtrorum vitiis abiungat.

IVVENIS. Etſi res ita habet, tamen me ab officij mei curſu aliorum improbitas dimouere non debet, quin ampliſſimos honores, tributos arti noſtræ, honeſtiſſimo totius vetuſtatis iudicio, ſummaque dili-

diligentia conſeruabo: neque peritiæ tantum, ſed actæ & honeſtè & laudabiliter vitæ exempla de veteribus Iuriſconſultis imitatione in me transferam.

Senex. Rectè dicis, ab officij tui curſu, aliorum improbitatem te non debere dimouere, modo id etiam ab omnibus debito modo obſeruetur, nec alienis reb⁹, quæ ipſorum non intereſt, temere ſeſe ſæpe numero in ſuam ſimul& aliorũ perniciem immiſcerent, ne fruſtra tandem ingemiſcere, ad exemplum infelicis cuiuſdam alienarum rerum aucupatoris cogantur:

Diſce meo exemplo, mandato munere fungi,
Et fuge ceu peſtem τὴν πολυπραγμοσύνην.

Audite deſuper grauiſſimã, Theologi cuiuſdam Iohannis Matthæi ad Iuriſconſultos cõmonefactionem: Vos inquit, Iuriſperitos & Iuriſcõſultos alloquor, qui res Theologicas præter vocationem veſtram, ad veſtras conſultationes trahitis, & Theologicis ſeruis Chriſti, ac ſi ſerui veſtri eſſent, præſcribere non verecundamini, quid cõcionibus publicis & ſcriptis reprehendere, & quid approbare debeant: qui talia conſilia agitatis, & Principibus viris inculcatis, per quæ Caluiniſmo omnes valuæ, & feneſtræ aperiuntur: ſi modo vobis conſultoribus obedirent: vos, inquam, alloquor & fideliter hortor, vt exempla illorum, qui ante vos fuerunt, & ſimilia conati ſunt, conſiderare velitis.

Contra Iuriſconſultos qui Theologica pro arbitrio diſponere præſumunt.

Notum enim vobis eſt, quomodo Deus Iuriſperitos quoſdam & politicos, reb⁹ Theologicis ſe ingerentes & immiſcentes, tanquam ἀλλοτριοεπισκόπους, alienarum rerũ inſpectores, *1. Petri 4.* horribilibus pœnis affecerit. Deus, qui ordinis, non confuſionis Deus eſt, non vult politica à Theologicis tractari, nec Theologica à Iuriſperitis. Nota ſũt exempla recentia illorum Theologorum, qui ſeipſos rebus politicis intruſerunt: vel paſſi ſunt, res politicas ſibi imponi, quam tragicè perierint. Nota ſunt exempla recentia Iuriſperitorum ſapientiſſimorum, qui peſſum iuerunt, ob res Theologicas, quibus ſeſe implicuerant.

Anne exiſtimatis, vos prudẽtiores eſſe anteceſſoribus veſtris, quorum prudentiam Deus tam horribiliter confudit & euertit? Conſulti à dominis veſtris de rebus Theologicis, remittite eos ad Theologos, quorũ officium diuinit⁹ ipſis traditum eſt, vt de reb⁹ Theologicis reſpondeant. Vobis hoc munus nõ eſt datũ, vt ipſi ſcitis. Si hortationi huic obtemperaueritis, bene vobis erit, & res veſtræ proſperabũtur: ſin vero eam ſpreueritis (ad quod fortaſſis faſtus veſter vos inſtigabit) ante fores pœna veſtra iam præſto eſt, & vos in medio conſiliorum veſtrorũ curriculo opprimet, ac perdet. *Haƈtenus Iohannes Matthæi.*

IVVENIS. Poſſem & ego deſuper conqueri quam grauiſſime, ſed differam eouſq; dum de ipſis Principum cõſiliariis nobis dicendi dabitur occaſio. Nam & is ipſe ſum, qui ſummopere improbo, quãdo audio viros Principes in legum conſultos omnia reiicere negotia. De ciuilib⁹ dũtaxat iam loquar negociis. Malè, inquam, tũc agitur cum ciuib⁹ quorum cauſa Principes ipſi ſunt ſummum ad faſtigiũ euecti, cum tot cẽſus, tot honores, ac dona Regibus tribuantur, vt ipſi iudicãdi onus ſibi aſſumant. Quamuis n. operæ pretiũ ſit conſulere peritos legum, & alios prudẽtes ſapiẽteſq; viros: relinquere tamen totum munus legum tantúmodo peritis, nihil aliud eſt, quã transferre iuſtitiam viuam ad ius quoddam ſtupidum aut inanimatũ. Non enim legib⁹ omnia quæ ad iuſtitiam pertinent, declarãtur: ſed ea tantummodo, quę ſpectant ad legalem iuſtitiã. Nam iuſtitia diuiditur in legitimam, & in eam quę per partes exercetur, hæ verò tametſi nomine & aliqua ratione cõueniunt, cum vtraque dicatur ad alium: tamen differunt inter ſe, & diuerſo modo ſe habent: quoniã legitima iuſtitia circa ea verſatur, circa quæ verſantur boni atq; officioſi viri; ea vero quæ per partes exercetur circa hunc vel illum hominem verſatur.

Iuriſconſultorum arbitrio non omnia committenda.

SENEX. Laudandus itaque videtur Alexander ille ab Alexandro IC. Neapolitanus excellentiſſimus, qui ob Iureconſultorum quorundã exceſſus inſignes, eoſque vt plurimum affectatos, relictis legũ & cauſarum ſtudiis, ad hiſtorias & alia ſeſe cõuertit, vt apud eum *in lib. 6. cap. 7. dierum Genialium.* videre eſt. Et notanda eſt apud eundem Alexandrũ ab Alexandro, *lib. 5. cap. 14.* inſignis querimonia Hieronymi Porcarij, qualiter nimirum & quibus modis ab iniquis iudicibus & Iureconſultis litigantes iniquiſſimè fruſtrẽtur & deludantur.

EQVES. Nimirum animaduerterunt, totam Iuriſprudentiæ doctrinam occupatam eſſe in cognoſcendis rixis & contentionibus litigantium, quod certe eſt moleſtiſſimum bonis mentibus. Proinde vt rixæ, ſic doctrina Iuriconſultorum fugienda videtur.

IVVENIS. Imo in ipſa Iuriſconſultorum doctrinæ cognitione magna eſt dulcedo. Primum eo quia bonæ menti gratiſſimum eſt videre iuſtitiæ formam integre & viuis coloribus expreſſam. Appetenda eſt enim virtutum cognitio, vt ad eam lucem, ſicut nautæ ad ſtellas dirigere conſilia, & flectere animorum motus poſſimus.

SENEX. Ego aliqui gloriosius in veræ illius Iuriſprudentiæ laudem dicam. Deinde vt fuerſa actionum doctrina apte ad Decalogum congruit, & reuera eſt miniſtra Decalogi. Nam Iudex actione admonitus, inter homines

Iuriſprudẽtia vtilitas.

nes executionem addit, & de ſontibus ſupplicia ſumit: quod ipſum voluntatem Dei declarat, & neceſſarium eſt communi tranquillitati. Nam primum iuſtitiæ cauſa vult Deus pœnis affici ſontes, & quaſi ordinis turbationem corrigi, cum delictum pœna compenſat: vultque hæc ipſa exempla præſentium pœnarum ſigna eſſe ſuæ voluntatis & iudicij. Imo illuſtre teſtimonium eſt præſentiæ Dei in politiis, quod nemo periurij, cædis, inceſtarum libidinum pęnas effugere poteſt. Hanc primam cauſam pœnarum, ſcilicet iuſtitiam, comitantur & duæ cauſæ, in quibus vtilitas ſpectatur, videlicet, vt compeſcatur furor, ne freti impunitate homines in rabiem acti plus noceant: & vt alij homines exemplo pœnæ deterriti, frenare malos impetus ſtudeant.

Ac profecto actionum conſideratio vtilis eſt moribus. Omnium enim virtutum, quæ in externa vita neceſſariæ ſunt, doctrina in actionibus comprehenſa eſt. Primæ tabulæ virtutes ſunt, vera Dei agnitio, & vera inuocatio & reuerentia miniſterij Euangelici. Hæ virtutes vt confirmantur, atrociſſimæ accuſationes aduerſus ſcelera, quæ cum eis pugnant, conſtitutæ ſunt, ſcilicet, hæreſeos, perjurij & ſacrilegij. Secundæ tabulæ prima virtus eſt: Fides debita imperiis. Hanc munit accuſatio criminis læſæ maieſtatis, & cætera capita legis Iuliæ de vi publica. Deinde in eodem præcepto continentur mutua officia parentum & natorum. Actiones igitur ſunt, quibus petitio alimentorum & legitimæ ſancitur: & rurſus liberorum ingratitudo certis modis punitur. Nec vllum eſt terribilius genus ſupplicij, quam contra patricidas. Quintum præceptum munitur accuſatione cędis, ſancita in lege Cornelia, & actionibus atrocium iniuriarum, quibus corpora læduntur, aut contumelia afficiũtur. Sextum præceptum munitur lege Iulia de adulterio & aliis legibus, quæ flagitioſas & inceſtas libidines ſeueriſſime puniunt: totamq; de iure coniugiorum doctrinam hæc pars complectitur. Ad ſeptimum præceptum plurimæ pertinent actiones, quæ aduerſus fraudes in contractibus, & omnis generis furta ſapienter traditæ ſunt. Huc tota lex Aquilia, huc actiones ex cõtractibus, & quaſi contractibus, huc petitiones hæreditatum pertinent. Denique, longus eſt catalogus harũ actionum, quibus ſuum cuiq; petere & tenere conceditur. Octauum præceptũ lege Cornelia de crimine falſi munitur. Cumq; Deus exempli cauſa, virtuti honorem haberi & flagitioſos remoueri ex honeſto loco velit, amittendum eſt cuique, vt & Deo virtutem præſtet, & deinde exempli cauſa, honeſtam de ſe opinionem tueatur, nec tantũ ſcel', ſed etiam

iam ſceleris ſuſpicionem vitet. Famæ igitur defenſione aduerſus calumniatores opus eſt. Hanc approbat hoc præceptum Decalogi octauum, & eo referantur actiones iniuriarum, quæ fiunt maledictis, & accuſatio calumniatorum. Ita cum ad Decalogum confers actiones, totius vitę præcepta & omnium neceſſariam virtutum doctrinam in eis comprehendi cernis. Nec tantum iucũda & philoſophica eſt hæc conſideratio, ſed etiam moribus vtilis eſt, preſertim ſi pœnarum ſeueritatem in exemplis imperiorum omnium ætatum conſideres.

Poſtremo ſtudioſis & virtutem amantibus etiam iucundum eſt illorum præſtãtium virorum hiſtorias, id eſt, conſilia regendæ reipublicæ, certamina aduerſus Tyrannos, protectionem diuinam, conſtantiam in defenſione veritatis & iuſtitiæ, fortitudinem in perferendis aduerſis & cruciatibus, cum propter veritatis defenſionem venerunt in odium. Etſi enim leges ipſæ diuinæ ſunt, & Deus eſt vbique primus legiſlator, & ſtatus politici autor: tamen quia ſæpe inſtauratæ ſunt politiæ per viros præſtantes, non negligenda eſt horum conſideratio. Solon Atticam ciuitatem ſeditionibus diſtractam, redigit in concordiam latis æquioribus legibus. Idem ſumma moderatione tulit Piſiſtratum rapientem dominationem in ciuitate libera: & ſeruire maluit, quam nouis ſeditionibus ambitioſum ciuem reprimere, quia moderatione hoc effecit, cum ſine violentia ſæpe Piſiſtrati conſiliis aduerſaretur, flecteret tamen eum ad iuſtiora conſilia. Quanta grauitas Labeonis fuit, qui etſi ſenſit Augusti animum offendi, ſi quando eius ſententiis aduerſabatur, & vidit præferri ſibi Capitonem, æmulum ſuæ gloriæ, tamen conſtantiam in dicenda veritate retinuit.

Caſſium Longinum Caligula relegauit. Deinde vero circumuentum falſo crimine, & orbatum oculis deportari iuſſit.

Papiniani vero conſtantia maior etiam fuit, qui cum certo ſciret futurum vt à Tyranno interficeretur, niſi parricidium excuſaret, tamen ceruicem porrigere, quam ſcelerate facere maluit. Nam Baſſianus Imperator, cum fratrem ſuum virtute præſtantem, in ipſo ſinu matris interfeciſſet, confiсto aduerſus eum crimine inſidiarum, iuſſit vt in ſenatu à Papiniano, cuius ſumma erat autoritas, excuſaretur. Quod cum Papinianus facturum ſe eſſe recuſaret, ſtatim eum interfici Imperator iuſſit.

Rara ſunt hæc iuſtitiæ conſtantiæque exempla, vt excellens virtus omnibus ætatibus rara eſt. Sed tamen aliquos ſemper habuit hic ordo magnos viros, qui iuſtitiã & veritatem fauori regum prætulerunt.

runt. Nec quiſquam noſtrum eſt, quin aliquando in odia potentum incurrat, quod cum accidit, exemplis illis præſtantium virorum, qui atrociora tulerunt, nos confirmemus, ne perterrefacti minis aut odijs, ad ſeruilem, & flagitioſam adulationem nos adſuefaciamus. Phyſici dicunt natiua eſſe odia aquilæ & cygni, nec tamen aquilam à cygno prouocari, ſed ſæpe victorem eſſe cygnum, cum illa laceſſiuit: ita nos quoque repugnemus iniuſtis potentum cupiditatibus quia iuſtitiæ officium eſt, veritatem non proiicere metu, aut aſſentatione: & quanquam non ſemper vincemus: tamen ſæpe vtile eſt reipublicæ ſapienter & moderate aduerſando, iniuſtos impetus languefacere.

IVVENIS. Iuriſprudentiam certe rebus humanis neceſſariam & magna apud veteres ſemper veneratione excultam eſſe, cum omniū pene teſtimonio conſtat, tum cumprimis perſpicuum eſt ex Cicerone cum ait: legibus duodecim tabularum, ex quibus reliquæ omnes fluxerunt, omnium Philoſophorum Bibliothecas ſuperari: viros Iuriſconſultos dignos eſſe, qui laudibus in cœlum efferantur, quorum domus oraculum ſit ciuitatis eſſe denique Iuriſprudentiam ſenectutis ornamentum atque perfugium. Eſt enim hæc diuinarum atque humanarum rerum notitia, iuſti atque iniuſti ſcientia: hoc eſt, ipſa ἐγκυκλοπαιδεία, cuius complexu omnes fere artes continentur.

Eam cum Vlpianus multo conciſius nominat boni artem & æqui, Salomonius in eam ſententiā accipit, vt Iuriſprudentiam ex actione exiſtimari velit, id eſt, ex officio boni æquique viri. Neque enim in Iuriſconſulto ſatis eſt, nihil ignorare, quod legibus ſcriptum, moribus receptum, prudentumque authoritate confirmatum eſt: quod homini mediocri ingenio aſſidua lectio afferre poteſt: neque rabula in Iureconſulto requiritur, ſed vir eiuſmodi, qui, vt Cicero inquit, diuinitus ſit ad nos delatus, per nos non partus, iuſtaque cognoſcat, & faciat. Quod ipſum Ariſtoteles affirmare videtur, dum in Ethicis ait, non cognoſcere iuſta & iniuſta, ſed facere illa, hæc fugere, ſapientis eſſe: cum res, de quibus leges loquuntur, non ita ſit magni negocij, intelligentia atque animo complecti, ſed facere longe maximi. Proinde ab Vlpiano, ſanctiſſimo encomio ornantur, vt Sacerdotes iuſtitiæ nominet, id eſt, æquitatis, iuſtitiæ, veritatis, & omnis boni, recti, honeſti laudatique cultores: cum Iuſtitiam colere, & boni atque æqui debeant eſſe expediti diſpenſatores.

EQVES. Imo vero ſcribit Iuriſ-

conſultus Celſus, quod ſub autoritate Iuris ſcientiæ plerunque in quæſtione æqui & boni pernicioſe erretur. *l. ſeruum §. ſequitur. ff. de verb. ſignif.*

IVVENIS. Vt in medicina aliud eſt theoria, id eſt, conſideratio totius naturæ rerum, quæ bonæ menti quouis nectare dulcior eſt: aliud vero praxis, qua fit curatio morborum, quæ non eſt ſine faſtidio & moleſtia, ſicut dicitur: Stercus & vrina Medicorum fercula prima: Sic aliud eſt loqui de ipſa doctrina Iuriſconſultorum, id eſt, de cognitione legum & lectione librorum, qui de iure ſcripti ſunt: aliud de praxi forenſi. Hæc etſi moleſtiſſima eſt, non ſolum quia tædium & laborem adfert diiudicatio controuerſiarum, quæ ſæpe perplexæ & intricatæ ſunt, ſed etiam, quia triſte videre & audire tot exempla horribilium confuſionū, quæ inter homines indulgentes ſuis cupiditatibus quotidie accidunt, tamen minime ſubterfugienda eſt, à gubernatoribus & cæteris, qui vocati ſunt ad hæc negotia adminiſtranda, cum haud dubie officium Deo gratum & toti hominum generi neceſſarium ac ſalutare ſit, ſecundum leges defendere bonos & coërcere improbos.

Iuriſprudentiæ σφάλματα vnde

EQVES. Tu ſubinde crepas Leges, quarum tamen ego adhuc nullam video certitudinem. Iuriſconſulti in publicum edunt Communes opiniones, quas aſteriſco vno; edunt communiores, quas aſteriſcis duobus; edunt communiſſimas, quas aſteriſcis trib. deſignant, & ij ipſi tamen ſæpenumero in iiſdem egregie fallunt ſimul & falluntur.

SENEX. Quæritur ſane deſuper ipſe etiam M. Antonius Muretus, *orationum volum. 2. Orat. 17.* Propoſitum, inquit, eſſe debet Iuriſconſulto, vt vera doceat. Modus autem docendi is eſt, vt perſpicue doceat. In his autem varie peccatum eſſe video à multis eorum, qui quadringentos fere abhinc annos ius ciuile tractarunt: quorum etiam nonnulli tanto apud multos in pretio ſunt, vt quaſi Atlantis humeris cælum, ita eorum auctoritate huius artis dignitas ſuſtineri putetur. Nam & multa ſæpe pro veris falſa docuerunt, & refarſerunt libros ſuos alieniſſimis quæſtionibus: & ſine vllo ordine omnia tradiderunt: & cum Latine loqui neſcirent, nouum quoddam & monſtroſum ſibi confinxerunt loquendi genus, vt ſi veteres illi Pauli & Vlpiani, & Papiniani, & cæteri Iuris antiſtites reuiuiſcant, multis interpretibus eius opus futurum ſit, ad eos qui ſcripta ſua interpretati ſunt intelligendos. Hactenus Muretus.

Iuriſperitorum conſilia & reſponſa dubia.

IVVENIS. Sane, proh dolor, hac tempeſtate ſcribentes in colligendis opinionibus & reſponſis

ſis doctorum, dum alter alterum ſuperare contendit, eo deuentum eſt, vt in conſulendo & iudicando ſæpe poſthabito ipſo contextu Iuris opinionum & conſiliorum autoritas ſibi locum ſeruet.

Hinc tot reſponſa & conſilia Doctorum ſibi ipſis contraria emanant, quibus à conſulentibus ipſis cauſa præbetur, vt conſiliarij, ne dicam ductu affectionis, vel cupiditate æris ad vota ipſorum reſpondeant: quibus Reſponſis & conſilijs nonnulli interpretes tantum fidei eſſe habendum exiſtimant, vt præferenda ſint lecturis & interpretationibus Doctorum.

Verum non ſat ſcite, & inconſiderate, cum ex profeſſo interpretantes Iura, non minus ad laudem & gloriam ſibi comparandam, veritatem inquirant & tradant, quam conſulendo reſcribunt, vt pulchre docet Mynſing. *cent. 6. obſeru. 60 practicar. obſ.* dicitque, in ſummo tribunali Imperij non ſemel ita concluſum eſſe.

Nam vtcunq; ſe habeant gloſſemata & reſponſa Doctorum, lex per ſe eſt ſemper certi iuris. *l. cum quidam §. ſuum hæredem. ff de acquir. hered.* & vbi habemus legem, ceſſat dubitatio. *Bal. in l. ancillæ, C. de furt.* nec ratio illius debet inueſtigari. *l. non omnium & l. ſeq. ff. de legib.*

Opinio autem eſt iuris incerti; quæ neque à lege, neq; à ſola ratione, ſed ab omnium, vel à plurium autoritate dependet & conſiſtit. Vnde Ariſt. tradit *lib. 6. Ethic.* quod non minus inhærēdum ſit prudentum expertorum opinionibus atq; ſententijs ſine demonſtratione, quā demonſtrationibus ipſis.

Qua de cauſa, licet à communi opinione nō facile ſit recedendum. *B ir. & Doct. in l. vlt. C. de pœn. tem. litig.* tamen cū rationabiliter opinio cōuincitur, illa poſthabita veritati dandus eſt locus. *Ioan. And. in c. capellanus de ferijs. Euerard. in Top. in loco à ratione, nu. 16.* Vtiq; ratio legis præfertur opinioni. *gl. & Dd. per l. licet. ff. de offic. præſid.* & ſequenter ratio præfertur rationi. *l. 1. in fin. ff. de contrah empt.* ibi Neruæ & Proculi ſententia vti veriori præfertur Sabini & Caſſij. Quinimo ſi quis lege eiuſque ratione ſapientior & æquior eſſe velit, iniuriam ipſi iuri facit, quod eſt ars ęqui & boni. *l. 1. §. ius. & l. iuſtitia in fin. ff. de iuſtit. & iu.*

SENEX. Quum calamitoſo hoc tempore ingenia hominum à priſca ſinceritate digreſſa magis ſtudioſa ſit per fas nefaſq; lucrum quærere, q̄ æquitatē ſeruare, fit inde, vt leges tā mirifice torqueantur. Vere itaq; dixit, quicunque dixit.

Cur creſcant queris tot vbiq; volumina Iuris,
In promptu cauſa eſt: creſcit vbique dolus.

IVVENIS. Quo magis itaque creſcunt doli, eo magis iiſdem eſt obſiſtendum.

EQVES.

EQVES. Et quomodo vero obſiſtendum, cum in Iure nullus ſit ordo, nulla methodus, ſed mera confuſio; id quod publice conqueritur Bernhardus Saccus, patricius Papienſis *in libro, de rerum Italicarum varietate & elegantia*. Recitabo propter verborum reique ipſius grauitatem ipſius autoris verba: Nec vlla, inquit, Iuris compoſitio, quam aliqui mirantur & celebrant, digna commendatione eſt. Ordo enim rerum omiſſus in componendis legibus fuit. Realia paſſim cum perſonalibus, Ciuilia iura cum iis, quæ iuris gentium ſunt, Prætoria cum alijs, & è contrario immiſcentur. De acquirendo rerum dominio & poſſeſſione, quæ ſunt prima hominum iura, in extremis ferme Digeſtorum partibus tranſlata leguntur, de rerum diuiſione Titulo præpoſito, longeque collocato.

Querimonia ſuper iurium confuſionibus.

Item quod vni Titulo ſiue inſcriptioni ſubiiciendum erat, procul ab eo alibi refertur. Pacta, quæ contractibus interponuntur, ante contractuum notitiam ac traditionem collocantur. Publica iura, veluti de iure Fiſci, de re militari, de Decurionibus, & alia, priuatorum obligationibus poſtponuntur, quæ multo aptius coniungenda videbantur cum iuribus ad publicas perſonas referẽdis, vbi tractat de Senatoribus, de officio Cõſulis, Præfecti vrbis, Quæſtorum, Prætoris, & aliorum Magiſtratuum.

Deniq; vt agnoſcas inconditum, atque inordinatum opus in ipſo Digeſtorum limine, inſpicere licet Titulum primum de origine iuris, Paragrapho, Iuris Ciuilis ſcientiam, vbi, cum proponuntur enumerandi Iuris Scriptores, quinquaginta viri omittuntur, à quibus maior Digeſtorum pars confecta fuit. Iſtorum enim virorum mentio habenda in illa enarratione fuerat, vt eorum induſtriæ ac diſciplinæ ratio exigebat.

Plura alia referre poſſem, ad indicandum operis Iuſtinianei incõpoſitionem. A qua demum effectum eſt, vt fuerit neceſſaria poſterorum cura, atque ſedulitas, in coniungendis Codicis & Autenticorum innouationibus cum Digeſtorum iuribus, in multis abrogatis & in diſtinguendo caſus, ſiue propoſitiones aut ſimilitudine pares, aut ex parte diſſimiles, & in ijs conciliandis, in quibus vis contradictionis ineſſe apparuit. Quo quidem in negotio Actius Bononienſis, vulgo Azo dictus, diligẽs ſcriptor fuit, & ſeſe Tribuniano & alijs collegis eius doctiorem in eo munere obeundo probauit.

Sed heu infelix nimis ſeculorum ſtatus iuris ſcriptoribus fuit. Mille enim, vel paulo minus anni interceſſerunt à Iuſtiniani Imperio ad CAROLVM QVINTVM Imperatorem in quibus vix quiſquã ex

ex Imperatoribus in Iuris communis volumina detergenda oculos vertit, ſed ſuo quisque arbitrio in ſubiectis prouinciis leges tulit Iuri communi aduerſantes. Hinc Scriptorum copia creuit, creuitque ſimul diſſenſio, caſuum etiam varietas, ac multitudo excreuit. Rerum deinde, & perſonarum, Principatuum, ac Regnorum immutatio ſubſecuta, multa adêmit, vertitq; in diuerſum.

Pontificum quoque Romanorum ſcita, canones, interdictaque, plura ſubuerterunt, aliaq; immenſa introduxêre volumina. Populorum demq; iura, quæ municipalia vocant, ſuam ſimiliter copiam, ac variationem effuderunt. Quæ quidem omnia Iurisperitiam in opinionum certamina deduxerũt. Vnde communis opinio dicta illa eſt, quæ numero, non quæ ſenſu præſtantior apparet: hinc etiam conſilia peti, ſcribi, edique neceſſe fuit. Tandemq; iuris facultas atque peritia ab artis ſimilitudine, in diſſimilitudinem ac difficultatem traducta eſt.

Dolere itaq; vicem iſtius confuſæ artis, non ſolum Iuſtiniani cauſa, ſed etiam ſucceſſorum, poſſumus, qui expurgandis deſuetis antiquatisq; iuribus, peritos viros ſua quisque ætate non adhibuerunt: ſed Imperatorum culpam leuiorem facit Pontificum incuria, qui ſuum ius Pontificium in ſimili fermè rerum commixtione paſſi ſunt verſari. Hactenus Bernh. Saccus.

IVVENIS. Non hic debebas ſubſiſtere in allegatione verborum patritij illius Papienſis. Cætera namq; quæ immediatè ſubiungit, omnino à te erant alleganda; Sed quia pro tempore, non inſeruiunt tuo palato, & haud ita pridem cauſa aliqua excidiſti, ego tamen ea quæ in prædicto autore ſubſequuntur, recenſere non intermittam. Sic autem ſermonem inſtitutum patritius ille Papienſis proſequitur. Nemo tamen, inquit, hæc legens, deterreatur à iuris facultate agnoſcẽda, quoniam ingenio præditis, ſtudiumq; adhibentibus ſcientiæ, etiam confuſæ, in lucem vertuntur: & quamuis plurima circumferantur Iura Regnorũ, & Populorum, Iuri communi aduerſantia, attamen ad iſtius Iuris fontes peritiæ cauſa deſcendere oportet. Ab eo petimus regulas contractuum, ſucceſſionum, ſubſtitutionum, legatorum, Dotium, Alimentorum, & cætera ad impuberes ſpectantia. Ab eo diuiſiones bonorum facere, ſeruitutes conſtituere, & communionem inter ſocios nectere diſcimus.

Quisquis igitur iſtius facultatis penetralia adire optat, minime difficultates à me enarratas pertimeſcat, ſubeat laborem virtute Duce, labor enim virorum eſt, quem ſequitur oblectatio cognitæ diſcipli-

 næ,

næ, diſciplinæ autem cognitionem ſequitur præſtantia animi, qua quis honorificentia dignus efficitur. Cũ vnus peritus plura ſcire videatur, quam vniuerſa ciuitas, illum vnum omnes adeunt, conſulunt audiuntque.

Ludouicus olim, me puero, Gallorum Rex, & Mediolani Dux, Iaſonis Maini fama commotus, Papiæ moram fecit, vt tantum virum iura legentem audiret. Ingreſſusq; Auditorium manu ſilentium indixit, vetuitq;, Scholaſticos iuuenes loco cedere. Sedit itaq; Rex quaſi vnus ex illis, centum illic aſtantibus nobiliſſimis Proceribus. Auditum deinde Iaſonem commendauit, ſociumq; ſibi adeſſe à latere, operto capite, in egreſſu honoris cauſa coëgit. Togæq; auratæ, id eſt, aureo filo contextæ, munere ipſum honeſtauit.

Vide igitur, quid vnius viri præſtantia in orbe poſſit, quando Regi Francorum in Italia Iuriſperitum audire iucundum ſit. Commodè quoq; Iuris facultas, adhibito ordine, percipi poterit ſcribendi cura adiecta, de qua alibi fortaſſe aptius. Hactenus Bernhardus Saccus, patritius Papienſis.

Legum inter ſe diſcrepãtia. EQVES. Interim ipſarum Legum difficultatem, propter operis Iuſtinianei incompoſitionem (vtor ipſius phraſi) cui ego vti antea, addo, ipſarum legum incertitudinem, arguit. Nam ipſæ etiam leges quandoq; inter ſe certant, nec apparet, vtra recentior, vtra benignior, vtra fauorabilior ſit, vt ipſe fatetur Salomonius *in §. item reſponſa, Inſtit. de iur. nat. car. 10.* Et fecerit, quicquid potuit Imperator, tamen remanſerunt adhuc aliqua contraria, *ſecundum Bartol. in l. iuris gentium, §. prætor ait, ff. de pact. Portunium in repet. l. Gallus, car. 14. nu. 10.* Imò in duodecim lineis eiusdemmet Iuriſcõſulti *in l. certi condictio, §. fin. cum l. ſeq. ff. ſi cert. pet.* colligitur fortè contrarium, *vt per Alex. ibi,* quanto plus in diuerſis legibus à diuerſis Auctoribus diuerſo tempore conditis. Ex quo factum, vt per contrarias interpretantium ſententias totum pene Ius conturbatum ſit. *l. 1. §. noſtra autem. & l. 2. col. antepen. in §. hoc autem quod ab initio, C. de vet. iu. enucl.* vnum enim verbum huc atque illuc lacerant, *l. 2. C. commu. de leg.*

IVVENIS. Concedo totum. Ideo itaq; Moderni clarius & copioſius reducũt materias vel per theoricas, vel per regulas & fallentias pulchro ordine, per quas omnibus facile poteſt obuiari cõtrariis. Non enim poteſt lex aliqua tam benè eſſe gloſſata, quin adhuc indigeat gloſſatione. Et nulla res à principio in republica videtur ſufficienter promulgata, *vt inquit Cic. lib. Topic. ad Trebatium.* Itaq; neceſſe eſt, vt ſapientes ex bono & æquo leges coarctent, amplient & diſtinguant, *vt inquit Salomonius, ff. de iuſtit.*

ſtit. & iure. quæ interpretatio eſt vera mens legis. l. nominis, §. verbum ex lege, ff. de verbor. ſignific. & aliter interpretando deuiant à mente legis. Quoniam, vt inquit Cicero 1. Rhet. Sicut ex medicina nihil proficiſcitur, niſi quæ ad corporis vtilitatem ſpectent, ſic à legibus nihil conuenit arbitrari, niſi quod reip. conducat proficiſci, quoniam eius cauſa ſunt compertæ. Et docet experientia in volente contrahere, qui faciet decies reuideri inſtrumentum à peritis, & tamen adhuc emergent infinita dubia ſuper eo: & videmus plura inſurgere circa leges, quæ non ſolum interpretatione, ſed & Principis egerent declaratione, Clement. dudum, in verſ. ſepelire, de ſepul. & alibi ſæpe. Abſint autē omnino interpretationes friuolæ vel calumnioſæ. Bart. in l. omnes populi in vlt. q. 6. quæſt. prin. ff. de iuſt. & iur.

EQVES. Annon vero poſſet cōſcribi vnus aliquis liber, qui omnia decidat, atque ita ſolus poſſit ſufficere?

IVVENIS. Autor vnici iſtius libri nondum natus eſt. Si enim tot Repertoria non ſufficiunt ad inueniendum & determinandum; quomodo ſufficeret vnicus liber ad decidendum, præſertim in tanta hominum malitia. Sunt enim plura negotia quam vocabula, l. natura, ff. de præſcr. Decius in rubr. ff. de orig. iur.

EQVES. At ratio naturalis abſque tot legibus debuerit nobis ſufficere, quia quærere legem, vbi naturaliter ſentimus, nihil aliud eſt, quam infirmitas intellectus. Iaſon in l. illam, Codic. de collation. columna ſecunda. Et gentes quæ legem non habent, naturaliter quæ iuris ſunt, faciunt, ſecundum Fortunium de vltimo fine iuris, colum. 109.

IVVENIS. Difficile, imo quadantenus impoſſibile eſt, permanere ciuitatem non legibus & conſuetudinibus compoſitam, Ariſtotel. 6. politic. Et inuentæ ſunt leges ad ſalutem ciuitatis. Et, tolle iura Imperatorum, quis audebit dicere, hæc domus eſt mea? cap. quo iure, 8. diſtinct. & Cic. in 2. de legib. Et ratio naturalis diuerſis diuerſa ſuggerit, vt patet in congregationibus Vniuerſitatum, c. quia diuerſitatem, vbi gloſſ. 1. de conceſſ. praben. Et in eis audi Legiſtam; quia perſuadebit aliis etiam habentibus optimum naturale, quod album ſit nigrum, & vulgariter etiam ſine lege loquendo. gloſſ. in l. quod ſi nolit, §. culpam, ff. de adilit. edicto. quod ægre ferentes idiotæ clamitant, libros debere comburi. Præterea malitiæ hominum ita excreuerunt, vt quotquot etiam libros habeamus, opus ſit optimo ingenio, imo & ſimulatione ad veritatem

inueniẽdam, *c. afferre, de præſumpt.* Et euenerũt caſus, quos antiqui, licet clari, in facto decidere neſciuerunt, *teſte Iaſone poſt Gellium in l. ita ſtipulatus, la grande, col. 15. ff. de verb. obligat.* Hinc Iaſon indies conquerebatur, Iuſtinianum nimis anguſtaſſe Ius noſtrum, adeo quod niſi ſuperueniſſent bona ingenia, præſertim Baldus, eſſemus in magna perplexitate, prout inuehit Philelphus *Satyra 2. incip. Me nimis.* Præterea leges etiam reſecatæ ſeu correctæ quotidie nobis proſunt. *c. fuerunt, 6. diſtinct.* Quinetiam videmus eos, qui Romano Imperio ſe iactant exemptos, adhuc vti legibus Iuſtiniani, propter earum bonas rationes. *Bal. in l. nemo. C. de ſentent. & interloc.* Quantò ergo plus de legibus Digeſtorum, quas etiam Laurentius Valla omnium maledicus tantum extollit, vt *in proœmio tertij ſuarum elegantiarum* dicat, quod earum magna eſt autoritas & plena Romanæ antiquitatis.

EQVES. Video te fœnũ in cornu habere, & in iure non mediocriter eſſe verſatum, ne itaq; actionem aduerſus me intentes, malo ego vlteriori de iure ac legibus diſcurſui ſuperſedere, quam inconſultè aliquid fortaſſe dicendo, litem mihi accire. Interim Cornelium illum Agrippam, quid ille de iure ac legibus *in libro illo de vanitatibus Scientiarum* ſentiat, vel inuitus audies; ſi itaque iniuriarum actionem aliquam (ſeu quod imperitus nuper quidam, gratiarum actionem indigetabat) intentare vis, erit is Agrippa ille, aduerſus quem vt intentes, in arbitrio tuo ſitum eſto. Is vero de iure ac legibus inter cætera hæc ſcribit: Iuris ſcientia, inquit, ſolam ſe iactat inter verum & falſum, æquum & iniquum, fas & nefas ſcire diſcernere, cuius facultatis hodie principes ſunt, Papa & Imperator, qui gloriantur, ſe habere iura omnia in ſcrinio pectoris ſui recõdita, quibus pro ratione ſufficit ſola voluntas, cuius arbitrio omnes ſcientias & artes & Scripturas, & opiniones, & quæcunq; hominum opera iudicare & regere præſumunt. Hinc firmiter præcipit Leo Papa omnibus Chriſti fidelibus, vt nemo in Eccleſia DEI quicquam vel quenquam iudicare, iuſtificare, aut aliquid diſcutere præſumat, niſi ſanctorum conciliorum canonum & decretalium authoritate: atque ne nobis vti liceat, nec doctiſſimorum, nec quorumcunq; etiam ſanctiſſimorum Theologorum determinatione, niſi in quantum Papa permittit, & ſuis canonibus authorizauerit: ſed & alibi adhuc præcipit canon, ne aliud volumen, vel quicunque liber per Theologos (imò per vniuerſum mundum ait) recipiatur: niſi ille, qui per Eccleſiam Romanam Papæ canonibus comprobetur. Simile ius prætendit Imperator in Philoſophiam, ac medi-

Cornelij Agrippæ de iure & legibus diſcurſus.

medicinam, cæteraſque ſcientias, nulli diſciplinæ permittens aliquid authoritatis, niſi quantum illis cõceditur per ſui Iuriſpetitiam, ad quam, vt ait, quotquot ſunt ſcientiæ & artes ſi comparentur, ſunt tãquam viles, & parum vtiles. Hinc Vlpianus ait: Lex eſt rex omnium humanarum, & diuinarum rerum, cuius virtus eſt, vt ait Modeſtinus, imperare, permittere, punire, vetare, quibus dignitatibus nullũ munus maius inuenitur: & Pomponius in legibus definit eam eſſe inuentum & donum Dei, & dogma ſapientum omnium: quia priſci illi legislatores, quò decretis ſuis apud rude vulgus authoritatem cõciliarent, finxerunt ſe diis edoctos illis præſcribere. Sic Ægyptiis Oſiris à Mecurio, Zoroaſtes Bactrianis & Perſis ab Oromazo, Charundas Carthaginenſibus à Saturno, Solon Atheniẽſibus à Minerua, Zantraſtes apud Arimaſpos à bono numine, Zamolxis Scythis à Veſta, Minos Cretenſibus à Ioue, Lycurgus Lacedæmoniis ab Apollone, Numa Põpilius Romanis à Nympha Ægeria. En videtis modo cuiuſmodi hęc iuris ſcientia in omnes alias ſibi imperium arroget, exerceatq; tyrannidem, ac quomodo ſe omnibus reliquis diſciplinis, tanquam deorum primogenitam præferens, illas tanquam viles ac inanes aſpernatur, cum tamen ipſa totaque omnis non niſi ex caducis infirmiſſimiſque hominum commentis & placitis conſtituta, omnium quæ ſunt tenuiſſima, & ad omnem temporis, ſtatus, principis mutationem, conuertibilis exiſtat: quę primam ſuam ab ipſo primi parentis (omnium malorum noſtrorũ cauſa) peccato traxit originem. A quo lex corruptæ naturæ (quod ius naturale dicunt) prima prodiit, cuius egregia illa decreta: *Vim vi repellere licet. Frangenti fidem, fides frangatur eidem. Fallere fallentem non eſt fraus. Doloſus doloſo in nullo tenetur. Culpa cum culpa compenſari poteſt. Male meriti nulla debent iuſtitia nec fide gaudere. Volenti non fit iniuria. Licitum eſt contrahentibus ſe decipere. Tantum valet res, quantum vendi poteſt.* Item, *vt liceat ſibi conſulere cum damno alterius. Ad impoſſibile neminem obligari.* Item, *ſi te vel me confundi oporteat, potius eligam te confundi quam me.* Et eiuſmodi plura, quæ poſtea ſcripta inter leges relata ſunt. Denique lex naturæ eſt, non eſurire, non algere, non vigiliis, non laboribus macerari. Quæ omnem religionis pœnitentiam, pœnitentiæque opera depellens, Epicuream voluptatem pro ſumma ſtatuit fœlicitate. Exinde verò ius gentium emerſit, ex quo primum bella, cædes, ſeruitutes orta, diſtinctaque rerum dominia ſunt. Porro ius ciuile prodiit ſeu populare, quod populus aliqui ſibi proprium conſtituit. Ex quo tot e-

narunt in homines litigia, vt teſtibus ipſiſmet legibus, plura facta ſint negotia, quam rerum habẽtur vocabula. Nam cum homines proni eſſent ad diſſentiendum, neceſſarium, vt dicũt, erat iuſtitiæ obſeruandæ per leges promulgatio: vt malorum ſic coërceretur audacia, & inter improbos innocentia tuta redderetur, & boni quiete viuerẽt inter malos. Atq; hæc ſunt illa tam inſignia iuris principia, in quo legislatores fuêre pene innumeri. Quorum primus Moyſes, qui leges ſcripſit Iudæis, quo tempore etiam Ægyptiis leges tulit Cecrops: poſt Pheroneus primus omnium leges dedit Gręcis: rurſus Ægyptiis leges dedit Mercurius Triſmegiſtus: deinde Dracon & Solon Athenienſibus, & Lycurgus Lacedæmoniis, & Palamedes primus leges tulit bellorum, ad iudicandum exercitum. Romanis vero leges tulit Romulus, quæ Curiatæ appellatæ ſunt, poſt quem Numa Pompilius leges tulit religionum, & cęteri per ſucceſſum Romani Reges ſuas leges dederunt, quæ omnes Papyrij libris poſtea deſcriptæ fuerunt, vnde ius ciuile Papyrianum nomen ſumpſit. Poſt hos ius duodecim tabularum prodiit. Item ius Flauianum, ius Helianum, lex Hortenſia, Honorarium ius prætoris, item plebiſcita, Senatuſconſulta, ius magiſtratuum & conſuetudinis, denique vis iuris conſtituendi Principi data: prætereo Iuriſconſultos illos innumeros, quorum bonam partem recenſet lex ſecunda de origine iuris. Qui verò ius ciuile in volumen redigere conati ſunt, ex his primus hoc attentauit Cn. Pompeius, deinde Caius Cæſar: ſed præuentus vterq; bellis ciuilibus, immaturaque morte, non potuerunt perficere. Tandem veteres illas leges innouauit Conſtantinus, ſed & Theodoſius minor, in Codicem ab eo nuncupatum redigit: tandem Iuſtinianus hunc, qui hodie in vſu habetur, Codicem edidit. Iuris autem ciuilis tota authoritas penes populum ad Principes eſt, neq; aliud eſt ius ciuile, quam quod homines communi conſenſu volunt. Hinc Iulianus ait, leges non alia de cauſa nos ligare, quam quod iudicio populi receptæ ſunt: qui communi conſenſu omne imperium ac poteſtatem in Principem contulit, vnde ſi quid populo ac principi placuerit, hoc tum per conſuetudinem, tum per conſtitutiones iuris habet vigorem, etiamſi error videatur vel falſitas: nam communis error facit ius, & res iudicata veritatem. Quod Vlpianus nos docuit his verbis, videlicet, ingenuum accipi debere etiam eum, de quo ſententia lata eſt, quamuis reuera fuerit libertinus, quia res iudicata pro veritate accipitur. Apud eundem legimus, Barbarium quendam Philippum, cum ſeruus fugitiuus eſſet,

Romæ præturam petiiſſe, qua functus, ac tandem agnitus, receptum fuit, nihil eorum immutari, quæ ſeruus in tantę dignitatis velamento geſſerit. Et alibi ſenex ruſticus Imperatoris authoritate in tantum veneratur, quod Iuriſperitus ex verbis illius argumentari iubetur. Paulus quoque Romanorum Iuriſconſultiſſimus: hodie, inquit, propter vſum Imperatorum, ſi in argento relatum ſit candelabrum argēteum, argenti quoq; eſſe, non autem ſupellectilis, quoniam error ius facit. Idem de legibus & Senatuſconſultis palam fatetur, non omnium, quæ à maioribus conſtituta ſunt, rationem reddi poſſe. Hinc ergo ſcimus iam omnem iuris ciuilis prudentiam, ex ſola hominum opinione voluntateq; dependere, nulla alia ratione vrgente, quam vel honeſtate morum, vel commoditate viuendi, vel authoritate principis, vel vi armorum: quę ſi conſeruatrix bonorum & malorum vindex exiſtat, bona diſciplina eſt, finaliter, peſſima res, propter iniqua, quę magiſtratu ac principe negligente vel tolerante, vel probante fiunt. Quinimò Demonactis ſententia erat, leges omnes inutiles & ſuperuacuas eſſe, vt quæ nec bonis nec malis rogentur, cum illi non egeant legibus, hi vero per eaſdem nihilo fiant meliores. Præterea cum apud Liuium fateatur Cato, vix vllam legem ferri poſſe, quæ omnibus commoda ſit, & ex qua non ſæpiſſimè contingat æquitatem cum rigore iuris pugnare, ipſe etiam Ariſtoteles in Ethicis ſuis definiens æquitatem, vocat illam correctionem iuſtæ legis, qua parte deficit, quod generatim lata eſt. Nonne ergo iam hoc ipſo ſatis oſtenditur, totam iuris iuſtitiæq; vim non tam à legibus, quam à iudicis probitate æquitateque dependere? Hactenus Cornelius Agrippa.

IVVENIS. Dura nimis ſunt, quæ ex Cornelio Agrippa enarras; qui ſi adhuc in viuis eſſet, innumeri forent à quibus in forum traheretur. Sed enim fuerit iſta ætate fortaſſis maior dicendi libertas? Quid vero ſentit idem Agrippa de Iure Canonico?

SENEX. De Iure Canonico hac quidem vice ego nihil vlterius proferam, quam quod Iuris Canonici proceſſus per quinque libros Canonicos compēdioſe hoc comprehenduntur carmine:

Iudex, Iudicium, Clerus, Sponſalia, Crimen.
Hæc tria deſignant, quod quinq; volumina ſignant.

Nunc per me licet, vt quid Cornelius Agrippa de Iure Canonico ſenſerit, exponatur.

EQVES. Audite igitur Cornelium Agrippam, *in libro de vanitate ſcientiarum, c. 92.* ſic intonantem: *A iure*

iure ciuili, inquit, dimanauit ius Canonicum ſiue Pontificium, quod plerisque ſacroſanctum videri poſſet, tam ingenioſæ auaritiæ formulas ſpecie pietatis adumbrat, cum tamen pauciſſima in eo ſtatuantur ad pietatem, religionem, ac Dei cultum, Sacramentorumque ritus ſpectantia, taceo, quod nonnulla verbo Dei contraria aut repugnantia. Cætera omnia non niſi iurgia; lites, faſtus, pompæ, tum quæſtus ac lucri negotia, Pontificumq́; Romanorum placita, quibus neque ſatis ſunt, qui olim à ſanctis patribus conditi ſunt canones, niſi his continuo accumulent noua decreta, paleas extrauagantes, declaratorias, cancellariæ regulas, vt nullus ſit condendorum canonum finis neq; menſura, quæ vna omnium Romanorum Pontificum ambitio atq; libido eſt, condendorum ſcilicet nouorum canonum, quorum eouſq; excreuit arrogantia, vt Angelis cœlorum præciperent, & ex inferno ſublata præda rapinam facere præſumerent, & in mortuorum manes manum mitterent, etiam in diuinam legem, interpretando, declarando, diſputando nonnunquam tyrannidem exercerent, ne quid plenitudini poteſtatis ſuæ poſſet deeſſe aut derogari. Nonne Clemens Papa in bulla, quæ hodie adhuc Viennæ Limonis Pictauij in priuilegiorum ſcrinijs plumbata ſeruatur, præcipit Angelis de cœlo, quod animam peregrinantis Romam pro indulgentiis, & decedentis, à purgatorio abſolutam ad gaudia perpetua introducant? Inſuper, inquiens, nolumus, quod pœna inferni ſibi aliquatenus inſligatur, concedens inſuper cruce ſignatis ad eorum vota, tres aut quatuor animas, quas vellent, è purgatorio poſſe eripere: quam erroneam, intolerabilemq́; temeritatem, ne dicam prope hæreſim, tunc Pariſienſis Schola palam deteſtata eſt atq; corripuit, ſed & fortaſſis pœnitens hodie, quod non hyperbolicum illum Clementis zelum, pio aliquo commento interpretati ſunt, vt res valeret potius quã periret, cum propter eorum affirmare vel negare, nihil mutatur in re & authoritate ſummi Pontificis, ad cuius canones & decreta ipſam Theologiam totã ſic adſtrinxerunt, vt nullus quantumcunq; contentioſiſſimus Theologus, quicquam audeat ſtatuere, nedum opinari aut diſputare à Pontificum canonibus diuerſum, abſq; proteſtatione & venia, ceu Rufo canit Martialis:

Quicquid ait Rufus, nihil eſt niſi venia Rufo,
Si gaudet, ſi flet, ſi tacet, aut loquitur.
Cœnat, popinat, poſcit, negat, innuit, vna eſt
Venia, ſi non ſit venia, mutus erit.

Ex horum præterea canonibus & decretis didicimus Chriſti patrimonium eſſe regna, aſtra, donationes, fundationes, allodia, opes ac poſſeſſiones, ac ſacerdotiũ Chriſti Eccleſiæq́; primatum eſſe imperium, regnum: & gladium Chriſti eſſe iuriſdictionem ac poteſtatem temporalem: & petram Eccleſiæ fundamentum eſſe perſonam Pontificis: Epiſcopos eſſe

Eccleſiæ non miniſtros modo, ſed capita: & bona Eccleſiæ eſſe non modo doctrinā Euangelicam, ardorem fidei, contemptū mundi, ſed vectigalia, decimas, oblationes, collectas, purpuram, mitras, aurum, argentum, gemmas, prædia, pecunias, poteſtatem: ſummi Pontificis gerere bella, diſſoluere fœdera, ſoluere iuramenta, abſoluere ab obedientia, & domum orationis facere ſpeluncam latronum, ita quod Papa poteſt deponere Epiſcopū ſine cauſa, quod poteſt dare rem alienam, quod non poteſt committere Simoniam, quod poteſt diſpenſare contra votum, contra iuramentum, contra ius naturale, & nemo debet illi dicere, cur ita facis? poſſe inſuper graui, vt dicunt, aliqua de cauſa diſpenſare contra totum nouum Teſtamentum, etiam ad tertiam partem & vltra fidelium animas in infernum protrahere. Epiſcoporum vero officium eſſe iam non prædicare verbum Dei, ſed datis alapis confirmare pueros, conferre ordines, dedicare templa, baptizare campanas, conſecrare aras & calices, benedicere veſtes & imagines: quibus vero ſuper hæc altius ingenium eſt, ij relinquentes illa neſcio quibus titularibus Epiſcopis, ipſi regum funguntur legationibus; illorum præſunt oratorijs, aut comitantur reginas, magnam ſatis & grandem ob cauſam excuſati, ne ſeruiant Deo in tēplis, ſi magnifice venerentur regum in aulis. Ex iiſdem fontibus prodierunt cautelæ iſtæ, quibus hodie citra Simoniam Epiſcopatus & beneficia emuntur vendunturque, & quicquid præterea eſt nūdinationum & monopoliorum in gratiis, in condonationibus, in indulgentiis, in diſpenſationibus, & ſimilibus rapinariū formulis, à quibus etiam in gratuitis ab ipſo Deo factis peccatorum remiſſionibus, precium ſtatutum eſt, & inferorum pœnis inuentum eſt lucrum. Inſuper huic iuri debetur illa ementita Conſtantini donatio, cum reuera atque conteſtante verbo Dei, nec Cæſar ſua relinquere, nec Clerus quæ Cæſaris ſunt, ſibi debeat vſurpare. Sed ex multis admodum ambitionis, ſuperbæ ac tyrannidis legibus duntaxat aliquas vobis referam, quæ iis, quæ nunc diximus, faciant fidem. Scrutamini igitur, ſi libet, in antiquis decretalibus cap. Significaſti, & cap. venerabilem de elect. c. ſolitæ de ma. & obed. cap. cùm olim de priuileg. c. ſi ſummus Pontifex de ſent. excom. c. inter cætera de offic. iud. ord. *Deinde* in ſexto Decretal. *quem compilauit Bonifacius Octauus, videte quid loquatur in illius prologo*: & in c. 1. de immunitate Eccleſiarum. *neque cedit iſtis illa arrogātiſſima Clementina paſtoralis* de ſent. & re iud. cum extrauagante Ioan. 22. *quæ incipit*: Eccleſiæ Romanæ, *& alia eiuſdem ſuper gentes, & extrauagans Bonifacij VIII.*, vnam ſanctam: *Et compilatione denique Gratiani occurrūt nobis* c. Si cuius, d. 14. c. Si omnes, & c. Enimuero, c. In memoriam, c. Si Romanorum, d. 19. c. Omnes, d. 22. c. Tibi domino, di. 60. c. Conſtantinus, d. 69. & c. Quādo, d. 86. & gloſſ. ibid. & c. Si Papa, d. 60. *Porro etiam accedunt iſtis* 9. q. 3. c. Cuncta, & c. Conqueſt. 15. q. 6. c. Authoritatem,

17.q.4.c. Nemini, 22.q.3. Sunt qui, 23.q.5. Omnium, & q.8.c. Omni, 30.q.1.c. Omnia. *Hos & horum ſimiles canones qui diligenter examinarit, comperiet, cuiuſmodi ſint illa magna & admirabilia abſcōdita myſteria, quæ aliqui Romani Pontifices in ſuis canonibus fructificant, etiam ea, quæ alicubi dicuntur in Scripturis ſacris, conuertentes, & nō nunquam adulterantes, atque illis ſuis figmentis adſimulantes & adaptantes. Hinc illæ, quas vocant concordantias bibliæ & canonum natæ ſunt. Accedunt iſtis tot rapinarum tituli de palliis, de indulgentiis, de bullis, de confeſsionalibus, de indultis & reſcriptis, de teſtamentis, de diſpenſationibus, de priuilegiis, de electionibus, de dignitatibus, de præbendis, de religioſis domibus, de ſacris ædibus, de immunitatibus, de foro, de iudiciis & eiuſmodi reliquis, denique totum ipſum ius canonicum omnium eſt inconſtantiſsimum, ac ipſo Proteo atque Chamæleonte mutabilius ac Gordio nodo magis implicitum, ipſaque Chriſtiana religio, à cuius origine Chriſtus finem impoſuit cæremoniis, nunc hoc canonum iure plures habeat, quam vnquam olim habuerunt Iudæi quorum pondere addito, ipſum leue ac ſuaue Chriſti iugum nunc redditum ſit omnium grauiſsimum, coguntúrque Chriſtiani plus ex canonum præſcripto quam ex ipſo viuere Euangelio. Tota autem vtriuſque iuris peritia, non niſi circa caduca, fragilia, fluxa, inania, ac profana negotia, vulgique commercia atque contumelias, tum circa hominum cædes, furta, compilationes, graſſationes factiones, conſpirationes, iniurias, proditiones verſatur. Accedunt ad hæc periurationes teſtium, falſifica ſcribarum, præuaricationes cauſidicorum, corruptiones iudicum, ambitiones conſiliariorum, rapinæ præſidum, quibus opprimuntur viduæ, proſternuntur pupilli, exulant probi, proculcantur pauperes, damnantur innocentes, atque, vt eſt apud Iuuenalem:*

Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas.

Et cæci homines, quæ putauerunt ſe per leges & canones poſſe euitare, ſibi protinus parauerunt & incurrerunt, quia non ſunt hæ leges & canones à Deo nec ad Deum, ſed à corrupta hominum natura ingenioque profecta, & ad quæſtum & auaritiam excogitata. Hactenus Agrippa.

SENEX. Dura hæc ac nimis quidem dura ſunt quæ Cornelius Agrippa crepat, qui ſiquidē is adhuc eſſet in viuis, iſtam carpendi inſolentiam vix laturus foret impunè. Cæterum, quum conſtet, lubricæ admodum fuiſſe Agrippam conſcientiæ, ipſius iudicium apud cordatos minimè eſt authenticum, quin potius eidē omniū propemodū cōſenſu reclamatur, & tanquam hæreticum merito damnatur. Sed enim, ne & nos eidem omnino adſtipulari videamur, operæ pretium nos facturos exiſtimo, ſi ipſius Iuriſprudentiæ dignitatem ſummamque exiſtimationem propugnemus

atque

atque aſſeramus. Eius autem aſſertionis, ego quamuis Iuriſconſultus non ſim, exordiar telam, Iuuenis noſtri fretus ſubſidio, qui labeſcentem me pro ingenij ipſius dexteritate atque in Iuriſconſultos fauore feruido, quod ſpero, ſubinde ſubleuabit. Initio autem clementiſſimum ſeſe omnibus nobis offert Architectus & Author templi Iuſtinianus Auguſtus Imperator prouidentiſſimus. *l. vnum ex familia 67. §. 10. ff. de legib. 2.* Et piiſſimus, omnia ſua conſilia omneſque actus à diuini nominis inuocatione exordiens, vti apparet *ex l. 2. C. de offic. Præfect. Prætor. Africæ, &c.* vbi hiſce verbis legem auſpicatur: *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, ad omnia conſilia omneſque actus ſemper progredimur.* Atque hiſce & aliis honeſtiſſimis titulis paſsim in iure ciuili Imperatores inſigniuntur, & præter modo dictos appellantur nobiliſsimi & ſanctiſsimi. *l. 3. ff. de natal. reſtit.* Optimi & Maximi, *in l. 6. in princ. ff. de vacat. & excuſat. munerum:* Piiſsimi & Sereniſsimi. *l. donationes 26. C. de donat.* Diuini, *l. 1. & 2. ff. de his qui ſunt ſui, &c. l. cum hi 8. ff. de tranſact.* Ita vt domus eorum diuina nominetur. *l. ad inſtructiones. 7. vbi gl. & Fulgoſ. C. de ſacro Eccleſ.*

Porrò Imperator Iuſtinianus, qui electus Cæſar Romanꝰ Anno Chriſti 527. ante omnia religionis curam ſuſcepit, operamque dedit Imperatoria Maieſtate digniſsimam, nimirum vt quicquid eſſet reliquum contagij hæretici, extirparet, priuando labe Arriana infectos bonis, ſuppliciiſque vindicando. Tria inſuper in gubernatione pacis tempore præſtitit, (præter bella, quibus repreſsi Perſæ, Africa recuperata victis Vandalis, & Italia expulſis Gothis, toti orbi Chriſtiano maximè cõmoda & ſalutaria) nempe templum Iuſtitiæ exſtruxit, Synodum Oecumenicam quintam celebrauit, & denique ædificationes aduerſus repreſsiones Barbarorum fecit, communi Hiſtoricorum calculo, ex quibus ſi totam Imper. vitam repeterem, intempeſtiuam omnibus præſtarem beneuolentiam. Deinde materiam quod attinet, ex qua hoc monumentum ſplendidiſsimum, & inter miracula mundi meritò collocandum ædificatum, de eo Imp. ipſe *in l. 2. §. 20. C. de vet. iur. enucle.* ſic loquitur: *Ne incognitum vobis ſit, ex quibus veterum libris hæc conſummatio ordinata: iuſſimus & hæc in primordiis Digeſtorum noſtrorum inſcribi, vt manifeſtum fieret, ex quibus Legiſlatoribus, quibuſque libris eorum, & quot millibus hoc Iuſtitiæ Romanæ Templum ædificatum eſt, nempe ex duobus pene millibus librorum, & tricies centenis millibus verſuum:* quibus ordine prudẽtię collectis & diſpoſitis, Iuſtinianꝰ adiungens præcedentium Imperatorũ Reſcripta & Cõſtitutiones, impertiendo iis ſuam autoritatem & ro-

bur, totum opus cōcinnauit. Quippe ipſemet plurimas eaſque optimas leges condidit, & præter eas, *Nouellas*, quibus Ius nouiſſimum concluſit. Ex quo manifeſtè perſpicitur Imperatoriam ſuam maieſtatem non ſolum armis decoratam, ſed & legibus armatam, vindicem atque cuſtodem Iuſtitię acerrimum ſeſe præſtitiſſe. Quare Cæſareæ Maieſtati feliciſſime Imperatori Iuſtiniano, de tanta felicitate ipſi ſoli diuinitus, reliquis omnibus incaſſum laborantibus, contingente, qua nō modo materiam colligere, verum quoque à ſumma Nominis ipſius liberalitate collectam pulcherrimo opere exſtruere, exſtructam Iuſtitiæ conſecrare, conſecratam proprium & ſanctiſſimum eiuſdem Iuſtitiæ templum palàm pronūciare voluit. *in l. 1. §. 5. C. de vet. iur. enucl.* deuotiſſima animi ſubiectione gratulantur, atque inſimul gratias Maieſtati ipſius immortali immortales agunt Ireconſulti.

IVVENIS. Imo vero legum initia prima & eminentiſſima coæterna eſſe Deo, nemo ibit inficias: imo ſunt ipſemet Deus, quoniam ex ſapientia & voluntate Dei prodeunt, & in iis ſapientia, prudentia, voluntas & potentia, vt principales facultates includuntur, quæ in ſolo Deo eminentiſſime iunctæ ſunt, teſtimonio Platonis & Picolominei.

SENEX. Deo adſcribendam originem legum, ſacroſanctus Bibliorum Codex teſtatur, ſicut *in Geneſi* legimus, quod Deus Protaplaſtis noſtris in ſtatu innocentiæ adhuc conſtitutis, certam normam & regulam viuendi præſcripſerit, ne ſcilicet arbore vetita veſcerētur. Idem propemodum adſeuerant Ethnici ICti. Diis ſuis, hi Ioui, illi Mercurio, alij aliis cauſam originalem attribuentes ex naturali rationis lumine, licet in pluralitate Deorum falſorum aberrarint, & hos ſecuti Imperatores.

IVVENIS. Autorem legum Deum vocat Martianus ICtus *in l. 2. ff. de legibus.* imitatus Demoſthenem. Chryſippus legem omnium diuinarum & humanarum rerum Reginam ſalutat. Denique Deum optimarum legum autorem appellat Imperator. *in Nouel. 109.* quando his verbis palàm profitetur: *Vnam nobis eſſe*, ait, *in omni noſtra Reipub. & Imperij vita, in Deo ſpem credimus, ſcientes, quia hac nobis, & animæ Imperij dat ſalutem, vnde & legislationes noſtras inde pendere competit, & in eam reſpicere, & hoc eis principium eſſe, & medium & terminum.*

SENEX. Addo quod aliquoties in Iure reperiatur, leges diuina illuminatione per ora Principum promulgatas eſſe. Nam, quemadmodum in confeſſum venit verbo Plinij, legum principia Deo vendicanda: ſic vice verſa Deum Regem æternum, Reges & Principes temporales

tales propter conſeruationem totius vniuerſitatis, hoc iure maieſtatis, facultate nempe condendarum ciuilium & forenſium legum beaſſe, quo pro qualitate vniuſcuiuſque regionis & ciuium leges ponerent, quod Iuſtinianus venuſte comprobat *in Nouell. 73. in princ. §. 1.* in hunc modum: *Imperium propterea DEVS cœlo conſtituit, vt difficilibus imponat qua apud eum ſunt bona, & leges aptet ſecundum Naturæ varietatem:* vbi Imperij verbum pro Republ. ſynecdochice, tanquam pro potiſſima parte poſitum Politici autumant, idemque ab ipſo Imperatore *in prin. Nouell. 6.* ſequentibus affirmatur: *Maxima quidem in omnibus ſunt dona DEI, à ſuperna collata clementia, Sacerdotium & Imperium: Et illud quidem diuinis miniſtrans: hoc autem humanis præſidens ac diligentiam exhibēs: ex vno eodemque principio, vtraq; procedentia, humanam exornant vitam.* Hinc Imperator ſemetipſum poſt DEVM communem omnium patrem pronunciat, *Nou. 98. cap. 2. in fine*: Atque hac ratione tam viuentibus quam morientibus, ſe prouiſurum & proſpecturum pollicetur, *in l. 2. C. commun. de legat.* Quæ omnia tam Veteris quam Noui Teſtamenti & profanorum Authorum teſtimonijs prolixius corroborari poſſent, ſi quis in meridiano Sole lampadem accendere vellet.

IVVENIS. Hoc autem tam ſacratiſſimum Templum, Iuſtinianus ipſi dedicauit Iuſtitiæ, quæ conſentientibus Iuris interpretibus, eſt conſtans & perpetua voluntas ius ſuum cuique tribuendi: anima illa eſt Reipub. *Toloſan 5. de Repub. 5.* Virtus omnium perfectiſſima, iura omnium diſtribuens, præſtantiſſimum inter homines bonum, *Nou. 163.* Quin imo Deo ſimul & Iuſtitia nihil maius exiſtit: abſque his enim nihil vnquam commode geri poteſt, & præcipue in noſtra hac Republ. inquit Imperator *in Nouel. 164.* vt hac ratione, quam rectiſſime reliquas virtutes omnes ſuis amplexibus coarctare, vel potius in ſeſe continere Iuſtitia dicatur, quia eius tanquam Reginæ & matris legum munus eſt, vt actiones noſtras componat, cæteros congruenter gubernet, diſſipatos congreget, congregatos ſeruet, atque Reſpublicas hominumq; tum paruos tum magnos cœtus, aureis ligamentis conſtringat.

EQVES. Grandia nimis de Iuriſprudentia, eiuſque obiecto eructas, quod tamen demum in rem aliquam leuiculam, puta de ſtillicidiis, de alluuionibus, de aqua pluuia arcenda &c. adeoq; in contentionem quandam futilem, de lana, quod aiunt, caprina deſint.

An Iuriſprudentia tractet res leuiculas.

IVVENIS. Imo vel hæc ipſa, quæ futilia exiſtimas, in venditionibus & emptionibus plurium habēt momenti: Ratione namque incrementi & decrementi fluminum, ad

ſeudorum vicinorum commoda & incommoda, venditiones & emptiones, & pacta inter emptorem & venditorem, locationis item, conductiones & retractus in prædijs ruſticis, fluminibus adhærentibus reſtringi aut dilatari poſſunt. Et certe, quam neceſſaria ſit iuris huius cognitio, rerum vſus ipſe indicat, cum tribunalia huiuſcemodi litium iurgijs & concertationibus noſtris præſertim regionibus vndique perſtrepant. Sed & hoc ipſum Aggenus Vrbicus, Gallus in libello de limitibus agrorum, vbi agit de Alluuionibus in hæc verba teſtatus eſt: *Hæ quæſtiones, inquit, maxime in Gallia tota mouentur, quæ multis contecta fluminibus immodicas alpium niues in mare tranſmittit; & ſubitarum regelationum repentinas, inundationes patitur.* Quæ res plerunque poſt exacta longiſſimi temporis curricula, non certa iuris pronunciatione, ſed ob rei hucuſque famoſam difficultatem, vel imperitorum arbitrio Agrimenſorum, vel mutua contendentium pactione, ab ipſa litium & diſpendiorum longæua grauitate veluti extorta finem accipiunt.

Ludouici Viuis de legib. Romanis iudicium.

E QVES. Quid vero de Ludouici Viuis omnium fere facultatum critici acutiſſimi ſimul atque eminentiſſimi iudicio, quod ſuper Romanis legibus edidit, iudicas. Scribit namque: Romanas leges omnes eſſe de conſtituendis litibus, de ijs quæ ad pecuniam pertinent, vt ſua cuique manerent tuta: nullum vero in eis caput, de animo ad virtutem formando, & de morum compoſitione.

Iuriſprudentia verſatur etiam circa explicationẽ Decalogi.

IVVENIS. Paradoxum impudentiſſimum & falſiſſimum eſt, non tantum ijs, qui à primo limine Iuriſprudentiam ſalutarunt: ſed & alijs recte ſentientibus. Nam liquidiſſime omnes deprehendunt, Iuriſprudentiam vberrimam explicationem earum rerum eſſe, quæ in Decalogo, tanquam in albo æterni Prætoris proponuntur. Religionis, quæ primam tabulam reſpicit, frequentiſſima fit mentio in Templo Iuſtinianeo, & iuri naturali accepta fertur, *vt in l. 3. ff. de iuſt. & iur.* apudque omnes gentes ab origine mundi primum æquitatis ordinem ſibi vindicauit, vt quoties de negotio incidente plures concurrerent ſententiæ, ſemper præponeretur illa, quæ religioni propius accederet, *l. 43. ff. de relig. & ſumpt. funer.* Deinde ex hiſtoriis conſtat, omnes populos DEOS ſuos religioſe coluiſſe, & contra contemptoribus eorum ob blaſphemias & execrationes indeſinentes capitales irrogaſſe pœnas, quod Imperator *in Nouell. 77. cap. 1.* §. 1. dilucide confirmat, vbi ſeuere edicit, ne quis per capillos, aut Sacramenta DEI, aut aliquid huiuſmodi

modi iuret, neque blaſphemetur in Deum. Si qui vero blaſphema verba,& ſacramenta de Deo iurant, Deum ad iracundiam prouocantes, digni ſunt, ait Imperator, ſupplicia ſuſtinere: propter talia enim delicta & fames, & terræ motus, & peſtilentiæ fiunt. Ideo mandat Imperator Præfecto Regiæ Ciuitatis, vt tales facinoroſos vltimis ſupplicijs, ſubijciat. Quod ſi neglexerit Præfectus, primum quidem obligatus erit Dei iudicio: poſt hæc autem & noſtram (addit Imperator) indignationem ſuſtinebit. Præterea prima tabulæ præcipit, vt diem Sabbathi ſanctificemus. Nunquid igitur Iuſtinianus hac de re habet? Sane plurima, & pondere grauiſſima: Sed temporis inopia ab enumeratione plerorumque me excludit. Modo allegata lex 3. *ff. de Iuſt. & iur.* quæ appendix eſt præcedentis legis, ita incipit: veluti religio erga Deum, quæ vox generaliſſima, religio nempe, vniuerſum Dei cultum complectitur, cui congruit totus titulus Digeſtorum & Codicis *de ferijs.* Specialia obuia ſeſe ferunt complura, in citatis titulis & pluribus alijs. *In l.2. C. de ferij*, vocatur dies Sabbathi, dies Dominicus, in *l.3.* dies Solis, in qua Imperator Conſtantius Elpidio reſcribit, in hanc ſententiam: *Omnes Iudices, vrbanaq; plebes, & cunctarum artium officia, venerabili die Solis quieſcant: Ruri tamen poſiti agrorum cultura, libere licenterq; inſeruiant: quoniam frequenter euenit, vt non aptius alio die frumenta ſulcis aut vineæ ſcrobibus mandentur, ne occaſione momenti pereat commoditas cæleſti prouiſioni conceſſa*: Quod ſacris literis cōſentaneum ſummis Theologis atteſtantibus. In ſequentibus legibus vtpote 7.8.9. & præſertim *in l. finali*, idem ſancitur, dum in ea Imperator Leo & Anthemius in hæc verba reſcribunt: *Dies feſtos Maieſtati altiſſimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari, nec vllis exactionum vexationibus profanari. Dominicum itaque diem ita ſemper honorabilem decernimus & venerandum, vt à cunctis executionibus excuſetur, &c.* Verum enimuero omnia afferre longum & indecens maxime eſſet, cum ex adductis ſatis luculenter pateſcit, quod Imperatores tanquam cuſtodes vtriuſque tabulæ, rectiſſime faciunt, quādo eius violatores ſeueriſſimis pœnis affligunt. Quis enim quæſo alius hoc præſtabit, Theologus? minime: ſiquidē hic punit delinquentes tantum pœna conſcientiæ: Ille, politicum volo, pœna temporali. Theologus de Deo quærit, quid ei tribuendum, &c. Politicus, quomodo ꝙ Deo venit tribuendum, etiam à nolente poſſit obtineri: Theologus concionatur, Deus iraſcitur Atheis, Blaſphemis, Hæreticis, Adulteris, &c. Politicus hoc arripit, ſi ita eſt, vtiq; cogam meos ſubditos, velint nolint, vt abſtineant, medio quodam

dam propoſito, puta, pœna, ne tamen lædatur Reſpublica. Interdum quidem conniuet, ſi omnino abſque interitu totius Reipub. abolere quid nequit. Nouell. 3. Iuſtini Imp. & Nouell. 83. Leonis Imp. quorum hic conniuentibus oculis permiſit vſuras, alter illicitas nuptias, non quod probarent, ſed ne vergeret hoc in ſummum detrimentum totius Reipubl. Sic libellus repudij & polygamia à Deo alias improbata ob cordis duritiem Iudæis permiſſa fuit, alioquin Politia ipſorum maximum diſpendium cepiſſet, ſi non funditus deleta fuiſſet. Idem eſto de ſimilibus iudicium. Porro Theologus ſimpliciter D E I iuſſum attendit. Politicus Reip. incolumitatem curat: vtriuſque diuerſitas ex finis varietate dependet. Finis Theologi eſt, vt homo pie viuat, Politici vt ſalua floreat Reſpub. quod alio pacto fieri nequit, quam ſi boni præmijs, mali vero pœnis afficiantur. Ex præcedentibus igitur meridiana luce clarius effulget, Ludouicum Viuem atrociſſimam omnibus, omnium temporum ICtis iniuriam facere, quando obnegat, nullum extare caput in Iure Romano de virtutibus, cum nihilominus totus Decalogus in eo comprehenſus ſit. De alterius tabulæ præceptis, quoniam non ſolum peculiares tituli, ſed fere integri libri proſtant, & à quoquam facilime demonſtrari poſſunt, nec res tempuſque flagitat, altum præſtabo ſilentium, vbi ſimulatque breuiſſimis, quid de quarto in ordine mandato Iuriſprudentia ſentiat, adiunxero. De obſequijs parentibus præſtandis integer titulus in Digeſtis ponitur, præter ſæpius adductam *l. 3. ff. de Iuſti. & iur.* quæ mandat, vt patriæ & parentibus obediamus. Conſiſtunt vero obſequia in exhibitione honoris & pietate, vnde dicitur *in l. 9. ff. d. titul. de obſeq. parent. præſtant.* filio ſemper honeſta & ſancta perſona patris videri debet.

SENEX. Sane in contumaces & inobedientes à priſcis Romanis & alijs grauiſſimæ pœnæ ſancitæ ſunt, ius ſcilicet in liberos vitæ & necis. Seruius Tullius Tarquinij ſucceſſor legem tulit, qua filium parentes verberantem Diuis parentum ſacrum eſſe voluit, authore Ræuardo *ad LL. 12. tabb. cap. 3.* Cuius l. verba hæc ſunt; *ſi puer parentem verberit, aſt olle ploraſſit, parentes, puer Diuis parentum ſacer eſto*, iuxta Feſtum *lib. 14.* Quam Tullij legem poſtea ſecuta Reſp. Rom. Præfecto vrbis in mandatis dedit, vt in eos, qui matrem aut parentem, quos venerari oportet, contumelijs afficiunt, vel impias manus inferunt, pro huius delicti, ad publicam pietatem pertinentis qualitate, animaduerteret. *l. 1. §. 2. & 3. ff. dict. titul.*

IVVE-

IVVENIS. Hoc itidem alij ſucceſſores in Romano Imperio obſeruantes ſuis ſanctionibus confirmauerunt, vtpote *in l. 2. C. Qui & aduerſ. quos in integ. reſt. &c.* Vbi Imp. Iuſtinianus liberos & libertos conquerentes de parentibus & patronis, quaſi non rite in eos verſatis in integrum non reſtituit, pondere naturali, vel patronali reuerentia, huiuſmodi petulantiæ refragante, vt hac ratione in omnibus honor parentibus & patronis, illibatus atque intactus maneret. Imo quod maius eſt, liberos, quos alioquin ſpes ſucceſſionis in obſequio retinere ſolet & debet. *l. nec ei permittitur. 17. §. 3. ff. de adopt.* Petulantes Imperator *in Nouell. 115. cap. 3.* ab hæreditate parentum excludit. Præterea, quod Viues aſſerit, nihil quicquam reperiri in Iuriſprudentia de reliquis virtutibus, ad quas animus omnino formandus, calumnia eſt. Nam quid, obſecro, in omnibus iuris articulis iniungitur aliud, quam vt ſecundum virtutem, honeſte viuamus, neminem lædamus, ſuum cuique tribuamus. Nonne iuſtitia virtus, cuius fundamentum eſt amor. *c. vbi ſana. 24. q. 1.* cuius extremus gradus Deum ſpectat. *c. cui portio. 12. q. 1.* Sed quo ad homines, primus eſt & ordine & conſtantia, quo quilibet proximus ſibi eſt. *l. Thaiis. 41. §. 1. ff. de fideicommiſſ. libert.* Vnde in præiudicium alterius conditionem ſuam licet meliorem facere, dummodo non fiat animo nocendi, *l. 3. § quod ait. 7. ff. d. incend. ruin. &c.* Ex quo vulgatum illud, ordinatam charitatem incipere à ſeipſo, quam negligere durum eſt, & crudelitati proximum. *l. 6. C. d. ſeruit. & aq.* Alter gradus continet amorem in proximos, omnium bonorum radicem, *c. quia 13. de pœn. diſtinct. 2.* Intereſt ergo hominis, hominem beneficio affici, dicente IC. *in l. 7. ff. de ſeru. exportan. l. ſi pignore 54. §. 1. ff. de furt.* Nonne amicitia inter virtutes à Philoſophis collocatur, quæ in iure maximum pondus habet, nec vllo pretio æſtimatur. *l. non eſt. 176. ff. d. Reg. I. l. is qui amicitia. ff. de negot. geſt. l. 3. ff. de donat. int. vir. & vxor. l. ſancimus. C. de pœn.* Quid de temperantia pronunciandum, nonne ea virtus eſt, & quidem caſta Diana morum, vt Iuſtitia ſapiens mater legum. *Caſ. lib. 7. Sphera Ciuit. c. 15. l. 25. ff. de probat. l. 3. §. 1. ff. vbi pupill. educari &c.* Quo numero habenda ſit fortitudo, ius noſtrum perhibet, *in l. 6. ff. Quod met. cau. l. quod eſt. 3. §. ſi quis. 6. ff. de vi & vi armat. Nouell. 66. in princ.* vbi fortitudo populi Romani placitis ſupra omnes virtutes extollitur. Nonne gratitudo mater virtutum, teſte Tullio, *l. ſed etſi lege 25. §. conſuluit. 11. ff. de petit. hered.* Contra ingratitudo admodum odioſa eſt, vt in iure puniatur. *l. 1. l. fin. C. de reuoc. donat. l. 1. & 2. C. de libert. & eor. lib. l. fin. Cod. de ſecund. nupt.* Cum enim abſurdum ſit, eum, qui bene-

Iuriſprudentia virtutes tractat.

narunt in homines litigia, vt teſtibus ipſiſmet legibus, plura facta ſint negotia, quam rerum habẽtur vocabula. Nam cum homines proni eſſent ad diſſentiendum, neceſſarium, vt dicũt, erat iuſtitiæ obſeruandæ per leges promulgatio: vt malorum ſic coërceretur audacia, & inter improbos innocentia tuta redderetur, & boni quiete viuerẽt inter malos. Atq; hæc ſunt illa tam inſignia iuris principia, in quo legislatores fuère pene innumeri. Quorum primus Moyſes, qui leges ſcripſit Iudæis, quo tempore etiam Ægyptiis leges tulit Cecrops: poſt Pheroneus primus omnium leges dedit Græcis: rurſus Ægyptiis leges dedit Mercurius Triſmegiſtus: deinde Dracon & Solon Athenienſibus, & Lycurgus Lacedæmoniis, & Palamedes primus leges tulit bellorum, ad iudicandum exercitum. Romanis vero leges tulit Romulus, quæ Curiatæ appellatæ ſunt, poſt quem Numa Pompilius leges tulit religionum, & cæteri per ſucceſſum Romani Reges ſuas leges dederunt, quæ omnes Papyrij libris poſtea deſcriptæ fuerunt, vnde ius ciuile Papyrianum nomen ſumpſit. Poſt hos ius duodecim tabularum prodiit. Item ius Flauianum, ius Helianum, lex Hortenſia, Honorarium ius prætoris, item plebiſcita, Senatuſconſulta, ius magiſtratuum & conſuetudinis, denique vis iuris conſtituendi Principi data: prætereo Iuriſconſultos illos innumeros, quorum bonam partem recenſet lex ſecunda de origine iuris. Qui verò ius ciuile in volumen redigere conati ſunt, ex his primus hoc attentauit Cn. Pompeius, deinde Caius Cæſar: ſed præuentus vterq; bellis ciuilibus, immaturaque morte, non potuerunt perficere. Tandem veteres illas leges innouauit Conſtantinus, ſed & Theodoſius minor, in Codicem ab eo nuncupatum redigit: tandem Iuſtinianus hunc, qui hodie in vſu habetur, Codicem edidit. Iuris autem ciuilis tota authoritas penes populum ad Principes eſt, neq; aliud eſt ius ciuile, quam quod homines communi conſenſu volunt. Hinc Iulianus ait, leges non alia de cauſa nos ligare, quam quod iudicio populi receptæ ſunt: qui communi conſenſu omne imperium ac poteſtatem in Principem contulit, vnde ſi quid populo ac principi placuerit, hoc tum per conſuetudinem, tum per conſtitutiones iuris habet vigorem, etiamſi error videatur vel falſitas: nam communis error facit ius, & res iudicata veritatem. Quod Vlpianus nos docuit his verbis, videlicet, ingenuum accipi debere etiam eum, de quo ſententia lata eſt, quamuis reuera fuerit libertinus, quia res iudicata pro veritate accipitur. Apud eundem legimus, Barbarium quendam Philippum, cum ſeruus fugitiuus eſſet,

Romæ

Romæ præturam petiſſe, qua functus, ac tandem agnitus, receptum fuit, nihil eorum immutari, quæ ſeruus in tantę dignitatis velamento geſſerit. Et alibi ſenex ruſticus Imperatoris authoritate in tantum veneratur, quod Iuriſperitus ex verbis illius argumentari iubetur. Paulus quoque Romanorum Iuriſconſultiſſimus: hodie, inquit, propter vſum Imperatorum, ſi in argento relatum ſit candelabrum argéteum, argenti quoq; eſſe, non autem ſupellectilis, quoniam error ius facit. Idem de legibus & Senatuſconſultis palam fatetur, non omnium, quæ à maioribus conſtituta ſunt, rationem reddi poſſe. Hinc ergo ſcimus iam omnem iuris ciuilis prudentiam, ex ſola hominum opinione voluntateq; dependere, nulla alia ratione vrgente, quam vel honeſtate morum, vel commoditate viuendi, vel authoritate principis, vel vi armorum: quę ſi conſeruatrix bonorum & malorum vindex exiſtat, bona diſciplina eſt, finaliter, peſſima res, propter iniqua, quę magiſtratu ac principe negligente vel tolerante, vel probante fiunt. Quinimò Demonactis ſententia erat, leges omnes inutiles & ſuperuacuas eſſe, vt quæ nec bonis nec malis rogentur, cum illi non egeant legibus, hi vero per eaſdem nihilo fiant meliores. Præterea cum apud Liuium fateatur Cato, vix vllam legem ferri poſſe, quæ omnibus commoda ſit, & ex qua non ſæpiſſimè contingat æquitatem cum rigore iuris pugnare, ipſe etiam Ariſtoteles in Ethicis ſuis definiens æquitatem, vocat illam correctionem iuſtæ legis, qua parte deficit, quod generatim lata eſt. Nonne ergo iam hoc ipſo ſatis oſtenditur, totam iuris iuſtitiæq; vim non tam à legibus, quam à iudicis probitate æquitateque dependere? Hactenus Cornelius Agrippa.

IVVENIS. Dura nimis ſunt, quæ ex Cornelio Agrippa enarras; qui ſi adhuc in viuis eſſet, innumeri forent à quibus in forum traheretur. Sed enim fuerit iſta ætate fortaſſis maior dicendi libertas? Quid vero ſentit idem Agrippa de Iure Canonico?

SENEX. De Iure Canonico hac quidem vice ego nihil vlterius proferam, quam quod Iuris Canonici proceſſus per quinque libros Canonicos compédioſe hoc comprehenduntur carmine:

Iudex, Iudicium, Clerus, Sponſalia, Crimen.
Hæc tria deſignant, quod quinq; volumina ſignant.

Nunc per me licet, vt quid Cornelius Agrippa de Iure Canonico ſenſerit, exponatur.

EQVES. Audite igitur Cornelium Agrippam, *in libro de vanitate ſcientiarum, c.92.* ſic intonantem: *A iure*

iure ciuili, inquit, *dimanauit ius Canonicum ſiue Pontificium, quod pleriſque ſacroſanctum videri poſſet, tam ingenioſæ auaritiæ formulas ſpecie pietatis adumbrat, cum tamen pauciſſima in eo ſtatuantur ad pietatem, religionem, ac Dei cultum, Sacramentorumque ritus ſpectantia, taceo, quod nonnulla verbo Dei contraria aut repugnantia. Cætera omnia non niſi iurgia; lites, faſtus, pompæ, tum quæſtus ac lucri negotia, Pontificumq́ Romanorum placita, quibus neque ſatis ſunt, qui olim à ſanctis patribus conditi ſunt canones, niſi his continuo accumulent noua decreta, paleas extrauagantes, declaratorias, cancellariæ regulas, vt nullus ſit condendorum canonum finis neq́ menſura, quæ vna omnium Romanorum Pontificum ambitio atq́ libido eſt, condendorum ſcilicet nouorum canonum, quorum eouſq́ excreuit arrogantia, vt Angelis cœlorum præciperent; & ex inferno ſublata præda rapinam facere præſumerent, & in mortuorum manes manum mitterent, etiam in diuinam legem, interpretando, declarando, diſputando nonnunquam tyrannidem exercerent, ne quid plenitudini poteſtatis ſuæ poſſet deeſſe aut derogari. Nonne Clemens Papa in bulla, quæ hodie adhuc Viennæ Limonis Pictauij in priuilegiorum ſcriniis plumbata ſeruatur, præcipit Angelis de cœlo, quod animam peregrinantis Romam pro indulgentiis, & decedentis, a purgatorio abſolutam ad gaudia perpetua introducant? Inſuper, inquiens, nolumus, quod pœna inferni ſibi aliquatenus infligatur, concedens inſuper cruce ſignatis ad eorum vota, tres aut quatuor animas, quas vellent, è purgatorio poſſe eripere: quam erroneam, intolerabilemq́ temeritatem, ne dicam prope hæreſim, tunc Pariſienſis Schola palam deteſtata eſt atq́ corripuit, ſed & fortaſſis pœnitens hodie, quod non hyperbolicum illum Clementis zelum, pro aliquo commento interpretati ſunt, vt res valeret potius quã periret, cum propter eorum affirmare vel negare, nihil mutatur in re & authoritate ſummi Pontificis, ad cuius canones & decreta ipſam Theologiam totã ſic adſtrinxerunt, vt nullus quantumcunq́ contentioſiſſimus Theologus, quicquam audeat ſtatuere, nedum opinari aut diſputare à Pontificum canonibus diuerſum, abſq́ proteſtatione & venia, ceu Rufo canit Martialis:*

Quicquid ait Rufus, nihil eſt niſi venia Rufo,
Si gaudet, ſi flet, ſi tacet, aut loquitur.
Cœnat, popinat, poſcit, negat, innuit, vna eſt
Venia, ſi non ſit venia, mutus erit.

Ex horum præterea canonibus & decretis didicimus Chriſti patrimonium eſſe regna, aſtra, donationes, fundationes, allodia, opes ac poſſeſſiones, ac ſacerdotiũ Chriſti Eccleſiæq́ primatum eſſe imperium, regnum: & gladium Chriſti eſſe iuriſdictionem ac poteſtatem temporalem: & petram Eccleſiæ fundamentum eſſe perſonam Pontificis: Epiſcopos eſſe Eccle-

Eccleſia non miniſtros modo, ſed capita: & bona Eccleſiæ eſſe non modo doctrinã Euangelicam, ardorem fidei, contemptũ mundi, ſed vectigalia, decimas, oblationes, collectas, purpuram, mitras, aurum, argentum, gemmas, prædia, pecunias, poteſtatem: ſummi Pontificis gerere bella, diſſoluere fœdera, ſoluere iuramenta, abſoluere ab obe[dientia]*, & domum orationis facere ſpeluncam latronum, ita quod Papa poteſt deponere Epiſcopũ ſine cauſa, quod poteſt dare rem alienam, quod non poteſt committere Simoniam; quod poteſt diſpenſare contra votum, contra iuramentum, contra ius naturale, & nemo debet illi dicere, cur ita facis? poſſe inſuper graui, vt dicunt, aliqua de cauſa diſpenſare contra totum nouum Teſtamentum, etiam ad tertiam partem & vltra fidelium animas in infernum protrahere. Epiſcoporum vero officium eſſe iam non prædicare verbum Dei, ſed datis alapis confirmare pueros, conferre ordines, dedicare templa, baptizare campanas, conſecrare aras & calices, benedicere veſtes & imagines: quibus vero ſuper hæc altius ingenium eſt, ij relinquentes illa neſcio quibus titularibus Epiſcopis, ipſi regum funguntur legationibus; illorum præſunt oratorijs, aut comitantur reginas, magnam ſatis & grandem ob cauſam excuſati, ne ſeruiant Deo in tẽplis, ſi magnifice venerentur regum in aulis. Ex iiſdem fontibus prodierunt cautelæ iſtæ, quibus hodie citra Simoniam Epiſcopatus & beneficia emuntur venduntúrque, & quicquid præterea eſt nũdinationum & monopoliorum in gratiis, in condonationibus, in indulgentiis, in diſpenſationibus, & ſimilibus rapinarũ formulis, à quibus etiam in gratuitis ab ipſo Deo factis peccatorum remiſſionibus, precium ſtatutum eſt, & inferorum pœnis inuentum eſt lucrum. Inſuper huic iuri debetur illa ementita Conſtantini donatio, cum reuera atque conteſtante verbo Dei, nec Cæſar ſua relinquere, nec Clerus quæ Cæſaris ſunt, ſibi debeat vſurpare. Sed ex multis admodum ambitionis, ſuperbæ ac ty*[ranni]*dis legibus duntaxat aliquas vobis referam, quæ iis, quæ nunc diximus, faciant fidem Sc*[r]*utamini igitur, ſi libet, in antiquis de*[c]*retalibus* cap. Significaſti, & cap. venerabilem de elect. c. ſolitæ de ma. & obed. cap. cùm olim de priuileg. c. ſi ſummus Pontifex de ſent. excom. c. inter cætera de offic. iud. ord. *Deinde* in ſexto Decretal. *quem compilauit Bonifacius Octauus, videte quid loquatur in illius prologo*: & in c. 1. de immunitate Eccleſiarum. *neque cedit iſtis illa arrogãtiſſima Clementina paſtoralis* de ſent. & re iud. cum extrauagante Ioan. 22. *quæ incipit*: Eccleſiæ Romanæ, *& alia eiuſdem ſuper gentes, & extrauagans Bonifacij VIII.*, vnam ſanctam: *Et compilatione denique Gratiani occurrũt nobis* c. Si cuius, d. 14. c. Si omnes, & c. Enimuero, c. In memoriam, c. Si Romanorum, d. 19. c. Omnes, d. 22. c. Tibi domino, di. 60. c. Conſtantinus, d. 69. & c. Quãdo, d. 86. & gloſſ. ibid. & c. Si Papa, d. 60. *Porro etiam accedunt iſtis* 9. q. 3. c. Cuncta, & c. Conqueſt. 15. q. 6. c. Authoritatem,

17.q.4.c. Nemini, 22.q.3. Sunt qui, 23.q.5. Omnium, & q.8.c. Omni, 30. q.1.c. Omnia. *Hos & horum ſimiles canones qui diligenter examinarit, comperiet, cuiuſmodi ſint illa magna & admirabilia abſcōdita myſteria, quæ aliqui Romani Pontifices in ſuis canonibus fructificant, etiam ea, quæ alicubi dicuntur in Scripturis ſacris, conuertentes, & nō nunquam adulterantes, atque illis ſuis figmentis adſimulantes & adaptantes. hinc illæ, quas vocant concordantias bibliæ & canonum natæ ſunt. Accedunt iſtis tot rapinarum tituli de palliis, de indulgentiis, de bullis, de confeſſionalibus, de indultis & reſcriptis, de teſtamentis, de diſpenſationibus, de priuilegiis, de electionibus, de dignitatibus, de præbendis, de religioſis domibus, de ſacris ædibus, de immunitatibus, de foro, de iudiciis & eiuſmodi reliquis, denique totum ipſum ius canonicum omnium eſt inconſtantiſſimum, ac ipſo Proteo atque Chamæleonte mutabilius ac Gordio nodo magis implicitum, ipſaque Chriſtiana religio, à cuius origine Chriſtus finem impoſuit cæremonys, nunc hoc canonum iure plures habeat, quam vnquam olim habuerunt Iudæi quorum pondere addito, ipſum leue ac ſuaue Chriſti iugum nunc redditum ſit omnium grauiſſimum; coguntúrque Chriſtiani plus ex canonum præſcripto quam ex ipſo viuere Euangelio. Tota autem vtriuſque iuris peritia, non niſi circa caduca, fragilia, fluxa, inania, ac profana negotia, vulgique commercia atque contumelias, tum circa hominum cædes, furta, compilationes, graſſationes, factiones, conſpirationes, iniurias, proditiones verſatur. Accedunt ad hæc periurationes teſtium, falſifica ſcribarum, præuaricationes cauſidicorum, corruptiones iudicum, ambitiones conſiliariorum, rapinæ præſidum, quibus opprimuntur viduæ, proſternuntur pupilli, exulant probi, proculcantur pauperes, damnantur innocentes, atque, vt eſt apud Iuuenalem:*

> Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas.

Et cæci homines, quæ putauerunt ſe per leges & canones poſſe euitare, ſibi protinus parauerunt & incurrerunt, quia non ſunt hæ leges & canones à Deo nec ad Deum, ſed à corrupta hominum natura ingenioque profecta, & ad quæſtum & auaritiam excogitata. Hactenus Agrippa.

SENEX. Dura hæc ac nimis quidem dura ſunt quæ Cornelius Agrippa crepat, qui ſiquidē is adhuc eſſet in viuis, iſtam carpendi inſolentiam vix laturus foret impunè. Cæterum, quum conſtet, lubricæ admodum fuiſſe Agrippam conſcientiæ, ipſius iudicium apud cordatos minimè eſt authenticum, quin potius eidē omniū propemodū cōſenſu reclamatur, & tanquam hæreticum merito damnatur. Sed enim, ne & nos eidem omnino adſtipulari videamur, operæ pretium nos facturos exiſtimo, ſi ipſius Iuriſprudentiæ dignitatem ſummamque exiſtimationem propugnemus

atque

atque aſſeramus. Eius autem aſſertionis, ego quamuis Iuriſconſultus non ſim, exordiar telam, Iuuenis noſtri fretus ſubſidio, qui labeſcentem me pro ingenij ipſius dexteritate atque in Iuriſconſultos fauore feruido, quod ſpero, ſubinde ſubleuabit. Initio autem clementiſſimum ſeſe omnibus nobis offert Architectus & Author templi Iuſtinianus Auguſtus Imperator prouidentiſſimus. *l. vnum ex familia 67. §. 10. ff. de legib. 2.* Et piiſſimus, omnia ſua conſilia omneſque actus à diuini nominis inuocatione exordiens, vti apparet *ex l. 2. C. de offic. Præfect. Prætor. Africæ, &c.* vbi hiſce verbis legem auſpicatur: *In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, ad omnia conſilia omneſque actus ſemper progredimur.* Atque hiſce & alijs honeſtiſſimis titulis paſsim in iure ciuili Imperatores inſigniuntur, & præter modo dictos appellantur nobiliſsimi & ſanctiſsimi. *l. 3. ff. de natal. reſtit.* Optimi & Maximi, *in l. 6. in princ. ff. de vacat. & excuſat. munerum:* Piiſsimi & Sereniſsimi. *l. donationes 26. C. de donat.* Diuini, *l. 1. & 2. ff. de his qui ſunt ſui, &c. l. cum hi 8. ff. de tranſact.* Ita vt domus eorum diuina nominetur. *l. ad inſtructiones. 7. vbi gl. & Fulgoſ. C. de ſacro Eccleſ.* Porrò Imperator Iuſtinianus, qui electus Cæſar Roman⁹ Anno Chriſti 527. ante omnia religionis curam ſuſcepit, operamque dedit Imperatoria Maieſtate digniſsimam, nimirum vt quicquid eſſet reliquum contagij hæretici, extirparet, priuando labe Arriana infectos bonis, ſuppliciiſque vindicando. Tria inſuper in gubernatione pacis tempore præſtitit, (præter bella, quibus repreſsi Perſæ, Africa recuperata victis Vandalis, & Italia expulſis Gothis, toti orbi Chriſtiano maximè cõmoda & ſalutaria) nempe templum Iuſtitiæ exſtruxit, Synodum Oecumenicam quintam celebrauit, & denique ædificationes aduerſus repreſsiones Barbarorum fecit, communi Hiſtoricorum calculo, ex quibus ſi totam Imper. vitam repeterem, intempeſtiuam omnibus præſtarem beneuolentiam. Deinde materiam quod attinet, ex qua hoc monumentum ſplendidiſsimum, & inter miracula mundi meritò collocandum ædificatum, de eo Imp. ipſe *in l. 2. §. 20. C. de vet. iur. enucle.* ſic loquitur: *Ne incognitum vobis ſit, ex quibus veterum libris hæc conſummatio ordinata: iuſſimus & hæc in primordiis Digeſtorum noſtrorum inſcribi, vt manifeſtum fieret, ex quibus Legiſlatoribus, quibuſque libris eorum, & quot millibus hoc Iuſtitiæ Romanæ Templum ædificatum eſt, nempe ex duobus pene millibus librorum, & tricies centenis millibus verſuum:* quibus ordine prudẽtię collectis & diſpoſitis, Iuſtinian⁹ adiungens pręcedentium Imperatorũ Reſcripta & Cõſtitutiones, impertiendo iis ſuam autoritatem & ro-

bur, totum opus cõcinnauit. Quippe ipſemet plurimas eaſque optimas leges condidit, & præter eas, *Nouellas*, quibus Ius nouiſſimum concluſit. Ex quo manifeſtè perſpicitur Imperatoriam ſuam maieſtatem non ſolum armis decoratam, ſed & legibus armatam, vindicem atque cuſtodem Iuſtitię acerrimum ſeſe præſtitiſſe. Quare Cæſareæ Maieſtati feliciſſime Imperatori Iuſtiniano: de tanta felicitate ipſi ſoli diuinitus, reliquis omnibus incaſsùm laborantibus, contingente, qua nõ modo materiam colligere, verum quoque à ſumma Nominis ipſius liberalitate collectam pulcherrimo opere exſtruere, exſtructam Iuſtitiæ conſecrare, conſecratam proprium & ſanctiſſimum eiuſdem Iuſtitiæ templum palàm pronũciare voluit. *in l. 1. §. 5. C. de vet. iur. enucl.* deuotiſſima animi ſubiectione gratulantur, atque inſimul gratias Maieſtati ipſius immortali immortales agunt Iureconſulti.

IVVENIS. Imo vero legum initia prima & eminentiſſima coæterna eſſe Deo, nemo ibit inficias: imo ſunt ipſemet Deus, quoniam ex ſapientia & voluntate Dei prodeunt, & in iis ſapientia, prudentia, voluntas & potentia, vt principales facultates includuntur, quæ in ſolo Deo eminentiſſime iunctæ ſunt, teſtimonio Platonis & Picolominei.

SENEX. Deo adſcribendam originem legum, ſacroſanctus Bibliorum Codex teſtatur, ſicut *in Geneſi* legimus, quod Deus Protaplaſtis noſtris in ſtatu innocentiæ adhuc conſtitutis, certam normam & regulam viuendi præſcripſerit, ne ſcilicet arbore vetita veſceretur. Idem propemodum adſeuerant Ethnici ICti. Diis ſuis, hi Ioui, illi Mercurio, alij aliis cauſam originalem attribuentes ex naturali rationis lumine, licet in pluralitate Deorum falſorum aberrarint, & hos ſecuti Imperatores.

IVVENIS. Autorem legum Deum vocat Martianus ICtus *in l. 2. ff. de legibus.* imitatus Demoſthenem. Chryſippus legem omnium diuinarum & humanarum rerum Reginam ſalutat. Denique Deum optimarum legum autorem appellat Imperator. *in Nouel. 109.* quando his verbis palàm profitetur: *Vnam nobis eſſe*, ait, *in omni noſtra Reipub. & Imperij vita, in Deo ſpem credimus, ſcientes, quia hæc nobis, & animæ Imperij dat ſalutem, vnde & legiſlationes noſtras inde pendere competit, & in eam reſpicere, & hoc eius principium eſſe, & medium & terminum.*

SENEX. Addo quod aliquoties in Iure reperiatur, leges diuina illuminatione per ora Principum promulgatas eſſe. Nam, quemadmodum in confeſſum venit verbo Plinij, legum principia Deo vendicanda: ſic vice verſa Deum Regem æternum, Reges & Principes tempo-

rales

tales propter conſeruationem totius vniuerſitatis, hoc iure maieſtatis, facultate nempe condendarum ciuilium & forenſium legum beaſſe, quo pro qualitate vniciuiuſque regionis & ciuium leges ponerent, quod Iuſtinianus venuſte comprobat *in Nouell. 73. in princ.* §. 1. in hunc modum: *Imperium propterea DEVS cœlo conſtituit, vt difficilibus imponat qua apud eum ſunt bona, & leges aptet ſecundum Natura varietatem:* vbi Imperij verbum pro Republ. ſynecdochice, tanquam pro potiſſima parte poſitum Politici autumant, idemque ab ipſo Imperatore *in prin. Nouell. 6.* ſequentibus affirmatur: *Maxima quidem in omnibus ſunt dona DEI, à ſuperna collata clementia, Sacerdotium & Imperium: Et illud quidem diuinis miniſtrans: hoc autem humanis præſidens ac diligentiam exhibēs: ex vno eodemque principio, vtraq́ procedentia, humanam exornant vitam.* Hinc Imperator ſemetipſum poſt DEVM communem omnium patrem pronunciat, *Nou. 98. cap. 2. in fine*: Atque hac ratione tam viuentibus quam morientibus, ſe prouiſurum & proſpecturum pollicetur, *in l. 2. C. commun. de legat.* Quæ omnia tam Veteris quam Noui Teſtamenti & profanorum Authorum teſtimonijs prolixius corroborari poſſent, ſi quis in meridiano Sole lampadem accendere vellet.

IVVENIS. Hoc autem tam ſacratiſſimum Templum, Iuſtinianus ipſi dedicauit Iuſtitiæ, quæ conſentientibus Iuris interpretibus, eſt conſtans & perpetua voluntas ius ſuum cuique tribuendi: anima illa eſt Reipub. *Toloſan 5. de Repub. 5.* Virtus omnium perfectiſſima, iura omnium diſtribuens, præſtantiſſimum inter homines bonum, *Nou. 163.* Quin imo Deo ſimul & Iuſtitia nihil maius exiſtit: abſque his enim nihil vnquam commode geri poteſt, & præcipue in noſtra hac Republ. inquit Imperator *in Nouel. 164.* vt hac ratione, quam rectiſſime reliquas virtutes omnes ſuis amplexibus coarctare, vel potius in ſeſe continere Iuſtitia dicatur, quia eius tanquam Reginæ & matris legum munus eſt, vt actiones noſtras componat, cæteros congruenter gubernet, diſſipatos congreget, congregatos ſeruet, atque Reſpublicas hominumq; tum paruos tum magnos cœtus, aureis ligamentis conſtringat.

EQVES. Grandia nimis de Iuriſprudentia, eiuſque obiecto eructas, quod tamen demum in rem aliquam leuiculam, puta de ſtillicidiis, de alluuionibus, de aqua pluuia arcenda &c. adeoq; in contentionem quandam futilem, de lana, quod aiunt, caprina deſint.

IVVENIS. Imo vel hæc ipſa, quæ futilia exiſtimas, in venditionibus & emptionibus plurium habēt mouenti: Ratione namque incrementi & decrementi fluminum, ad fun- *An Iuriſprudentia tractet res leuiculas.*

fendorum vicinorum commoda & incommoda, venditiones & emptiones, & pacta inter emptorem & venditorem, locationis item, conductiones & retractus in prædijs ruſticis, fluminibus adhærentibus reſtringi aut dilatari poſſunt. Et certe, quam neceſſaria ſit iuris huius cognitio, rerum vſus ipſe indicat, cum tribunalia huiuſcemodi litium iurgijs & concertationibus noſtris præſertim regionibus vndique perſtrepant. Sed & hoc ipſum Aggenus Vrbicus, Gallus in libello de limitibus agrorum, vbi agit de Alluuionibus in hæc verba teſtatus eſt: *Hæ quaſtiones, inquit, maxime in Gallia tota mouentur, quæ multis contecta fluminibus immodicas alpium niues in mare tranſmittit; & ſubitarum regelationum repentinas, inundationes patitur.* Quæ res plerunque poſt exacta longiſſimi temporis curricula, non certa iuris pronunciatione, ſed ob rei hucuſque famoſam difficultatem, vel imperitorum arbitrio Agrimenſorum, vel mutua contendentium pactione, ab ipſa litium & diſpendiorum longæua grauitate veluti extorta finem accipiunt.

Ludouici Viuis de legib. Romanis iudicium.

EQVES. Quid vero de Ludouici Viuis omnium fere facultatum critici acutiſſimi ſimul atque eminentiſſimi iudicio, quod ſuper Romanis legibus edidit, iudicas. Scribit namque: Romanas leges omnes eſſe de conſtituendis litibus, de ijs quæ ad pecuniam pertinent, vt ſua cuique manerent tuta: nullum vero in eis caput, de animo ad virtutem formando, & de morum compoſitione.

Iuriſprudentia verſatur etiam circa explicationẽ Decalogi.

IVVENIS. Paradoxum impudentiſſimum & falſiſſimum eſt, non tantum ijs, qui à primo limine Iuriſprudentiam ſalutarunt: ſed & alijs recte ſentientibus. Nam liquidiſſime omnes deprehendunt, Iuriſprudentiam vberrimam explicationem earum rerum eſſe, quæ in Decalogo, tanquam in albo æterni Prætoris proponuntur. Religionis, quæ primam tabulam reſpicit, frequentiſſima fit mentio in Templo Iuſtinianeo, & iuri naturali accepta fertur, *vt in l. 3. ff. de iuſt. & iur.* apudque omnes gentes ab origine mundi primum æquitatis ordinem ſibi vindicauit, vt quoties de negotio incidente plures concurrerent ſententiæ, ſemper præponeretur illa, quæ religioni propius accederet, *l. 43. ff. de relig. & ſumpt. funer.* Deinde ex hiſtoriis conſtat, omnes populos DEOS ſuos religioſe coluiſſe, & contra contemptoribus eorum ob blaſphemias & execrationes indeſinentes capitales irrogaſſe pœnas, quod Imperator *in Nouell. 77. cap. 1. §. 1.* dilucide confirmat, vbi ſeuere edicit, ne quis per capillos, aut Sacramenta DEI, aut aliquid huiuſmodi

modi iuret, neque blaſphemetur in Deum. Si qui vero blaſphema verba,& ſacramenta de Deo iurant, Deum ad iracundiam prouocantes, digni ſunt, ait Imperator, ſupplicia ſuſtinere: propter talia enim delicta & fames, & terræ motus, & peſtilentiæ fiunt. Ideo mandat Imperator Præfecto Regiæ Ciuitatis, vt tales facinoroſos vltimis ſupplicijs ſubijciat. Quod ſi neglexerit Præfectus, primum quidem obligatus erit Dei iudicio: poſt hæc autem & noſtram (addit Imperator) indignationem ſuſtinebit. Præterea prima tabulæ præcipit, vt diem Sabbathi ſanctificemus. Nunquid igitur Iuſtinianus hac de re habet? Sane plurima, & pondere grauiſſima: Sed temporis inopia ab enumeratione plerorumque me excludit. Modo allegata lex 3. *ff. de Iuſt. & iur.* quæ appendix eſt præcedentis legis, ita incipit: veluti religio erga Deum, quæ vox generaliſſima, religio nempe, vniuerſum Dei cultum complectitur, cui congruit totus titulus Digeſtorum & Codicis *de ferijs.* Specialia obuia ſeſe ferunt complura, in citatis titulis & pluribus alijs. *In l. 2. C. de ferij.*, vocatur dies Sabbathi, dies Dominicus, in *l. 3.* dies Solis, in qua Imperator Conſtantius Elpidio reſcribit, in hanc ſententiam: *Omnes Iudices, vrbanaq; plebes, & cunctarum artium officia, venerabili die Solis quieſcant: Ruri tamen poſiti agrorum culturæ, libere licenterq; inſeruiant: quoniam frequenter euenit, vt non aptius alio die frumenta ſulcis aut vineæ ſcrobibus mandentur, ne occaſione momenti pereat commoditas cæleſti prouiſioni conceſſa*: Quod ſacris literis cõſentaneum ſummis Theologis atteſtantibus. In ſequentibus legibus vtpote 7. 8. 9. & præſertim *in l. finali*, idem ſancitur, dum in ea Imperator Leo & Anthemius in hæc verba reſcribunt: *Dies feſtos Maieſtati altiſſimæ dedicatos, nullis volumus voluptatibus occupari, nec vllis exactionum vexationibus profanari. Dominicum itaque diem ita ſemper honorabilem decernimus & venerandum, vt à cunctis executionibus excuſetur, &c.* Verum enimuero omnia afferre longum & indecens maxime eſſet, cum ex adductis ſatis luculenter pateſcit, quod Imperatores tanquam cuſtodes vtriuſque tabulæ, rectiſſime faciunt, quãdo eius violatores ſeueriſſimis pœnis affligunt. Quis enim quæſo alius hoc præſtabit, Theologus? minime: ſiquidẽ hic punit delinquentes tantum pœna conſcientiæ: Ille, politicum volo, pœna temporali. Theologus de Deo quærit, quid ei tribuendum, &c. Politicus, quomodo quod Deo venit tribuendum, etiam à nolente poſſit obtineri: Theologus concionatur, Deus iraſcitur Atheis, Blaſphemis, Hæreticis, Adulteris, &c. Politicus hoc arripit, ſi ita eſt, vtiq; cogam meos ſubditos, velint nolint, vt abſtineant, medio quodam

IVVENIS. Hoc itidem alij ſucceſſores in Romano Imperio obſeruantes ſuis ſanctionibus confirmauerunt, vtpote *in l. 2. C. Qui & aduerſ. quos in integ. reſt. &c.* Vbi Imp. Iuſtinianus liberos & libertos conquerentes de parentibus & patronis, quaſi non rite in eos verſatis in integrum non reſtituit, pondere naturali, vel patronali reuerentia, huiuſmodi petulantiæ refragante, vt hac ratione in omnibus honor parentibus & patronis, illibatus atque intactus maneret. Imo quod maius eſt, liberos, quos alioquin ſpes ſucceſſionis in obſequio retinere ſolet & debet. *l. nec ei permittitur. 17. §. 3. ff. de adopt.* Petulantes Imperator *in Nouell. 115. cap. 3.* ab hæreditate parentum excludit. Præterea, quod Viues aſſerit, nihil quicquam reperiri in Iuriſprudentia de reliquis virtutibus, ad quas animus omnino formandus, calumnia eſt. Nam quid, obſecro, in omnibus iuris articulis iniungitur aliud, quam vt ſecundum virtutem, honeſte viuamus, neminem lædamus, ſuum cuique tribuamus. Nonne iuſtitia virtus, cuius fundamentum eſt amor. *c. vbi ſana. 24. q. 1.* cuius extremus gradus Deum ſpectat. *c. cui portio. 12. q. 1.* Sed quo ad homines, primus eſt & ordine & conſtantia, quo quilibet proximus ſibi eſt. *l. Thais. 41. §. 1. ff. de fideicommiſ. libert.* Vnde in præiudicium alterius conditionem ſuam licet meliorem facere, dummodo non fiat animo nocendi, *l. 3. § quod ait. 7. ff. d. incend. ruin. &c.* Ex quo vulgatum illud, ordinatam charitatem incipere à ſeipſo, quam negligere durum eſt, & crudelitati proximum. *l. 6. C. d. ſeruit. & aq.* Alter gradus continet amorem in proximos, omnium bonorum radicem, *c. quia 13. de pœn. diſtinct. 2.* Intereſt ergo hominis, hominem beneficio affici, dicente IC. *in l. 7. ff. de ſeru. exportan. l. ſi pignore 54. §. 1. ff. de furt.* Nonne amicitia inter virtutes à Philoſophis collocatur, quæ in iure maximum pondus habet, nec vllo pretio æſtimatur. *l. non eſt. 176. ff. d. Reg. I. l. is qui amicitia. ff. de negot. geſt. l. 3. ff. de donat. int. vir. & vxor. l. ſancimus. C. de pœn.* Quid de temperantia pronunciandum, nonne ea virtus eſt, & quidem caſta Diana morum, vt Iuſtitia ſapiens mater legum. *Caſ. lib. 7. Sphera Ciuit. c. 15. l. 25. ff. de probat. l. 3. §. 1. ff. vbi pupill. educari &c.* Quo numero habenda ſit fortitudo, ius noſtrum perhibet, *in l. 6. ff. Quod met. cau. l. quod eſt. 3. §. ſi quis. 6. ff. de vi & vi armat. Nouell. 66. in princ.* vbi fortitudo populi Romani placitis ſupra omnes virtutes extollitur. Nonne gratitudo mater virtutum, teſte Tullio, *l. ſed etſi lege 25. §. conſuluit. 11. ff. de petit. hered.* Contra ingratitudo admodum odioſa eſt, vt in iure puniatur. *l. 1. l. fin. C. de reuoc. donat. l. 1. & 2. C. de libert. & eor. lib. l. fin. Cod. de ſecund. nupt.* Cum enim abſurdum ſit, eum, qui

Iuriſprudentia virtutes tractat.

beneficium accipit, non conari ad talia referenda, multo magis is quoque dandi & accipiendi beneficium tollit, qui bene merito parem gratiam referre negligit, &c. Quid quæſo de fide tenendum? Nonne ea omnibus rebus ſumme eſt neceſſaria. *l.2. in fin. ff. de adminiſtr. rer. ad ciuit. pertinent. l. bonam fidem.4.C.d. obligat. & act.* Imo fides ſumma virtus in principe dicitur, *in l.8.C. de ſumm. trinit.* & conſtantiam continet, excluditque leuitatem, cui amica eſt credulitas, quæ quando nimia, reprehenditur. *l.1.§.1.ff.de eo.per quem fact.&c.l. accuſationem. 6.C. de accuſat.* Et denique fidei congruit, ne de alieno lucrum quis ſentiat. *l.10.§ 3.ff.mandat.* De prudentia, & quidem iuris paulo poſt breuiſſimis: Etenim ſi de illa cæteriſque virtutibus, atque bonis moribus, omnia ex iure percenſerem, non vnus ſed plures dies me deficerent: Cum, quæ bonis moribus aduerſantur, pro nullis habeantur. *l.ſed neque 8.in fin. ff.de vſu & habit. l.alia.14.§.1.ff.ſolut. matrim. l.ſi quis.112.§.pen.ff.de legat. 1 & in plurimis alijs.* Imo ſæpe numero boni mores præferuntur diuitijs, quia in *l. ſcire oportet 12. §. 5.ff.d. Tutor. & Curat.&c.* non tantum magiſtratum oportet facultates & dignitatem Tutorum & curatorum creandorum inueſtigare, ſed in primis mores.

Virtutes aliter ab Ethico aliter à politico conſiderantur.

SENEX. Sed enim quæ de virtutibus in medium allata ſunt, accipienda magis Politice, quam Ethice: ſiquidem non eadem ratione virtutes ab Ethico & Politico conſiderantur, licet diſputet & affirmet Ariſt.3.*Politicor.12.& 7.c.7.*vbi Caſus & Bodin.*1.de Rep.1.* Per eaſdem, ſcilicet, res, & virum bonum & ciuitatem bonam conſtitui, item eandem eſſe ſingulorum & omnium felicitatem: In contrarium tamen, vt inclinem, multa faciunt. Nam differunt hæ conſiderationes fine: Ethica ad virtutem ſimpliciter, Politica relate ad vtilitatem Reip. reſpicit, & ſæpius virtutem, quam Ethicus præclare commendat, Politicus reijcit, quia legum placita temporibus æſtimat. *l. quæſitum. 12. §. ſed ſi fundus. 27. ff. de inſtruct. vel inſtrum. legat.* Nou.69.*in prin. & 94.c 1.* Ille, videlicet, Ethicus, quaſlibet virtutes recipit, hic, nimirum, Politicus, tantum accommodas Reipub.ſuæ. *Nou.14.§.ſancimus*: Ille ratione perſuadet: hic imperat ſanctione. *Nou. Leon.61.* Ille habitũ virtutis reſpicit: hic ſimplicem actum. *l.fin. C. de donat int.vir.& vx.*Nou.*143.* Sint igitur ex vtraque parte multa ſimilia, tamen recte dicemus cum Fabio, multa fiunt eadem, ſed aliter: *Bod. 4.c.3.Picol.grad.4.c.8.Caſ.lib.8.c.2.q 1.* Dicis gratia: diſſimulatio maxima virtus apud Politicos, qui enim neſcit diſſimulare, neſcit imperare: Multa ſimulare licet, vera animo clauſo diſſimulare, quod ſi non fieret,

ret, & omnia ad lapidem Lydium examinarentur, in periculoſiſſimas calamitates, Politiæ ipſæ conijcerentur.

Eqves. Templum Iuſtitiæ hactenus magnifice erexiſtis, mirifice etiam exornaſtis. Cum vero in more poſitum ſit, vt in Templis habeantur conciones. Quæſo quænam & à quibus habentur in Templo iſto veſtro conciones.

Ivvenis. Imo habentur equidem in hoc noſtro templo Conciones admodum inſignes, nimirum de ſanctiſſima Iuriſprudentia, auriga vitæ humanæ (verbo Platonis) diuinarum atque humanarum rerum notitia, iuſti atque iniuſti ſcientia, quam etiam clariſſimi Philoſophi Plato & Ariſtoteles non modo artium, ſed & ſcientiarum omnium moderatricem & Architectricem definierunt, cuius originem, progreſſum, & vtilitatẽ, ſi penitius introſpiciamus, Iuriſprudentiam ortu & authoritate ſacroſanctiſſimam, dignitate eminentiſſimam, fructu maximam, cultu iucundiſſimam, cunctarum pene gentium ſtudijs & honoribus, vndique celebratiſſimam eſſe, omni ætate, omnium recte ſentientium ſuffragio & conſenſu iudicatum inueniemus. Quippe ſi origo, authoritas & antiqua dignitas eius altius apud animum repetatur, omnibus de facili innoteſcit, iuris naturæ prudentiam, numeris ſuis perfectiſſimam, ab authore Deo Protoplaſtorum animis primitus inſpiratam vt hac ratione, ſi non ſupra reliquas diſciplinas extollenda, certe exæquanda veniat. Nam quod Adam primus parens, Deum creatorem ſuum cognouerit, & coluerit, abſq; omni dubio, principijs iuris naturæ, quæ volunt, vt ſuum cuique tribuatur, accepto ferendum eſt. Poſtea cum æternum deploranda primorum parentum inobedientia, tenebris plus quam Cimmerijs prudentia iuris naturæ obfuſcata eſſet, in monte Sina ſolenni feſtiuitate a diuina promulgatione reſtaurata, atque eius igniculi, recenti quaſi afflatu reſuſcitati & renouati ſunt. Si vero progreſſus, cultus, & per tot ſecula continuata eius propagatio, accuratius expendatur, tam ex ſacris quam profanis Hiſtoriographis euidentiſſime demonſtratur, prudentiam iuris non ſolum à Prophetis, Apoſtolis, ac Chriſto ipſo, ſupremo Iudice, pio ſenſu explicatam & conſeruatam: Verum quoque ſubſequentium temporum memoriâ, à Iuriſconſultis & Imperatoribus Romanis, alijſque plurimis, eiuſdem cultoribus, iugi diligentia & cura excultam, literis mandatam, atque in viridi obſeruantia à ſuperioribus & præſentibus Romano Germanicis Cæſaribus ad noſtram vſque ætatem iam exiſtentem, tranſmiſſam.

Templi Iuſti[tiæ perm]anent conciones.

Hæc tollit fraudes: hæc vana ſophiſmata pandit,
Liberat inſontes, inſidiaſque notat.

SENEX. Hinc nimirũ eſt, quod legumlatores & Iuriſconſulti ſemper ad clauum Rerumpublicarum excubuerunt.

IVVENIS. Romanos certe antiquiſſimos illos iuſtitiæ conſultos & æquitatis antiſtites, conſtat ſumma in Republica geſſiſſe munera, puta conſulatum, Sextum Ælius, Sempronius Coruncanus, Sulpitius, &c. Decemviratum, Appius Claudius & plurimi alij.

Iuriſconſultorum apud viros principes eminentia.

Deinde Democratico & Ariſtocratico ſtatu ſublato omnique iure & poteſtate lege Regia in Imperatores tranſlato, non modo Iuriſperitis, facultas reſpondendi de iure à Cæſaribus data eſt, ſed quoque iidẽ, ab illis in conſilium adſciti ſunt. Sic conſiliariis ſtipatum legimus fuiſſe Caium Cæſarem Quinto Pedio & Cornelio Balbo: Adrianum Celſo Saluio & Neratio, Seuerum Papiniano, Cambyſem Praxaſpe, Dionyſium Platone, Darium Zopyro, & alios alijs, vt nihil verius enunciato Velleij Paterculi videatur: Raro eminentes viros, non magnis adiutoribus ad gubernandum fortunam ſuam vſos fuiſſe. Ad eundem modum numeroſiſſimum conſilium habuit Alexander Seuerus, aſſerente Lampridio, nimirum Alphenũ, Marcianum, &c. inter quos Vlpianus & Paulus vertices legum dicti, Pomponius legum peritiſſimus, Papinianus iuris aſylum, *Toloſan. lib 24. de Rep. cap. 4.* Adhæc Theodoſius & Valentinianus *in l. humanum. C. de legib.* ad Senatum ſcribentes, *Humanum*, inquiunt, *probamus, ſi quid de cætero, in publica priuataque cauſa emerſerint neceſſarium antiquis legibus non inſertum, ab vniuerſis proceribus Palatij noſtri debet tractari, & cum omnes conſenſerint, noſtræ ſerenitatis authoritate firmabitur: Bene enim cognoſcimus, quod cum veſtro, Patres conſcripti, conſilio fuerit ordinatum, id ad beatitudinem noſtri Imperij & ad noſtram gloriã pertinere.* Inde profectum eſſe exiſtimo, vt Imperatores ſubſequentes, Iuriſconſultos amicos ſuos & nobiles & nobiliſſimos appellarint, veluti de Diuis fratribus, quo nomine intelligendi Antoninus Pius & Commodus *in l. 17. ff. de iur. Patron.* extat *l. 2. & 4. ff. de Excuſ. Tutor. l. 2. §. 5. ff de ijs qui pet. tutor.* Alexander Vlpianum Tutorem ſuum tanto amore complectebatur, vt cum milites impetũ in ipſum facturi eſſent, purpura eum texerit. Iulianus Imper. non erubuit gloriari, ſeſe ex Iurecõſulto Saluio Iuliano natum eſſe. Ita Iuſtinianus Iuriſconſultum Caium ſuum nominat *in proœmio Inſt. §. pen. & in §. 5. Inſtit. de public. iud.* Tribonianum vero & Theophilum iuris anteceſſores, quorum opera in exædificatione Templi Iuſtinianei feliciter vſus eſt, in deliciis habuit, nec

ſolum amicos, ſed Patres ſuos optimos nominauit. Atque hoc non immerito. Ex quibus omnibus & ſingulis ſatis luculenter perſpicitur, præcipuos Impp. vtputa, Adrianum, Anton. Pium, Anton. Philoſophum, Alexandrum, Traianũ, & alios, in omnibus fere conſiliis ſuis, Iuriſperitos adhibuiſſe, atque eã ob cauſam ſummos fuiſſe Impp. quod eorum deliberationibus, pacis belliqué tempore Remp. adminiſtrarint, annotante Lampridio *in Seuero.*

SENEX. Sanè in Iudice Pandectarum extat plurimos ex Iuriſconſultis, de re militari ſcripſiſſe: Ita Gellius Cincium, de re militari ſex libros compoſuiſſe teſtis eſt. Ad hęc ex hiſtoriarum monumentis manifeſtum redditur, quod etiam Iuriſconſulti militiã exercuerint, quemadmodum Trebatius ſub Iulio Cæſare, Frontinus ſub Traiano, & alij ſub aliis. Quinimo tantum Iuriſcõſultis tribuebatur, vt Traianus, quo apud maiores, teſtibus Politicis & Hiſtoricis, vel felicior, vel melior, in Rep. Romana non extitit, in animum induxerit, Neratum Priſcum Iuriſconſultum, non Adrianũ ſucceſſorem relinquere. Et ſanè tum temporis, quo viri ſapientes & Iuriſperiti circa latus Principum verſati ſunt, res Romanæ, quæ Medicis quidem per 100. annos, Iuriſcõſultis vero ne quidem per vnicum momentum carere potuerunt, teſtimonio Bodini, inſigniter floruerunt. At vero ſæua miſeraq; Imperij facies apparuit, quando ad eius gubernacula ſederunt Impp. Caligula & Caracalla, quorum alter Iuriſconſultos omnes è rerum vniuerſo idcirco eliminare conatus eſt, vt nihil præter, Eccum, hoc eſt, ecce eum, Principem ſcilicet, reſponderi poſſit: Alter Papinianum maximum Iuriſconſultum ob nõ excuſatum parricidium interfecit.

EQVES. Ludouici Viuis iudicium de legibus Romanis acriter perſtrinxiſtis. At vero is nõ priuata, ſed aliorum puta Suidæ & Procopij autoritate nixus quod ad hanc rem attinet, pleraq; illudq, inter cætera, eorundem autoritate ſcripſit: Tribonianum conſueſſe leges vendere pretio, & tales figere ac refigere, quales congruerent iis, qui plurimum numerarent.

IVVENIS. Huic dicterio putrido nullus ſanus Hiſtoricus, Politicus aut Iuriſconſultus vnquam ſubſcripſit. Addo quod Imperatoriam maieſtatem lædere videtur, dum Impp. eiuſdẽ accuſat criminis, quo Iuriſconſultos nimirum non minus eſſe libidinum & corruptorum affectuum in eorum reſcriptis, quam in prudentum reſponſis.

EQVES. Sed plures (inſit Viues) concedunt temporibus, amicitiis, inimicitiis.

IVVENIS. Ne ſutor vltra crepidam. Iure & merito Cæſares hoc faciunt.

In legibus condendis Geometrica non Arithmetica proportio ſeruanda.

ciũt. Quippe in Reip. gubernatione, atteſtante Bodino, & aliis tã Politicis, quam Iuriſcõſultis, Geometrica nõ Arithmetica proportio obſeruãda, pręcipuè in diſtributione munerum & dignitatũ, item tam in pœnis quam in præmiis ob diuerſitatẽ ingeniorũ, volũtatũ, bonorũ, cõſiliorũ, factorũ, meritorũ, in Remp. qua ratione grauius in delicto punitͤ ſeruus, quam liber, plebeius quam nobilis, &c. Accedit inſuper & hoc, ꝙ ſi Princeps, alicui quid ob meritum indulgeat, vel etiã ſine exemplo ſubueniat, perſonam nõ ingrediatur. §. *ſed & quod Principi. Inſt. de iur. nat. & tot. tit. ff de cõſtit. Princ.* volũtas enim principis lex eſt, à qua recedere, nemini integrum, etiamſi dura videatur, & inuidioſa, *l. 12. §. 1. ff. qui & à quibus. & l 1. C. de caduc. toll.* Quia ſolius Principis eſt æſtimare & interpretari legem, an lex æqua vel iniqua, *l. 1. C. de ll. Nouell. 143. c. inter alia 31. extra, de ſentent. excomm.* Nec de iure ſancito licet diſputare, *c. 3. diſtinct. 4.* ſiquidem diſputandi libido, cum naturalis hominum ad diſſentiendum ob infinitam ingeniorum varietatem, *l. 26. §. libertus. ff. de condict. indeb* ſit facilitas. *L. idem. 17. §. principaliter. ff. de arbitriis,* apud ſubditos etiam iuſtiſſima euerteret. *Nouell. 44. c. 1. §. 3.* non tam ex ratione. *c. dilectiſſimi. 8. q. 2. & c. horrenda. 32. q. 5.* quod quę ſemel placuerunt, amplius diſplicere nõ poſſunt, quam ne ipſa Reſp. peſſundetur, idque futurum apparet ſi æquales diuerſa iuberent, nõ bonitate, ſed detrectandi malitia: Equidem in partes ita tota ciuitas ſcinderetur, Quẽadmodum ergo ſeditionis cauſa moram non recipit, *l. 6. §. quid tamen 9. ff de iniuſt. rupt. & l fin. §. 1. C. de cuſtod. reor.* Ita omnem ſeditionis occaſionem, pręcidere prudentiſſimum eſſe rectiſſime cenſent Politici. Apponendum inſuper hoc, quod Princeps non facilè credatur contra ius commune & publicam vtilitatem quicquam concedere, vti repetiit ex interpretibus Andreas Geil.

EQVES. Iterum in ſcenam vobis produco Ludouicum illum Viuem, qui Iuriſcõſultos altercationes ſerere incuſat, ne fame ipſis pereundum ſit. Adducerem quoq; denuo velut in ſupplementũ, ipsũ Corneliũ Agrippam, ſed vereor, ne iterata iſtius allegatione odioſus hactenus Agrippa, fiat vobis magis odioſus. Sed n. mihi aliquam dabitis adhuc ſemel, antequã hoc noſtrũ finiamus colloquiũ, veniam, ſi inſaniẽtem illum aduerſus Iuriſconſultos eorũq; interpretes in proſcœnium produxero Agrippam; quum enim ipſi⁹ quippe hominis, leuitatis imo prauitatis Magicæ nota inſignis, iudiciũ, quod antea à nobis dictũ, tantopere nõ æſtimetur, proindeq, nemo prudẽs, quamuis equidem ad effrænatã ipſius ſcribendi inſolentiã irritetur, nemo inquam prudens tamẽ ad iracũdiã deſuper cõcitetur, itaq; & vos pro humanitate veſtra ac diiudicãdi

dexte-

dexteritate inſigni, allegantem me quædam hanc materiam concernentia, benignè audietis. Is vero in ſæpe ſuperius allegato vanitatum libro *cap. 95.* ſic inſtigante vanitatis ſpiritu intonat: Huc ſpectant, inquit, etiam vaſtiſſimi illi gigantes, qui nobis cõtra Iuſtiniani edictum, tot gloſſarum, commentariorum, expoſitionum, ingentia innumeraque volumina, vno quoque illorum aliter & aliter interpretantę genuerunt. Præterea tot opinionum procellas, tot vaferrimorum conſiliorum ac cautelarum ſyluas infeliciſſima fœcunditate parturierunt, quibus aduocatorum inſtruuntur nutriunturque nequitiæ, qui tam celebri illorum iuriſperitorũ per ſingulas periodos, & (vt vocant) paragraphos, nomenclatura pudorem ſuum obſtringunt, ac ſi non potius rationibus conſtet veritas, quam confuſis teſtimoniis, ex tam negãtium opinatorum colluuie adductis, penes quos tanta laus eſt contentio atque diſcordia, vt qui non diſſenſerit ab aliis, qui neſcierit nouis opinionibus aliorum dictis cõtradicere, ac iudicata omnia in dubium reuocare, & bene inuentas leges per ambiguas expoſitiones ad ſua figmenta adaptare, is parum vel nihil doctus habeatur. Hinc tota illa Iuriſprudentia facta eſt conſiliũ peruerſum & ſubdolum rete iniquitatis: hæc ſunt ingenia, hæ artes, quibus hodie regitur orbis Chriſtianus, quibus conſtituuntur imperia & regna, & principatus populorum, atque ex his nebulonibus deliguntur Principum, Pontificumque officiales, atque parlamentarij, ſenatores & præſides, ac ſi qui iniqui hactenus fuerint aduocati, æquiores futuri ſint iudices, atque tandem capita regnorum ſunt. Hi etiam regibus ſuis, vt Ioui quondã Titanes, formidabiles. Porro ex his prodeunt tandem Cæſarum, Regumque ventricoſi iſti archiſcribæ, ac circumpurpurati cancellarij, quibus rerum ſumma commiſſa eſt, qui Principum placita, dona, beneficia, officia, dignitates, reſcripta, diplomata: præterea ius, fas, leges, æquum & honeſtum, omnia venalia habent, & abs ſe mercari compellunt. Ex quorum arbitrio regum numerantur amici & inimici, quos pro libidine ſua nunc fœderibus iungunt, nunc rurſus funeſtis bellis committunt. Atque cum ipſi ex infima plebis fece ſordidiſſima vocis proſtitutione, ad tantum dignitatis culmen conſcenderint, ad tantum ſimul audaciæ ſcelus euehuntur, vt audeant nonnunquam proſcribere Principes, & vel abſque ſenatuſconſulto, vel indicta cauſa damnare capitis, mutandiſque regnorum ſtatibus auhores ſunt, ipſi interim tumentes furtis & latrociniis ſuis. Hactenus Agrippa.

IVVENIS. Non magis me iſtæ Ludouici Viuis, aut etiam inconſulti

ſulti illius Cornelij Agrippæ, qui egregiè ſcilicet Cornelizauit, inuectiuæ irritant, quam cuiuſdam Poëtæ in Iuriſconſultos luſus huiuſmodi:

Nempe poteſt Momus Iuriſconſultus haberi,
Et merito; nam ſcit reddere cuiq; ſuum.

Quippe quod ſerium in hoc carmine prima fronte apparet, in iocum tandem ac riſum deſinit. Quod náque Viues obgannit, Iuriſconſultos altercationes ſerere, ne fame ipſis pereundum ſit; huic ipſius garritui expreſſe contradicit Imperator *in Nouell.1.* vbi Iuriſperitis opum affluentiam, mortemque pacatam ac placidam affore innuit; neque ipſius Viuis garritus vlteriori indiget refutatione, contraria experientia contrarium approbante. Et quamuis adhuc hodie Viues temeritatis & impudentiæ ſuæ aſſeclas habeat, non modo pares, verum etiam maiores tam inter laicos quam alios homines de Schola, vt Politici nuncupant, æquè anteceſſoris ſui veſtigiis inhærentes, Iuriſtos, aureos & argentos homunculos, auro argentoque leges figentes refigenteſque ad inſtar Sophiſtarum Athenienſium appellitant, attamen huiuſmodi malè feriatorum impoſtura, bonorum Iuriſperitorum exiſtimationi nihil prorſus detrahere poteſt: Etenim ad euanidam hominum gratiam, nominis ſui gloriam, & auram popularem captandam, ex bona cauſa hodie malam, & ex mala bonam facere, non Iuriſconſulti, ſed Sophiſtæ, & Pſeudoiuriſconſulti dedecus eſt.

SENEX. Sanè inter Theologos, Medicos, Philoſophos, reliquoſque in ciuili ſocietate ſtatus, deprehendimus etiam quoſdam, qui contra bonos mores ſua importunitate peccando, optimam optimorum famam, apud graues & cordatos viros ſuggillant, & ſuſpectam reddunt, vt nomen Dei inter gentes blaſphemetur, teſte D. Apoſtolo *ad Rom.2.*

EQVES. Nolo Ego vobis nugis meis amplius eſſe moleſtus. Ingenium, Genium, noſtis, minimeque tumentem Mentem, atque hęc Pietas eſt bene nota. Noſtis Diogenis illius ſententiam, qui, ad ſalutem opus eſſe dicebat aut fidis amicis, aut acrib⁹ inimicis: eo quod illi monent, hi redarguunt, vtriq; diuerſis quidem modis, dum per eos, errores & vitia noſtra diſcimus.

SENEX. Noli hac vice eſſe ſolicitus. Candorem tuum animaduerto, qui tibi á primis annis, cum modeſtia adhuc candidata fuit, innatus videtur. Multa Iuriſconſulti loquuntur remiſſiuè, tu non-remiſſiuè demum, ſed quod res ipſa eſt, ſeu potius, prout alij rem ſcaphamque adeo ſcapham, dicunt, proloqueris, idque ſiue in laudem ſiue in vituperium vergat, parum equi-

In Antiſthenes temeraria inuectiua.

dem æſtimas. Neque enim es Antiſthenemaſtyx, de quo obiter hâc habetote obſoletam quidẽ, at memorabilem tamen hiſtoriam: Zeno Citticus quendam dicentem, ſibi in multis diſplicere Antiſthenẽ, abuſus Sophoclis dicto, rogauit, nũ aliqua haberet Antiſthenes quæ placerent? Ille reſpondit, ſe neſcire. At Zeno: Et non te pudet, inquit, ſi quid ab Antiſthene perperã dictum eſt, excerpere ac meminiſſe: ſi quid recte dictum, id nec animaduertere quidem nec tenere.

EQVES. Scio quid velitis, non eſt opus, vt amplius vobis reſpondeam. Interim, cum iam receptui canere inuiti cogamur, hoc vnum à Iuuene ſcire expeto, vt, cum ad Cameram quam vocant Imperialem, lites quæ alicuius magni ſunt momenti, pro ſtatutis ac conſuetudinibus ſoleant deuolui, quænam ibi vigeant obſeruantiæ, breuibus exponere ne grauetur. Fieri namq; facilimè poteſt, vt quis iam non dico per lapſum fatalium quæ vocant, quum vigilantibus iura ſubueniãt, ſed vel per ignorantiam Deputatorum, qui omnino debito modo compellandi ſunt, cauſa cadere queat.

Cameræ Imperialis quæ conditio.

IVVENIS. Expertum forſitã Rupertum audio diſcurrentem. Dicam tamen atque exponam quod cupis. Et quoniam Cameræ iudicium in Imperio Romano Germanico præcipuum eſt, paucis vero idipſum cognitum eſt, illud non tam tibi quam aliis explicabo, eaque proponam, quæ de hoc iudicio inprimis nota eſſe expedit. Studio autem illorum, qui Cameræ Imperiali incorporati ſunt, nomina propria omitto, quorum quidem conſignationem iam nunc depromere vobis poſſem, ſed quia ob religionis inter ſeipſos diſcrepantiam facile cuipiam poſſet inici ſcrupulus, quinimo quoad ipſas incorporatorum perſonas, momentanea veluti duntaxat ſubeſt poſſeſſio, ipſa duntaxat nomina appelatiua recenſebo. Primo autem huius iudicij ſignificatio præcipue quadruplex eſt. In prima denotat locum, diiudicandis totius quaſi Romani Imperij controuerſiis electum, qui eſt vrbs Imperialis Spira. Hunc locum nec Iudici & Aſſeſſoribus mutare, & in alium iudicium Cameræ ſine Imperatoris & Statuum Imperij cõſenſu transferre licet, *ſecundum Ordinationem Cameræ part. 2. tit. 34.* Si vero periculum belli & peſtis adſit, locum mutare poſſunt. *Ordin. Cam. d. part. 2. tit. 34.* in altera ſignificatione non tantum locum, ſed ſimul totum Imperiale Conſiſtorium cum omnibus ſuis iuribus & priuilegiis indicat. Ita accipitur cum dicimus, Cameræ Iudicium ordinariam habet iuriſdictionem. *Gail. obſ. pract. lib. 1. obſ. 41. num. 5.* In tertia ſignificatione ciuilem intelligimus diſceptationem

nem apud eos inſtitutam, qui decidendis ciuilibus controuerſiis in Camera ſunt præpoſiti. In quarta vero ſignificatione proceſſum ſeu ordinem procedendi denotat, Hinc crebra apud Pragmaticos de Iudicio & proceſſu Cameræ fit mentio. Ex quo dicitur iudicium ſeu proceſſum appellationis ob omiſſam litis conteſtationem non vitiari. Item ſi iudicium ſeu proceſſus nullus ſit, etiam ſententiam nullam eſſe. Interim tamen & hoc obſeruandum venit, interdum citationes, mandata, & alia eius generis iudicum decreta vocabulo proceſſus ſignificari, *ſecundum Ordinationē Cameræ part. 3. tit. 12. §. 1.* Hinc dicitur, proceſſum in Camera non niſi fundata eius iuriſdictione obtineri. *Mynſ. centuria 2. obſ 9. &* in obtinendo proceſſu tātis per ſupplicantis narratis fidem adhiberi, donec in proceſſu cauſæ contrarium probetur. *Geil. obſ. pract. lib. 1. obſ. 31. nu. 1.* In prima ſignificatione ita definitur ab Obrechto *diſp. 11. c. 1. theſ. 71.* quod ſit Imperialis iudicij ſedes ab Imperatore & Statibus Spiræ diiudicandis controuerſiis cōſtituta. In altera ſignificatione definit, quod ſit Imperiale Conſiſtorium, Spiræ multis cū priuilegiis ab Imperatore & Statibus conſtitutum, in quo totius Imperij controuerſiæ proponuntur & diiudicantur. In tertia ſignificatione definiri poteſt, *ſecundum Obrecht. d. diſp. 11. th. 73.* quod ſit legitima ciuilis cauſæ diſceptatio coram Iudice & Aſſeſſoribus Cameræ à litigatoribus inſtituta, vt eorum officio controuerſia legitime componatur. In quarta vero ſignificatione Iudicium Cameræ definiri poteſt certus procedendi ordo, conſtitutionibus Imperij ad diſceptandas & decidendas controuerſias præſcriptus. *Obrecht. d. diſp. 11. th. 75.* Iudicium Cameræ poſt alias Iudiciorum diuiſiones ſupra poſitas in tertia ſignificatione diuidi poteſt in Iudiciū Audientiæ, & in Iudicium Senatus *Obrecht. theſ. 75. diſp. 11.* Iudicium Audientiæ eſt ſolemnis Iudicis & Aſſeſſorum conſeſſus, in quo Procuratores audiuntur, ſiue viua voce cauſas proponunt. *Obrecht. d. diſp. 11. theſ. 177.* Hæc vel eſt ordinaria, vel eſt contumaciarum, vel eſt quæ fit coram deputatis, *ſecundum Ordinationem Cameræ part. 1. titul. 14. & part. 3. titul. 1.* In ordinaria ſatis eſt, Iudicem Cameræ vna cum Comite vel Barone, & quatuor Aſſeſſoribus adeſſe. *Obrecht. dict. loc. theſ. 179.* In contumaciarum audientia Comes vel Baro, & duo Aſſeſſores adeſſe debent: at in audientia, quæ coram deputatis fit, duo Aſſeſſores, ſpecialiter electi, adeſſe debent. *Ordinat. Camer. dict. part. 3. titul. prim.* Sic etiam alia audientia eſt cauſarum fiſcalium, alia cauſarum non fiſcalium. Cauſæ fiſcales ſunt cauſæ contributionum, collectarum & ſimiles. In his ſemper de Saturni ante dicto

meridiem, æſtiuo quidem tempore ab hora ſeptima vſque ad decimam: at in hyeme ab octaua vſque ad decimam audientia celebratur, etſi *in Ordin. Cam. d. part. 3. titul. 1. §. vltim.* id paulum aliter ſit conſtitutum. Non fiſcales cauſæ rurſus ſunt vel ſimplicis querelæ, vel appellationum. In priorum cauſarum audientia etiam cauſa fractæ pacis tractatur. At in audientia poſteriorum cauſarum, etiam cauſæ nullitatum & reſtitutionis in integrum aduerſus latas ſententias proponuntur & expediuntur. In omnibus autem non fiſcalibus cauſis, diebus Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis & veneris à puncto horæ primæ pomeridianæ vſque ad horam quartam tempore hyberno, quod Calendis Octobris inchoatur aut vſque ad horam quintam tempore æſtiuo, cuius initium ſit Calendis Aprilis, ordinariè audientia celebratur. Nam ſi alias hæc ante meridiem habetur, id fit extraordinariè. Hæc de Iudicio audientiæ. *Obrecht. d. diſp. 11. th. 180. & aliquot ſeqq.* Iudicium Senatus eſt ſolennis Iudicis & Aſſeſſorum conſeſſus, in quo de cauſarum ante in publica audientia propoſitarum relationibus & ſententiis, deque aliis quibuſdam grauiſſimis cauſis conſultatio & cognitio inſtituitur. Et hic Senatus vel eſt plenus, vel minus plenus. Plenus eſt, in quo Præſes & omnes Cameræ Aſſeſſores in conſultatione & cognitione cauſarum præſto ſunt. Hic Senatus rariſſimè cogitur: quia in pleno Senatu de cauſa aliqua cõmuniter non inſtituitur deliberatio: adeo, vt ne quidem Electorum, Principum, vel aliorum Imperij ſtatuum Legati in pleno conſeſſu audiendi ſint, *iuxta Ordin. Cam. part. 1. tit. 10. §. penultim.* Nach dem auch bißher, *circa finem.* Excipitur autem ille caſus, quo Imperator, Elector, Princeps, vel alius Imperij ſtatus ſingulariter mandauit, vt ob cauſæ magnitudinem & neceſſitatem non in ſcriptis, ſed viua voce proponãt. *Ord. Camer. dict. part. 1. tit. 10. §. penultim.* Minus plenus Senatus eſt, in quo pars tantum Aſſeſſorum in conſultatione & cognitione cauſarum adeſt. Hunc Senatum *Obrecht. d. diſputat. 11. th. 195.* duobus modis diſtinguit. Primo in Senatum primarium & Senatum ſecundarium. Senatus primarius, der rechte Rath eſt; in quo Iudex Cameræ præſidet, & in hoc ſolo ſupplicationes exhiberi & præponi debent, *ſecundum Ordin. Cam. part. 1. tit. 22. §. 1.* Refert tamen, an cauſa nunquam ante in Iudiciũ ſit deducta, aut vero ſit deducta. Si nunquam eſt deducta, tũc ſupplicatio recte fieri & admitti poteſt *d. t. 22. § 1.* Si vero ſemel in iudiciũ eſt deducta, nõ aliter ſupplicare licet quam pro ſententia *d. tit. 22. §. penult.* Item ſoll kein Procurator. vbi enim lite pẽdente aliquid petẽdum vel proponendum eſt, id non

in Senatu, ſed in publica Audientia fieri debet, *d.tit.22.§.pen.* Senatus ſecundarius, der Nebenrath eſt, in quo non Iudex Cameræ, ſed illius loco Comes vel Baro præſidet. Et in hoc nullæ ſupplicationes offerri poſſunt. *d.tit.22.§.1.* Secundo modo minus plenus Senatus diſtinguitur in Senatum definitivarum, & Senatum interlocutoriarum, *ſecundum Ordin. Cam. part. 1. titul. 10.§.* Ferner ordnen wir. In priore Senatu tractantur ſententiæ definitiuæ. Et hic rurſus eſt triplex: Primus, ſecundus, & tertius, *d.tit.10.§.* Ferner. In quolibet autem Senatu definitiuarum octo Aſſeſſores cum Comite vel Barone præſidere debent. *d.tit.10.§.* Ferner. In poſteriore vero Senatu tractantur ſententiæ interlocutoriæ, & cauſæ fiſcales, in quo reliqui Aſſeſſores præſident. *d.tit.10.§.* Ferner. *Obrecht. d. loc.th.197.& aliquot ſeqq.*

Iudices in Camera vel ſunt ordinarii, vel delegati: Ordinarii rurſus vel ſunt in Camera, ibique degunt: vel ſunt extra Cameram, & interdum eo veniunt. Priores ſunt Iudex Cameræ Aſſeſſores. Hi ideo dicuntur Ordinarii, quia iuriſdictionem ab Imperatore & Statibus Imperij conceſſam habent. *Gail. obſ.pract.lib.1.obſ.41.num.5.* Iudex autem Cameræ inter omnes Cameræ perſonas principalem locum tenet, qui eſt caput & Prætor iudicii ad ad conſtitutus, vt in ſupremo Imperii tribunali omnia iuxta præſcriptum ordinationis fiant, & ſuum cuique ius tribuatur, *ſecundum Ord.Cam. part. 1.tit.3.in pr.& tit. 7.§. vlt.& tit.9.in princ.* Hinc fit, quod illi ſupplicationes exhibentur, & in his, ipſius ſolum nomen exprimitur. Ex hoc vero non ſequitur, quod Iudex Cameræ ex arbitrio omnia agere poſſit. Nullam enim per ſe ſine conſenſu Aſſeſſorum ordinandi & decidendi poteſtatem, & ne quidem votandi ius habet: ſed aliorum tantum votis aſſentiri poteſt. *Obrecht de iudic.diſp. 2.theſ.65.& 66.* Sic etiam Aſſeſſores ſunt Iudices Cameræ ad id conſtituti, vt cauſas in Iudicio Cameræ propoſitas cognoſcant atque decidant, *ſecundum Ordi. Cam.part. 1.tit. 13.& 14.* Iudices vero ordinarii, qui in Camera non degunt, ſunt viſitatores & reuiſores. Viſitatores ſunt Cameræ Iudices ab Imperatore, & Statibus Imperii conſtituti, vt ſingulis annis ſummi Imperialis Iudicii inſpectionem & cognitionem inſtituant, *ſecundum Ordin.Cam.part. 1.tit.50.* Horum tanta eſt poteſtas, vt ea in quibuſdam Imperatoris poteſtatem ſuperet: quia correctio Ordinationis Cameræ his conceſſa eſt, non etiam Imperatori, *iuxta Ordin.Cam.part. 2.tit.vlt.* Ratio huius poteſtatis eſt, quia non Imperatorem ſolum, ſed etiam omnes Imperii Status, & ita totum Imperium repræſentant, & hi interdum ſolo

Viſitatorum, interdum etiam Reuiſorum officio funguntur, *ſecundum Ordin. Cam. part. 1. tit. 50. in princ. verſ.* Jm fall. *& part. 3. tit. 53. in prin. in verb.* So zu der jährlichen Viſitation ve ordnet/ꝛc. Multum autem refert, an ipſos Imperij Status, quibus ex ordinatione Imperij Viſitatio vel reuiſio incumbit, an vero eorum Conſiliarios reſpiciamus? Primo enim caſu omnino ſunt Iudices ordinarij, quia lege & communi Statuum Imperij placito Iuriſdictionem habent. Nam Statibus Imperij ordine quodam omnium Imperialis Cameræ cauſarum Viſitatio & reuiſio, ab ordinatione Imperij data atque conceſſa eſt. *Ordin. Cam. part. 1. titul. 50. part. 2. tit. vltim. & part. 3. tit. 53.* Ex quo ſinguli ſtatus principaliter & ſuo iure ex ipſa ſcil. ordinatione Imperij ordinariam iuriſdictionem ſunt adepti: *argum. l. more. 5. cum l. ſeq. D. de Iuriſdict. Obrecht. de Iudic. diſput. 2. theſ. 70. & aliquot ſeqq.* Poſteriore vero caſu ſunt iudices delegati, quia iuriſdictionem non ab ordinatione & Statibus Imperij datam, ſed à ſuis dominis, quibus ius Viſitandi & reuidendi incumbit, demandatam habent; non enim propria aliqua iuriſdictione, ſed vicaria vtuntur, quia non ſuo iure, ſed beneficio ſuorum dominorum iuriſdictionem habent. *argu. l. 1. §. 1. D. de off. eius cui man. eſt iuriſd. & d. l. mores. cum l. ſeq. D. de iuriſd. Obrecht. d. loc. th. 79. & 80.* Et hæc de Iudicibus Cameræ ordinarijs.

Delegati Cameræ Iudices ſunt, qui ex commiſſione aliqua cognitionem cauſarum ſuſcipiunt. Huius generis ſunt Conſiliarii reuiſores, item Commiſſarii Cæſaris, & Commiſſarii Ordinationis, der Außträg. Conſiliarii reuiſores ſunt Iudices delegati ab Imperatore & Statibus Imperii ad reuidenda Cameræ acta conſtituti, *iuxta Ord. Cam. part. 3. tit. 35. in princ.* Commiſſarii Cæſaris ſunt Iudices ab Imperatore delegati, vt vel amice cauſas controuerſas componant, vel de iis ordine iuris cognoſcant & pronūcient. *Gail. obſ. pract. lib. 1. obſ. 35.* Ordinationis vero Commiſſarii ſunt Iudices delegati, ad nominationem Actoris à Reo electi, vt de cauſa inter ipſos controuerſa iudicent; atque ideo delegati dicuntur, quia non ab ordinatione Imperii, ſed à Statibus iuriſdictionem ſuam conſequuntur, vti apparet *ex Ordin. Cam. part. 2. tit. 2. 3. 4. & 5. Obrecht. d. loc. theſ. 81. cum quinq. ſeqq.*

Iudicem autem dare poſſunt, quibus hoc vel lege, vel conſtitutione, vel Senatuſconſulto conceditur. *l. cum prætor. 12. §. 1. D. de Iudic.* Iudicum ordinariorū Cameræ cauſa eaque remota eſt ordinatio totius Imperii, quæ horum conſtitutionem & electionem certis perſonis, vt Imperatori & Statibus Imperii,

perii, conceſſit. *Obrecht. de iudic. diſput.2.th.138.* In Aſſeſſoribus vero adhuc alia remota efficiens cauſa eſſe videtur, nempe Imperatoris & Statuum Imperii nominatio & præſentatio. Ab Imperatore enim & Statibus Imperii Iudicio Cameræ certæ perſonæ nominantur & præſentantur, quæ poſtea perpenſis omnibus circumſtantiis à Iudicio Cameræ vel recipiuntur & eliguntur, vel reiiciuntur. Hoc autem caſu, quo nominati & præſentati Aſſeſſores eliguntur, haud immerito nominatio & præſentatio, illorum remota cauſa efficiẽs dicitur: quia etſi non principem, aliquam tamen efficiendi vim habent, vbi tradit. *Obr. d.loc.th.139.cum duab.ſeqq.*

Aſſeſſores Cameræ Imperialis, cum & eos Iudices ordinarios eſſe conſtet, vernacula noſtra lingua dicuntur Beyſitzer. *Ordinat.Cam.par.1.tit.3.4.5.6.7.& 8.* De iis autem nobis ſermo eſt, non de illis, quorum *in tit de Aſſeſſ.* mentio fit. ita etiam de iis vt Iudicib. ordinariis aliquid videamus, circa quos primum conſiderabimus, qui Iudices publico ſalario adhibere Conſiliarios queant? Secundo qui eligendi ſint Aſſeſſores? Tertio, quomodo conſtituantur, & quod horum ſit officiũ.

Circa primum verum eſt de iure, quod adhibere Aſſeſſores publico ſalario poſſint illi tantum Iudices, qui Magiſtratus ſunt, quales olim erant præfecti prætorio, præſides, proconſules, prætores, hodie vero Principes, Comites, Barones. Hi enim hodie ſunt loco præſidum prouinciarum. Dati autem Iudices aſſumere Aſſeſſores publico ſalario nequeunt, niſi à Principe ſint dati. *Nouell. 60. cap 2.* Qui autem eligendi ſint Aſſeſſores, nobis *Ordinat. Cam part.tit.3.§.* Dergleichen ſollen. ad literam ob oculos ponit. Ea enim non modo iuris peritiam & exiſtimationem illæſam in Aſſeſſoribus omnibus deſiderat, ſed & vt duo ſint generoſi Comites vel Barones, cæteri vero Nobiles, iuris tamen periti & practici, aut Doctores ſiue Licentiati, qui publica aliqua in vniuerſitate à Cæſarea Maieſtate confirmata, vel iura aliquandiu docuerint, vel ad minimum iuris ſtudio integrum quinquennium inſumpſerint, & præterea tractandis cauſis forenſibus ſæpius alicubi exercuerint. Præterea dicta ordinatio Cæſarea & hoc exigit, vt Aſſeſſores legitime ſint nati, graues etiam atque bene morati. *Ord.Cam. part.1.tit.3.§.* dergleichen ſollen / Inſuper requirit, vt Aſſeſſores ſint natione Germani. *d.tit.3.§.* dergleichen ſollen. ibid. Auß teutſcher Nation geboren. Item Pontificiæ vel Auguſtanæ Confeſſionis. *d.tit.3.§.* vnd insonde heit. Modus adſcribendi aliquẽ in ordinẽ Aſſeſſorũ in Camera Imperiali ſic obſeruatur. Ex eius ordinatione ius nominandi & præſentandi Aſſeſſores eſt penes Cæſareã

Ma-

Maieſtatem, Principes Electores, & ſex Statuum circulos. Cæſarea Maieſtas ipſum Iudicem Cameralem ordinat ex Principibus Eccleſiaſticis vel ſecularibus, vel minimum ex Comitibus aut Baronibus Imperii, ita quoque tanquam Imperator nominat etiam Aſſeſſores Comites vel Barones duos, & totidem Iuris Doctores vel Licentiatos duos. Sex Principes Electores nominant Aſſeſſores ſex, atque ita ſinguli vnum. Circuli vero illi ſex præſentant ac nominant duodecim, ſinguli ad minimum duos tam ex ordine equeſtri, quam Doctores & Licentiatos Iuris. *Ord. Cam. part.1. titu.1. & ibi autor commentariorum ad d. Ordinationem.*

Quod ſi iam huius vel illius Status aut Circuli Aſſeſſorum aliquis vel moriatur vel aſſeſſuram, quæ officium Aſſeſſoris dicitur. *in l. vlt. D. de proxenet.* deponat, tunc Iudex Cameralis confeſtim ſcribere tenetur ad eum Statum aut Circulum, à quo Aſſeſſor ille nominatus & præſentatus fuit, eique mandare, & infra prædictum tempus duos aut tres alios idoneos mittere ac præſentare Iudicio Camerali cogatur; quo facto iudex & Aſſeſſores ex illis magis idoneum eligunt. Quod ſi illorum, neminem inueniant ſatis habilem alios præſentari iubent, quod niſi inter prædictos illos primos ſex menſes fiat, poteſtas eſt penes Cameralem Iudicem & Aſſeſſores adſcribendi aliquem ex diſtrictu eiuſdem Status aut Circuli, in quo nemine inuento, qui idoneus ſit, ex primi Status aut Circuli ditione virum aſſeſſura dignum ſuo ordini adſcribunt. *Ordinat. Cam. part. 1. tit. 4. §.* Wo auch alſo. *& §§. ſeqq. vbi in §. vlt.* diſponitur, quod ſi Status aut Circulus vnum duntaxat præſentat, hinc, etiamſi idoneus fuerit, cooptari in ordinem Aſſeſſorum poſſe. Etſi vero ſub vnoquoque Circulo plures & varij Status ſint, attamen iudex Cameralis non ad omnes ſcribit, ſed in primo Circulo, ſi eius defecerit Aſſeſſor, ſcribitur Epiſcopis Wirtzburgenſi, & Eiſtetenſi, itemque Marchioni Brandenburgenſi. In ſecundo Archiepiſcopo Saltzburgenſi & Duci Bauariæ. In tertio Epiſcopo Auguſtano & Duci Würtenburgenſi: In quarto ad Argētinenſem, Fuldenſem & Lotharingicum: In quinto Epiſcopo Monaſterienſi & Duci Iuliacenſi: In ſexto Archiepiſcopo Magdeburgenſi & Duci Saxonico.

Præterea Aſſeſſores ſupremi Imperij Iudicij antequam aſſidere in iudicio poſſint, iuriſiurandi religione ad iuris & legum obſeruantiam adſtringi iubentur, quod etiam ad laudabiles locorum conſuetudines extenditur, *teſte locupletiſſimo Andr. Gail. obſ. pract. lib. 1. obſ. 36. n. 14.*

Quod ad officium Aſſeſſoris attinet,

tinet Aſſeſſor conſiliis ſuis Iudicem iuuare debet, non ex propria opinione, & iudicio ſuo imaginario, ſed ſecundum conſcientiam probationibus fundatã, & legibus ac iuri informatam. *Ordinat. Cam. part. 1. tit. 13. in princ. & tit. 57.* Quia vero Aſſeſſoribus, poſteaquam à partibus in cauſa concluſum eſt, vniuerſa acta ad referendum Iudex dare ſolet, & vni vel duobus, ſi cauſa grauis ſit, committuntur, cognoſcemus modum ac methodum referẽdi in qualibet cauſa.

Modus referendi cauſas ſimplicis querelæ, id eſt, primæ inſtantiæ, hic eſt. Primo indicatis litigatorum perſonis, conſideranda eſt legitimatio perſonarum, & diſpiciendum, ante principalis cauſæ relationem, vtrum ipſi litigantes habuerint perſonam legitimam ſtandi in iudicio, aut eorum Procuratores perſonas ſuas ſufficientibus mandatis legitimarint, nec ne. *Spec. tit. de actore. & tit. ſeq.* Secundo videndum, an proceſſus debito ordine nec ne ſeruatus ſit? Tertio, vbi nullus in perſonarum legitimatione defectus appareτ, atque proceſſus iudiciarius legitime obſeruatus eſt, tunc tota facti ſpecies ſuper quo lis eſt, & ſententia ferri debet ea breuitate, qua fieri poteſt & ſummarie Iudici & Aſſeſſoribus ex libelli narratis exponenda eſt. Quarto genus actionis diligenter inquirendum, qualem & an recte Actor actionem inſtituerit? Quinto, an & quomodo Actor ſuam intentionem probauerit? Sexto, an Reus aliqua exceptione & probatione intentionem Actoris eliſerit? poſtremo, Quomodo poſterioribus hoc vel illo modo ſe habentibus pronunciari oporteat, & an pars altera in expenſas condemnanda ſit, vel expenſæ compenſari debeãt? Vide *Ord Cam. part. 1. tit. 10. & in primu* §. So ſoll auch. *& ſeqq.*

Modus referendi in cauſis appellationum hic eſſe videtur, vt primo referens ſimiliter expouat, qui ſint litigatores, ad quos cauſa pertineat, & an hi legitimè comparuerint in Iudicio hoc appellationis per ſe vel procuratores ſuos, nec ne. Poſtea conſiderabit referens, tum appellationis formalia, tum cauſæ materialia. Formalia appellationis, quæ primum inſpiciet, conſiſtunt in eo, vtrum debito tempore & modo à iure præſcripto ſit appellatum, & fatalia introducendæ appellationis à parte appellante ſeruata ſunt, nec ne? *Gail. obſ. pract. lib. 1. obſ. 119. & aliquot ſeqq.* In formalibus appellationibus cum nihil deſiderant, referens materialia expendet, diſpiciendo, quod & quale ſit in Iudicium deductum negotium, vbi tam nullitatem proceſſus & ſententiæ prioris Iudicis, itemque ſuper ea cauſa iuriſdictionem Iudicis appellationis, quam iniquitatem ſedulo inſpicit. *Gail. obſ. pract. lib. 1. obſ. 77. & obſ 42. num. 8. & ſeqq.*

Quod ſi cauſa vel ratione ſummæ, quæ petitur, vel alia ex cauſa ad appellationis Iudicem non pertinet, Referens illud memorare debet, per ea, quæ tradit *Gail. obſ.119. d.lib.1.num.7.* Nullitate excuſſa & cognito, quod ſuper ea appellationis cauſa iuriſdictio Iudicis appellationis fundata ſit: alias enim cauſa non recipitur: merita litis referens ita examinabit, vt diſquirat non modo exactis primæ inſtantiæ, ſed ex nouis deductis, num Iudex prior bene an male iudicarit, id quod commodius inueſtigare nequit, quam ſi & hic ſecundum intentatæ actionis requiſita, probationes primum partis agentis, deinde etiam defenſionis rei fideliter trutinet. Tandem referens ſuum addit votum, & indicat, quid iudicandum putet tum ſuper nullitate, ſi ea attendenda ſit, tum etiam de cauſa principali, itemque expenſis appellationis, & qua forma ſententia ſit concipienda, atque publicanda. Hos duos referendi modos tradit *Bocer. claſſ.5.diſp.7.* Cuius inſigne ſpeculum eſt tot us. *Meichſner. in deciſ. Gylman. in Symph. Tilman. de Benign. in Apoſpaſmate, &c.* Hæc fere ſunt quæ pro ſimplici informatione dicenda exiſtimaui. Cætera quæ de hac alijſque quæ hinc inde in toto rerum vniuerſo in quamlibet facultate, ſtatu ac conditione hominum, quatenus homines ſunt, laudanda, aut etiam quatenus humani aliquid patiuntur, vituperanda ſunt, dicemus propediem. Interim ædificiorum ſtructuram, quæ ab initio obtendebatur, committemus peritioribus, iiſque adeo quibus magis eſt otij quam negotii. Quanquam & nos quando otiamur, tum vel maxime negotiari iure dicimur. Interim viuite & valete, annate & perennate.

FINIS *Colloquij quarti Iuuenilium.*

Ad Dierum Canicularium

SIMONIS MAIOLI, EPISCOPI VVLTVRARIENSIS IMITATIONEM

Liber Secundus.

Colloqvivm Primvm

De fine mundi eiusq; interitu, de Antichriſto, & extremo Dei iudicio,

Collocutores.

Senex. Ivvenis. Eqves.

SEnex. Abſolutis variis tum politicis & ſeriis, tum iocoſis in priori libro habitis colloquiis, non inutile fore exiſtimaui; ſi noſtrum inſtitutum de re aliqua pia & graui, ſcitu tamen digna & iucunda finiamus. hoc autem perquam opportune fieri poteſt, ſi de fine mundi, de Antichriſto, & extremo Dei iudicio ac beatitudine colloquium inſtituamus. Ergo ſolam diſputationem de fine mundi in partes duas generales diuidemus, ac prima ſit de mundo materiato, an ſit finem habiturus, & quo pacto habiturus? Secunda, de homine habitatore mundi, quid illi futurum ſit, cum mundus finietur? Quod attinet ad

primam partem, poteſt ea quæſtio tractari: Vtrum mundus hic ſit finiendus, aut cum Philoſophis, aut cum Chriſtianis. Si diſputemus cum Philoſophis, ſatius eſt, vt defendamus, mundum natura ſua eſſe mortalem, quia hanc opinionem antiqui Chriſtiani ſemper defenderunt, quod exiſtimarent detrahi aliquid Deo, ſi dicerent, mundum vi ſua duraturum eſſe æternum. Quapropter inter Philoſophos, qui mundum mortalem eſſe dixerunt, iudicati ſunt proxime accedere ad noſtram religionem, quales fuêre Plato & Pythagoras. Quod ſi velint Philoſophi nobiſcum contendere, non video, quibus rationibus Phyſicis probare poſſit, mundum eſſe immortalem. Videmus enim eos omnes Philoſophos, qui hoc dixerunt, commentos eſſe neſcio quam naturã cœli abſurdam, nimirum, aut cœlum eſſe materiam ſimplicem ſine forma, aut formam ſimplicem ſine materia, aut compoſitum eſſe ex forma & materia, ſed alterius generis, quam ſit ea, ex qua conſtant res mixtæ ex elementis, aut compoſitum eſſe ex forma & materia prima eiuſdem generis, cuius eſt materia prima elementorum, ſed tamen non ex eadem materia ſecunda, id eſt, non ex qualitatibus elementorum. Quæ omnia non probant alio argumento, niſi quod cœlum ſit immortale, propterea aut ſimplex eſſe oportere, aut certè compoſitum ex alia materia. Atqui hoc ipſum oportebat probare, cœlum eſſe immortale. Quod quidem Ariſtoteles, qui eius ſententiæ fuit Author, probare potuit.

Mundus ſit finiendus?

Prima ſententia.

Secunda Philoſophorum Ariſtotelicorum.

IVVENIS. Chriſtiani antiqui ante, quam ſe immergerent in Ariſtotelicam Philoſophiam, quemadmodum ſemper dicebant, mundum natura ſua eſſe mortalem, ita exiſtimabant cœlum eſſe compoſitum ex elementis. Quod etiam Plato & Platonici omnes crediderunt. Neq; propterea ſequuntur ea abſurda, quæ ſequi putant Philoſophi, nimirum, poſſe vnum cœlum generari ex altero, & non potuiſſe tamdiu durare, & alia huiuſmodi. Quod quidem fortaſſe eſſet verũ, ſi cœlum non habuiſſet alium authorem quam Naturam. Sed quia author illius fuit Deus, cuius ſcientia & potentia eſt infinita, quis dubitet & ſciuiſſe, & potuiſſe ex elementis cœleſtia corpora ita compingere, vt nunquam diſſoluerentur, niſi cum ipſe vellet.

Chriſtiani.

SENEX. D. Baſilius *homil. 1. in Geneſ.* reprehendit Philoſophos, qui negabant cœlum conſtare ex elementis, &, quod amplius eſt, antiqui authores Chriſtiani crediderunt cœleſtes eſſe ignes, præſertim ſydera. Nam ob hanc cauſam D. Baſil. *homil. 3. in Geneſ.* ſcribit, Deum aquas poſuiſſe ſuper firmamẽtum, vt reſtingueret nimium ardorem

orbium

orbium cœleſtium, ne conflagrarent. Vnde manifeſtũ eſt, illam vulgarem opinioné Philoſophorum, cœlum non eſſe calidum neq; frigidum, neq; rarũ, neq; denſum, neq; leue neq; graue, nõ eſſe antiquam, ſed excogitatam ad defendendum Ariſtotelem. Quod Chriſtiani non debét facere. Igitur cum mundum eſſe natura ſua immortalem probari non poſſit, & doceat experientia, res omnes naturales per ſpacia téporũ extenuari, degenerare, ſeneſcere, videatur potius probari poſſe, naturâ duce, mundum mortalé eſſe. Quod autem attinet ad fidé noſtram, quamuis in ſacris literis nonnulli loci ſint, in quibus videatur dici, mundũ omnino periturũ, qualis eſt ille apud *Iob c.14. Homo cũ dormierit, non reſurget, donec cœlum atteratur.* Et ille *in Pſal.101. Ipſi peribunt, tu autem permanes.* Et ille, vbi Chriſtus ait: *Cœlum & terra tranſibunt.* Et *cap.3.2.epiſt. Petri: Cœli magno impetu tranſient, & ardentes diſſoluentur.*

Scriptura de mũdi fine.

3. Sententia eſt. Quod mũdus non pibit, ſed renouabitur per ignem.

E Q V E S. Colligitur tamé liquidò ex ſacris literis, non eſſe periturum totum mundum, ſed eſſe renouãdum. Quod non ſit periturus, conſtat ex omnibus illis locis, vbi dicuntur boni intraturi in regnum cœlorũ, & mali deiiciendi in ignem inferorum. Item colligitur hoc certò ex fide, quam tenemus de reſurrectione corporũ. Nam ſi humana corpora ſunt futura, non ſunt futura in vacuo, ſed in aliquo loco. Omnes igitur illi loci, qui videntur cõtrarij, intelligendi ſunt per exaggerationé, citius futurũ, vt cœlum pereat, quam vt illud fiat, quamuis nunquam futurũ ſit, vt cœlum pereat. Quod autem renouandus ſit, Scripturæ teſtantur multis locis. Eſai. *c.65. & 66. Ecce ego creo cœlos nouos & terram nouam.* Quod quamuis poſſit aliquis allegoricè interpretari, tamen eſt tutius ſequi communé antiquorũ ſententiam, qui intellexerũt ipſos cœlos materiatos renouatum iri. Lege Cyrill. Hieroſolymit. *catecheſ.15.* Idé ſignificat D. Paulus *1.ad Cor.7.* cum dicit: *Preterit enim figura huius mundi.* D. Auguſtin. annotauit dixiſſe, *preterit figura*, & non, *preterit ſubſtantia*, quod mundi ſubſtantia non ſit peritura, ſed iſta ſpecies quã videmus. D. Petrus *in 2.epiſt.cap.3 Cœlum nouum, & terram nouam, & promiſſa ipſius expectamus, in quibus iuſtitia habitat.* Quod non poteſt intelligi allegoricè, quia idé D. Petrus *in illo cap.* multis verbis docet immutandos eſſe cœlos. Et Io. *in Apocal.c.21. Vidi cœlum nouũ, & terram nouam.* Et iterum: *Vidi ſanctam ciuitatem Hieruſalem nouam.* Et iterum: *Ecce ego noua facio omnia.* Et Paulus *ad Rom.8.* videtur idem ſignificare, cum dicit: *Creatura mũdi liberabitur à ſeruitute corruptionis.* Ex quibus locis omnes Catholici antiqui collegerunt, eſſe mundu hunc immutandum, à qua ſententia,

qui diſcederet, eſſet nimium temerarius. Ad hæc Scriptura diuina ſignificat cauſam huius innouationis futuræ hanc eſſe, vt mundus, qui multis hominum ſceleribus videtur eſſe pollutus, quodammodo purgetur. Nam quemadmodum ſtatim poſt primum peccatum maledictio data homini, etiam eſt impreſſa quodammodo mundo, ne hominibus ſeruirent; quemadmodum in illa prima eſſentia ſeruiturus erat: ita credibile eſt ſupremo illo tempore, cum omnia peccata tollẽda erunt de medio, purgatum iri mundum.

SENEX. Hoc etiam videtur indicare D. Petrus, cum comparat finem mundi cum diluuio præterito. Nam ſicut illud diluuium à Deo immiſſum eſt propter peccatum, ita vltima renouatio fiet ad mundandum totum orbẽ à peccatis & corruptione. Hoc eſt, quod dicit D. Paulus, *liberabitur à ſeruitute corruptionis.* Quo autem inſtrumento Deus ſit purgaturus mundum, etiam oſtendunt literæ ſacræ. Dauid *Pſal. 46. Deus manifeſtè veniet, & non ſilebit. Ignis in conſpectu eius exardeſcet.*

Quæſt. 2. Quomodo renouandus ſit mundus?

Vnde antiqui Authores dixerunt, Platonem didiciſſe, appellare Deum ignem. Rurſum D. Petrus ait, Cœlos & elementa ſoluenda eſſe per ignem. Atq; hactenus Philoſophi illi, qui dixerunt eſſe duas mundi ætates: Hyemem, quæ fuit per diluuium præteritum; & æſtatem, quæ erit exuſtio futura. Item, iam præteriſſe iuuentutem mundi, quæ eſt humida; ſecuturam autem ſenectutem ſiccam & aridum: congruenter locuti ſunt Scripturis ſacris.

De igne. Quæſt. 1. Qualis ignis conflagrat mundi?

Qualis autem ille ignis ſit futurus, diſputant Scholaſtici, cum ergo Scriptura ſemper appellet ignem, & dicat elementa ſoluenda eſſe, non licet exiſtimare illum ignem futurum metaphoricum & improprium, ſed verum & naturalem.

Quæſt. 2. Vnde erupturus primum?

Quanquam non eſt temerè iudicandum, quod nonnulli Scholaſtici fecerunt, qua in parte mundi accendendus ſit ille ignis. Hoc enim ex Scripturis non conſtat.

Quæſt. 3. Quid abſumpturus?

EQVES. Sed diſputant etiam Theologi, quid ſit ille ignis exuſturus, & ſolent omnes reſpondere eſſe renouaturum, & crematurum omnes res compoſitas ex elementis, neq; amplius eſſe futuras plantas aut animalia. Quod, licet nihil compertum ſit in Scripturis, eſt conſentaneum rationi. Quia ſcimus Scriptura teſtante hæc omnia eſſe facta propter hominem. Quapropter ſublatis hominibus de terra, non erunt iſta neceſſaria, ſed tamẽ *elementa* manſura dicunt Theologi puriora & dilucidiora. Quod videtur etiam dicere D. Petrus. Nõ enim ait eſſe peritura elementa, ſed eſſe diſſoluenda, & ratio hoc poſtulat, quia elementa ſunt mundi partes, cum ergo mundus non ſit periturus, elementa non peribunt. Ita-

que

que hac in parte mundus erit ſimilis homini. Non enim ſine cauſa magnus homo appellatus eſt; quẽadmodum poſt reſurrectionem dixerunt Chriſtiani futurũ eſſe ventrem in homine, quamuis non ſit habiturus officium coquendi cibum: ita in toto iſto mundo erunt elementa, quæ ſunt in medio loco, quaſi venter, ſed non habebunt officium generandi, & corrumpendi. De *cœlis* autem Scholaſtici reſpondent, eos non eſſe immutandos igne, ſed aliqua alia ratione innouandos. Quod mihi videtur dictum audacter, cum D. Petrus dicat apertè, cœlos reſeruari igni in diem iudicij. Et rurſus: *Cœli ardentes ſoluentur.* Et iterum, cum locutus eſſet de cœlis & elementis, addidit: *Cum igitur hac omnia igne diſſoluenda ſint.* Præterea cum Scriptura dicat, totum mundum eſſe innouandum, & non faciat mentionẽ alterius renouationis, quam per ignem, videtur temerarium negare etiam cœlos eſſe igne diſſoluendos. Credo iſtam opinionem Scholaſticorum profectam eſſe a Schola Philoſophorũ. Nam, ne dicerent Scholaſtici contra Ariſtotelem, cœlum eſſe compoſitum ex elementis, dixerunt contra D. Petrum, non eſſe diſſoluendum igne. Dicet aliquis: Quomodo ergo intelligitur, quod ait D. Petrus: *Cœli magno impetu tranſient?* Vulgaris interpretatio eſt, *tranſituros eſſe cœlos*, id eſt, immutandos eſſe, *magno impetu*, id eſt, ſubitò, & derepentè. Credo eſſe probabiliq; *cœlos tranſituros*, id eſt, raptu quodam velociſſimo eſſe mouendos in iudicio, & vt Græcè dixit D. Petrus ῥοιζηδὸν, id eſt, cum ſtridore. Nam videtur hoc ſpectare ad terrẽdos homines, qui ſupererunt.

De cœlis Quæſt. 1.

Explicatur locus D. Petri.

ῥοιζηδὸν ſonore cũ magno impetu.

SENEX. Quæritur etiã à Theologis, an motus cœlorum ſit ceſſaturus? Et reſpondent Scholaſtici ceſſaturum eſſe, quod Eſaias *cap. 60.* dicat: *Non occidet vltra Sol tuus, & Luna tua non minuetur.* Et Ioan. in Apocal. *cap. 10. Tempus non erit amplius.* Tempus autem eſt motus cœli. Si ſequamur rationem naturalem, videtur hoc eſſe probabile. Nam cum cœli non moueantur, niſi vt res quæ ſunt in inferiore mundo, generentur & corrumpantur, & poſt iudicium non ſit futurus ortus amplius & interitus rerum naturalium, conſentaneum eſt, vt, ſublata cauſa, tollatur effectus, & cœli quieſcant. Sed tamen, ſi rem tractemus Theologicè, non video certi quicquam poſſe probari ſacris literis. Nam quod ait Eſaias: *Sol tuus non vltra occidet*, poſſumus interpretari cõuenienter Scripturæ ſacræ, vt ſit phraſis, *non occidet Sol*, id eſt, nihil aduerſi accidet in illa beata vita, quemadmodum è cõtrario dicit Scriptura: *Sol iuſtitiæ nõ eſt ortus nobis*, id eſt, non percepimus vtilitatẽ a Sole iuſtitiæ. Item:

Quæſt. 2. De cœlis.

1. Sententia.

2. Sententia.

Sol tibi occidet meridie, id eſt, in media tua felicitate euenient tibi multa mala. Atq; hæc videtur vis eſſe illius pronominis adiuncti, *Sol tuus*, vt ſignificet Propheta, ſe non loqui de Sole naturali, ſed de Sole vniuscuiusq;, id eſt, de fælicitate. Eodem modo, quod additur, *Luna tua non minuetur*, tantundem valet, ac ſi diceret, non experieris amplius fortunæ varietatem & viciſſitudinem. Quod autem ait Ioan. *non eſſe vltra futurum tempus*, non videtur ſignificare motum cœli: quia fortaſſe D. Ioan. nunquam cogitauit tempus eſſe motum cœli, ſed voluit dicere præſcripſiſſet certum tempus, poſt quod eſſet futurum iudicium, *tempus non erit amplius*, id eſt, non tardabit iudicium vltra hoc tempus, quod deſignaui, ſed certo eueniet. Quæret aliquis, an ſit futurum tempus? Quis dubitat, an ſit futurum tempus? Quaſi non ſit tempus quælibet duratio etiam ſine motu. Itaq; Auguſtin. dixit ſubtiliſſime: *Si cœli ſtarent, & truſeris, rota moueretur*, id eſt, moueretur in tempore.

Quæſt. 3. De cœlis.

Quæſt. 4. De cœlo.

Ad hæc quærunt Theologi, quale futurum ſit cœlum poſt iudicium, ſiquidem eſt etiam purgandum. Reſpondeo, eſſe valde probabile omnia aſtra eſſe futura dilucidiora, quàm nunc ſunt, quia Eſaias *cap. 30.* ait: *Erit lux lunæ, ſicut lux Solis, & lux Solis ſeptemplicitet.*

IVVENIS. In Scriptura ſunt multi loci, in quibus videtur deſignari certum tempus, intra quod tempus ſit futurus mundi finis.

Primus eſt apud Eſdram *lib. 4. cap. 14. Seculum*, inquit, *perdidit iuuentutem ſuam, & tempora appropinquant ſeneſcere. Duodecim enim partibus diuiſum eſt ſæculum, & tranſierunt eius decima, & dimidium decimæ partis.*

Secundus eſt apud Daniel. *cap. 2. & 7.* vbi ſcribitur futurum eſſe finem mundi poſt quatuor monarchias, quarum vltima eſt monarchia Romana, quæ iam ferè extincta eſt.

Tertius apud eundem Prophetam *cap. 12.* Cum, inquit, ablatum erit iuge ſacrificium, & abominatio poſita fuerit in deſolationem, ab eo tempore dies mille ducenti nonaginta.

Quartus eſt apud Ezechiel. *cap. 38. & 39.* Vbi plane videtur dicere, iudicium futurum eſſe, ſimulatque Gog & Magog fuerint debellati. Solent autem pleriq; nomine *Gog*, intelligere Imperatorem Turcarum, nomine *Magog*, Imperatorem Moſcouitarum, quæ vtraque gens dicitur originem trahere à Tartaris.

Quintus eſt apud Euangeliſtas *Matth. cap. 24. Marc. 13. Luc. 12.* Vbi Chriſtus exhortatur Apoſtolos, vt orent & vigilent, quia neſciũt, quã hora Dominus venturus ſit, quaſi indi-

indicaret poſt breue tempus venturum eſſe. Item præſcribit certum tempus dicens: *Non præteribit generatio hæc, donec omnia fiãt.* Generatio autem vna, non continet niſi centum annos.

Sextus eſt apud D. Paulum *1. ad Corinth.7. Hoc autem dico, fratres, tempus breue eſt. Reliquum eſt, vt qui habent vxores, ſint tanquam non habentes.*

Septimus *in eadem epiſt. cap.10. Omnia in figura contingebant illis. Scripta autem ſunt ad correctionem noſtram, in quos fines ſeculorum deuenerunt.*

Octauus, *ad Rom.13. Hoc ſcientes tempus, quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quam cum credidimus.*

Nonus, *1. epiſt. ad Theſſal. cap.5.* De temporibus & momentis, fratres, non indigetis, vt ſcribamus vobis. Ipſi enim diligenter ſcitis, quia dies Domini tanquam fur in nocte, ita veniet.

Decimus, *in 2. Theſſalon. cap.2. Ne moueamini a veſtro ſenſu, neque terreamini, neque per ſermonem, neque per ſpiritum, neque per epiſtolam tanquam à nobis miſſam, quaſi inſtet dies Domini.*

Vndecimus, *1. ad Timoth.4.* Vbi vocat tempora nouiſſima illa, in quibus venturi ſunt hæretici, qui prohibeant nuptias & cibos, quos Deus creauit. Venerunt autem iſti hæretici iam olim.

Duodecimus, *in 2. ad Timoth. c.3.* Vbi etiam vocat nouiſſimos dies, in quibus erant tempora periculoſa, homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, quæ omnia iam euenerunt.

Tertiusdecimus, eſt *in epiſt. ad Hebr. init. Nouiſsime autem diebus iſtis locutus eſt nobis in filio.*

Quartusdecimus *in ead. epiſt. c.9. Semel in conſummationem ſeculorum ad deſtitutionem peccati, per hoſtiam ſuam apparuit.*

Quintusdecimus apud D. Petrũ *2. epiſt. cap.3.* Vbi ſignificat diem iudicij eſſe propinquum, propterea non eſſe abiiciendam fidem.

Sextusdecimus apud Ioh. *1. epiſt. cap.2. Dilectiſsimi, nouiſsima hora eſt.*

Septimusdecimus *in Apocal. cap.3.* Vbi Iudex dicit: *Ecce venio cito, tene quod habes.*

Duodevigeſimus *cap.12.* Apocal. Vbi deſcribũtur dies mille ducenti ſexaginta, poſtquam illa mulier, quæ dolore partus angebatur, pepererit.

Nonusdecimus *cap.16. Ecce venio cito: Beatus, qui vigilat.*

SENEX. Ex his locis antiqui Chriſtiani collegerũt tres de fine mundi opiniones, in quibus conueniebãt. Prima eſt quotidie eſſe expectandũ finem mundi, adeoq; propinquum eſſe putabant. Hoc intelligitur ex *cap.5. 1. epiſt. ad Theſſalon.* Iam enim tunc erant Chriſtiani perterriti, credentes ſuo tempore futurum iudi-

De certo ac definito fine Mundi tres opiniones.

1. Opinio.

iudicium, vt ex *epiſt. 2. Petri cap. 3.* conſtat. Ex qua etiam colligitur multos incepiſſe non credere futurum iudicium, quia videbant Chriſtianos, quotidie dicere aduenire finem mundi, & tamen non adueniſſe iam viginti, aut amplius annis. Præterea Anacletus Papa proximus Apoſtolis *epiſt. 2.* ſcribit: Proximum iam eſſe finem mundi. Idem ſcribit Cyprian. *lib. 2. epiſt. 3.* Et Cyrillus Hieroſolymit. in Catecheſi de Symbolo.

2. Opinio. Secunda opinio erat Chriſtum venturum eſſe ad iudicium media nocte, & quidem nocte reſurrectionis, vt ſcribit Lactant. *lib. 7. c. 19.* Itaq; tribus de cauſis ſolebāt Chriſtiani vigilare illa nocte. Primum, quia credebant illa nocte reſurrexiſſe Chriſtum. Secundò, quia putabant illa nocte eſſe venturum. Tertiò, quia credebant illa die factum fuiſſe mundum, vt ſcribit Euſeb. *homil. 7. de Paſcha.* Quamobrem aliqui authores dicunt inde natas eſſe preces nocturnas, quas habemus, quod Chriſtiani illa opinione imbuti, ſolerēt ad mediam noctem ſurgere, quaſi ad excipiēdum Chriſtum, quia Chriſtus dixerat: *Vigilate & orate, quia neſcitis qua hora filius hominis venturus ſit.*

3. Opinio. Tertia opinio erat, non eſſe venturum finem mundi, niſi prius aboleretur Romanum Imperium, vt author eſt Lactant. *cap. 25.* Et Cyrill. Hieroſolymit. *in catechesi 15.* Hæc cauſa erat, cur Chriſtiani ſumma cura orarent pro Imperio Romano, quaſi cum eiuſdem euerſione veniret finis mundi. Nam Tertullian. *in Apologet. cap. 39. Oramus*, inquit, *pro Imperatoribus, & pro mora finis.* Poſt quot annos autem eſſet futurus finis mundi, variæ ſententiæ fuerunt Gentilium Iudæorum, & Chriſtianorum. Apud Gentiles Philoſophos illa fuit celeberrima de anno magno, qui cum elapſus eſſet, finiendus eſſet mundus. Magnum autem annum appellāt quaſi totam mūdi vitam, id eſt, illud ſpatium temporis, quo Sol rediret ad illum punctum, vnde primum erat profectus, quemadmodum annus communis vocatur ille, quem Sol deſcribit motu 365. dierum. De hoc anno & Philoſophorum opinione multa ſcribit Cicero *lib. 2. de Nat. Deor. & in Somnio Scipionis.* Quod autem annos ex noſtris magnus ille annus contineret, non conuenit inter Authores. Alij Philoſophi dixerunt continere 18. millia annorum noſtrorum, in quibus fuit Hiraclitus. Alij 18. millia ſupra 354. vt putauit Diogenes. Alij ſepties mille ſeptingētos ſeptuaginta ſeptem, vt refert Plutarchus *lib. 2. de Placitis cap. 32.* Macrob. vero *lib. 2. in Somniū Scipio. Comment. cap. 11.* tradit tanquam communem opinionē Philoſophorum, illum magnum annum habere quindecies mille annos. Alij duodecies mille nongentos

De duratione Mūdi.
1. Sententia. Gentiliū.

tos,

:tos quinquaginta quatuor, vt Solinus, Seruius in *lib.3.Æneidos,* exponens illum verſum:

Interea magnum Sol circumuoluitur annum.

EQVES. Sunt etiam alij doctores, qui mundum duraturum duodecies mille octingentos, quinquaginta quatuor, vt Cornel. Tacit. Platonici verò triginta ſex millia annorum, aut, vt aliqui interpretes Platonis dicũt triginta nouem millia annorum putabant. *Inter Iudæos* autem nonnulli Cabaliſtæ dicuntur in ea fuiſſe ſententia, vt putauerint mundum eſſe duraturum ſex millia annorum. Deinde per annos mille futurum eſſe vacuum & inanem. Poſtremo per alios mille annos renouatum iri. Lege Hieron. Magnum *lib.3.de exuſt.mundi, cap.16.* Alij verò, quorum fuit Princeps Helias, vt aliqui dicunt, Propheta inter illos, vt alij dicunt, Thesbites, exiſtimauerunt, duraturum annum ſex millia annorum à prima origine: Leuibus tamen argumentis; quale eſt illud, quod in Geneſis principio reperiatur litera X. ſepties, quæ ſignificat numerum millenarium. In hanc ſententia mihi videntur fuiſſe omnes Chriſtiani antiqui, quamuis melioribus argumentis adducerentur, vt intelligitur ex Iuſtino, aut quicunque fuit, author earum quæſtionum, quæ à gentibus, proponebantur Chriſtianis, *in explicatione quæſtionis 71.* Et ex Lactantio *lib.7.cap.14.* Chriſtianorum argumentum erat, quod Deus ſex diebus mundum condidiſſet, & ſeptimo quieuiſſet, & quod in lege Deus præcepiſſet laborare ſex diebus, ſeptimo requieſcere. Alij Chriſtiani exiſtimarunt mundum eſſe duraturum ſeptem millibus annorum à prima conditione, moti titulis multorum Pſalmorum, qui inſcribuntur *pro octauo*, quaſi mũdus eſſet habiturus ſeptem annorum millia, & in octaua ætate eſſet futura vita beata. Quam opinionem refert D. Auguſtinus *in Comment. in Pſalm.6.* Alij crediderunt, quemadmodum homo habet ſex ætates, infantiam, pueritiam, adoleſcentiam, iuuentutem, grauitatem, ſenectutem: ita mundum habiturum eſſe ſex ætates. Primam habuiſſe ab Adamo vſque ad Noë; Secundam à Noë vſque ad Abrahamum, Tertiam ad Abrahamo vſq; ad Dauidem; Quartam à Dauide vſq; ad tranſmigrationem Babylonis; Quintam à transmigratione vſque ad Chriſtum; Sextam habituram eſſe à Chriſto vſque ad finem. Sed tamen, quia in homine ſæpè vltima ætas ſola tot ſolet annos habere, quot habent aliæ quinque ætates ſimul. (Nam ſenectus incipit ab anno ſexageſimo, & poteſt peruenire vſq; ad centeſimum viceſimum, atque ita extendi ad ſexaginta annos) propterea dixerunt aliqui eſſe mundum duraturum ab

2. Sententia Iudæorũ.

3. Sententia Chriſtianorũ.

incarnatione Chriſti vſq; ad finem, quamdiu durauerat ab origine vſque ad aduentum Chriſti. Hanc ſententiam confirmabant ex illo Habacuc. 3. *In medio annorum viuifica illud.* Vide D. Auguſtin. *libr. 83. quæſt. 58.* Alij ſex millia annorum, quibus ſibi perſuadebant, mundum eſſe victurum, diuidebant in 12. partes, ſicut annus diuiditur in 12. menſes, & dicebant iam tranſiiſſe vndecim partes. Et quia vnaquæque pars habebat quingentos annos, putabant non eſſe mundum duraturum, niſi quingentos annos poſt aduentum Chriſti, vt refert D. Auguſtin. *in epiſt. ad Eſychium.*

SENEX. Ex ſacris autem literis vna ex parte intelligimus voluiſſe Chriſtum ita nos præſtò eſſe & paratos, quaſi quotidie immineret finis mundi. Hoc enim ſibi vult, dum dicit: *Videte, vigilate, & orate, quia qua hora non putatis, Dominus veniet, &: ſi ſciret paterfamilias, qua hora fur venturus eſſet, vigilaret vtiq;.* Hoc voluit oſtendere per illam parabolam decem virginum: & per illam alteram de ſeruo, qui cum Dominus eiuſdē peregre profectus eſſet, cœpit dicere, morā facit Dominus venire. Quapropter duo fuerunt genera Chriſtianorum antiquiſſimis temporibus, qui erant territi iſta iudicis improuiſo & præter opinionem venturi expectatione. Alij, qui ſemper parati erant ad mortem, optabant, vt Chriſtus veniret, vt indicat Paul. *2. ad Timoth. 4. Non ſolum mihi, ſed iis, qui diligunt aduentum Domini.* Qui vero erant imparati à bona conſcientia, non optabant, vt Chriſtus veniret.

Alia vero ex parte Chriſtus ſumma diligentia voluit nos celare finem mundi, & reprimere hominum curioſitatem, ne inquirerent, quando iudicium futurum eſſet. Hoc autem docet Scriptura, vbicunq; dicit, diem Domini ventūram eſſe tanquam furem in nocte, quia cum nocte dormiamus, neſcimus quota hora accidunt illa, quæ noctu accidunt. Hoc etiam voluit *Actor. 1. Non eſt veſtrum noſce tempora, vel momenta, quæ, &c.* Et apud *Matth. cap. 24. De die autem illa vel hora nemo ſcit, neque Angeli*, id eſt, nemo ſcit, niſi ſolus pater. Et *Marc. 13. Neque Angeli, neque filius hominis, ſed ſolus pater.* Ex quo loco olim magna contentio orta eſt inter Catholicos & Arrianos, qui inde probabant, Chriſtum non eſſe Deum.

Filius hominis neſcire dicatur diem Iudicij.

EQVES. Ex Scriptura autem manifeſtum eſt, CHRISTVM non ignoraſſe ſimpliciter diem iudicij. Nam quomodo ignoraſſet is in quo ſunt reconditi omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei? Et cui omnia tradita erant à patre, & qui ſolus patrem nouit? Si patrem nouit, nouit etiam ſcientiam pa-

tris.

tris. Et quia pater nouit diem iudicij, nouit etiam Filius diem iudicij. Quare neceſſe eſt, vt illa verba, *neque filius hominis*, intelligantur aliquo alio modo. Quo autem modo, variè explicatum eſt ab antiquis. Origenis *tractatu 30. in Matth.* refert tres expoſitiones antiquorum.

Origenis explicatio.

Prima eſt, Chriſtum ignoraſſe, cum fuit in hac vita, ſed ſciuiſſe, cum exaltatus eſt; quod falſum eſt.

Secunda eſt, Chriſtum ignoraſſe diem iudicij, quia membra eius, id eſt, Chriſtiani ignorabant.

Ieronymi explicatio.

Tertia, *ignoraſſe*, id eſt, non fuiſſe expertum D. Hieron. *in cap. Matth. 24.* ait, Chriſtum ignoraſſe, diem iudicij, non quod ignorauerit, ſed quod non patefecerit hominibus, ſicut è contra ſæpe Deus dicitur cognoſcere, cum facit homines cognoſcere. Eodem modo interpretatus eſt D. Auguſtin. *in lib. quæſt. 83. quæſt. bona.* Et *lib. 1. de Geneſi contra Manichæos, cap. 23.* Et *1. de Trinitat. cap. 12.* Et Chryſoſt. *homil. 14. in Marcum.*

Auguſtin. ele. explicatio.

N. videndum locũ Maldon. apud Marcum.

Multò melius meo iudicio Athanaſius *ſerm. 4. contra Arrian.* & Gregor. Nazianz. *lib. 4. de Theologia,* Chriſtum tanquam Deum ſciuiſſe diem iudicij, tanquam hominem ignoraſſe, quemadmodum alio loco dicit: *Mea doctrina non eſt mea, & filius non poteſt quicquam facere, niſi quod viderit patrem facere, & pater maior me eſt.* Hinc D. Auguſtin. *epiſtol. 80.* colligit optimam reſponſionem ad hanc quæſtionem, *ſi quis dicat, vigilandum eſſe, & orandum, quia citò venturus eſt Dominus, bene conſulit, ſed fortaſſis errat, qui dicit, vigilandum eſſe & orandum, quia quamuis tardè venturus ſit Dominus, breuis eſt vita & incerta. Benè conſulit, ſed fortaſſis errat, quia conſulit vigilandum eſſe & orandum, quia nemo ſcit, quando venturus ſit Dominus. Benè conſulit, & errare non poteſt, quia conuenienter loquitur Euangelio, videte, vigilate, & orate, qui neſcitis diem, neque horam.* Contra Euangelium ergo loquuntur omnes, qui volunt deſignare certum tempus, intra quod finiendus ſit mundus.

N. inde finem illius epiſtolæ & corrige hunc locum.

Explicatio teſtimoniorum, quæ allata ſunt in contrariam partem.

SENEX. Quod attinet ad allegatos ſuperius auctores, præſertim autem, qui ſcripſerunt in librum Eſdræ, non fuit ille locutus de fine mũdi, ſed potius de fine captiuitatis Iudæorum, aut ſeruitutis. Nam de illa re vaticinabatur. Daniel autem *cap. 2. & 7.* non dicit, futurum eſſe finem mundi poſt quatuor monarchias, neque locutus eſt de illo, ſed tantum de primo aduẽtu Chriſti, vt manifeſtum eſt ex interpretatione, quam adhibuit ad ſomniũ Nabuchodonoſoris, quod la-

pis deciſus à monte ſine manibus confracturus eſſet illam ſtatuam, quæ continebat quatuor monarchias. Illum enim lapidem non dubium eſt fuiſſe Chriſtum. *Cap.* autem *12.* non agit de duratione mundi, ſed de tempore, quantum Chriſtus regnaturus eſſet, vt interpretati ſunt omnes veteres Authores. Vide paulo inferius in opinionibus. Quod autem ait Ezechiel de Gog & Magog; ſignificat, Deum gentes barbaras, feras & immanes, conuocaturum eſſe ad vexãdos Iudæos. Quod autem Chriſtus ait apud *Matth.24. Non præteribit hæc generatio, donec omnia fiant, nomen generationis* illic non ſignificat certum tempus, aut ætatem, ſed res omnes generatas, id eſt, totum mundum, quemadmodum cum dicit Chriſtus: *Generatio praua & adultera ſignum quærit*, ipſos homines vocat generationem. Senſus ergo eſt. *Non præteribit generatio hæc*, id eſt, nõ finietur mundus, donec omnia fiant, quæ dixi. Cætera autem omnia teſtimonia Scripturæ, quæ ſignificant, proximum eſſe finem mundi, vt cum Paulus vocat *conſummationem ſeculorum*. Et Ioan. *nouiſſimam horam*, &c. huiusmodi, non ſunt intelligenda de tempore, quaſi nouiſſimum tempus ſit, ſed de ratione humanæ vitæ. Homines principio vixerunt ſine vlla lege, poſtea vmbra quadam legis, nempe circumciſionis, præterea ſub lege ſcripta, nunc ſub Euangelio, poſt quam legem & rationem vitæ, non eſt alia futura ante iudicium. Propterea vocatur hæc vltima ætas mundi & conſummatio, & finis, & nouiſſima hora.

IVVENIS. De ſignis, quæ præceſſura ſunt finem mundi, multa traduntur in ſacris. Et primum & maximum ſignum, quod traditur in Scripturis, *eſt Antichriſtus*, de quo dubitari poſſet, an ſit futurus aliquis vnus homo, an potius nullus certus homo; appellentur Antichriſti omnes Aduerſarij Chriſti, iuxta nominis proprietatem: Videtur enim hoc D. Ioann. indicare *1. epiſt. cap. 2. Filioli, nouiſſima hora eſt, & ſicut audiſtis, quia Antichriſtus venit, & nunc Antichriſti multi ſunt.* Et rurſus *eod. loco: Hic eſt Antichriſtus, qui negat patrem & filium.* Et *ead. epiſt. cap. 4. Omnis ſpiritus, qui ſoluit dominum Ieſum, ex Deo non eſt, & hic eſt Antichriſtus, de quo audiſtis, quia venit & iam nunc in mundo eſt.* Et *in 2. epiſt. Qui non confitetur Dominum Ieſum in carnem veniſſe, ſeductor eſt & Antichriſtus.* Propter hæc fortaſſe teſtimonia Caluinus videtur exiſtimaſſe, non eſſe futurum vllum certum Antichriſtum præter Satanam, qui iuxta nomen ſuum eſt aduerſarius Chriſti. Antichriſtos autem vocari omnes homines eius miniſtros, & inter eos Pontifices Romanos. Sed hæc manifeſta hæreſis eſt. Nam D. Paulus *2. ad Theſſal. 2.* deſcribit nobis

Nota Antichriſti ex D. Paulo. bis Antichriſtum tanquam vnum, certum hominē futurum, vt, cum eum appellas hominem peccati & filium perditionis. Non enim appellaſſet Diabolum hominem peccati, neque filium perditionis, neque omnes ſimul hæreticos, aut omnes Papas, quia non ſunt vnus homo.

1. Nota. Atq; hæc eſt prima nota, quam nobis tradidit D. Paulus de Antichriſto.

2. Nota. Secunda eſt fore, vt ſe extollat ſupra omne, quod dicitur Deus, aut colitur, idem vt aſſumat ſibi excellentiora nomina, quam quæ Deo tribuuntur, & vt faciat ſibi maiorem cultum exhiberi, quam ſolet exhiberi ipſi Deo.

3. Nota. Tertia eſt fore, vt Antichriſtus ſedeat in templo Dei oſtendens ſe tanquam ſit Deus. Quod omnes pænè antiqui intellexerunt, Antichriſtum redintegraturum eſſe illud antiquum templum Hieroſolymitanum, & in eo poſtea ſeſſurum tanquam Deum ad fallendos Iudæos. Ita Hippolyt. *in lib. de conſummat. mundi,* & Cyrill. Hieroſolymit. *catecheſi 15.* & Auguſtinus, aut quiſquis author *in lib. de Antichriſto,* & Hieron. *in Commentar. in cap. 24. Matth.*

4. Nota. Quarta eſt, prius operaturum eſſe myſterium iniquitatis. *Et myſterium,* inquit, *iam operatur iniquitatis.* Hoc nomine vocat D. Paulus omnes præcurſores Antichriſti, qui faciunt, vel docent eadem, quæ ille facturus eſt, aut docturus. Vocat autem *myſterium*, quia ſunt occulti illi, qui gerunt perſonam Antichriſti.

Quinta eſt, *qui tenet, teneat, donec de medio fiat.* Quod intellexerunt ferè omnes antiqui de Imperio Romano, quaſi dicat; qui nunc dominatur, dominetur, donec de medio fiat Antichriſtus, aut ipſi, qui dominantur. Et quia tempore D. Pauli imperabat Nero, adducti ſunt multi veteres authores in eam ſententiam, vt putarent Neronem non eſſe mortuū, ſed tantum tranſlatum, & illum rediturum eſſe, vt ſit Antichriſtus, vt refert D. Auguſtin. *lib. 20. de ciuit. cap. 19.* Videtur mihi proprius ſenſus huius loci eſſe, vt verbum Græcum κατέχειν ſignificet idem, quod ὑπομένειν, id eſt, ſuſtinere, pati, perferre, eſſe patientem. Nam quia dixerat D. Paulus, iam ſuo tempore myſterium iniquitatis operari, ne his verbis perterrerentur Chriſtiani, conuertit ſe ad conſolandos eos: *Noſtis autem,* id eſt, virtutem patientiæ. Qui ſuſtinet & patitur, τὸ κατέχον patiatur donec de medio fiat vel myſterium iniquitatis, vel Antichriſtus. Itaq; nihil aliud dicit D. Paulus, quam quod Chriſtus dixerat aliis verbis: *Qui perſeuerauerit vſq; in finem, ſaluus erit.* *5. Nota.*

Sexta nota eſt, *poſt iſtud myſterium iniquitatis, quod nunc occultum eſt, reuela-* *6. Nota.*

uelabitur ille iniquus. Vnde conſtat, eſſe futurum certum aliquem hominem.

7. Nota. Septima, *quem interficiet Dominus Ieſus Spiritu oris ſui.* Credo eſſe intelligendum nomine *Spiritus* imperium, ſicut cum cœli dicuntur formati eſſe Spiritu oris eius. Alludit autem D. Paulus ad verba Eſaiæ *cap.11. Spiritu labiorum ſuorum interficiet impium.*

8. Nota. Octaua eſt, *cuius aduentum ſecundum operationem Satanæ in omni virtute, & ſignis, & prodigiis mendacibus.* Vnde manifeſtum eſt Antichriſtũ facturum eſſe multa, quæ legimus apud varios Authores. Hæc ſunt, quæ nobis conſtant de Antichriſto ex ſacris literis.

Notæ veterum de Antichriſto.

SENEX. Sed præter hæc quæ narraſti antiqui authores etiam varia ſibi perſuaſerunt, nam dicebant,

1. Nota. primum, illum eſſe naſciturum ex tribu Dan, ex qua nonnulli dixerunt natum fuiſſe Iudam Iſcariotem, propter verba Iacobi *Geneſ.49. Fiat Dan coluber in via, & ceraſtes in ſemita mordens vngulas equi, & cadet aſcenſor eius retro.* Et propter prophetiam Hieremiæ *cap. 8. Ex Dan audiuimus vocem equorum eius.* In hac ſententia fuit Irenæus *lib. 5.* & Hippolyt. *in lib. de conſummatio. mundi*, & Methodius *in lib. reuelationum iuxta fin.* Et D. Ambroſius *in libr. de benediction. Patriarcharum cap.7. & in Pſal.40.* Et Auguſtin. aut alius quiuis author *in lib. de Antichriſto.* Gregor. Magnus *in lib.31. Moral. cap.18.* & Primaſius *lib. 4. Comment. in Apocal.*

2. Nota. Secundò, fuit etiam pleriſque veteribus perſuaſum, Antichriſtum naſciturum ex adulterio, vt ſcribit Damaſcen. *lib.4. de fide cap.27.* Quanquam fuerunt aliqui in ſententia prorſus contraria, vt Hippolytus, illum eſſe naſciturum ex virgine, & futurum eſſe non hominem, ſed Dæmonem, qui ad fallendos homines ſuſcepturus ſit humanam naturam fictam & ſimulatam. Cæterum hic error manifeſtè arguitur verbis D. Pauli, *2. ad Theſſalon.2.*

3. Nota. Tertiò, crediderunt antiqui Antichriſtum eſſe naſciturum in Syria, & quidem in ipſa ampliſſima ciuitate Babylone. Ita Lactant. *lib.7. cap.7.* Et Auguſtin. *in lib. de Antichriſto.* Et D. Hieronym. *in cap.12. Danielis.*

4. Nota. Quarto, fuit antiquis perſuaſum, fore, vt Antichriſtus eſſet circumciſus, vt melius falleret Iudæos, qui potiſſimum illi adhæſuri ſint, exiſtimantes eſſe ſuum Meſſiam, quod putabant antiqui ſignificaſſe Chriſtum, cum dixit: *Ego veni in nomine Patris mei, & non recepiſtis me: Alius veniet in nomine ſuo, & recipietis eum.* Ita Hippolyt. *in libr. de Antichriſto*, & Ambroſ. *in Comment. in cap. 2. epiſt. 2. ad Theſſalon.*

5. Nota. Quintò, creditum eſt, Antichriſtum

ſtum eſſe regnaturum tres annos cum dimidio, propter prophetiam Danielis *cap. 12. In tempus, & duo tempora, & dimidium temporis, & dies mille ducenti nonaginta.* Qui efficiunt ferè tres annos cum dimidio. Ita docent Hippolyt. *in illo libro.* Et Cyrill. Hieroſolymit. *catecheſi 15.* Et Irenæus *lib. 5. contra hæreſin Valentinianam.* Et Author eſt *lib. de Antichriſt.* Et D. Hieronym. *in Commentar. in cap. 12. Danielis.* Et Chryſoſt. *homil. 49. operis imperfecti in Matthæum.*

6. *Nota.* Poſtremo fuit opinio vulgaris antiquorum, Antichriſtum eſſe ſuperaturũ decem Imperatores Romanos, qui erunt eodem tempore, vt ſcribit Lactant. *lib. 7. cap. 16.* & Cyryll. *catecheſi 15.*

2. *Signũ.* EQVES. Sunt & alia ſigna Anchriſti præter primum illud ſuperius narratum, nam ſignum eſt, quod traditur à D. Paulo *2. Theſſalon. 2.* fore, vt fiat diſceſſio ante finem mundi, quod omnes ferè antiqui intellexerunt de rebellione omnium gentium ab Imperio Romano, quia perſuadebat ſibi, non eſſe venturum Antichriſtum, niſi prius aboleretur Imperium Romanum, vt prius dixi. Videtur mihi D. Paulus nomine Græco ἀποστασίας nihil ſignificare aliud voluiſſe, quã ipſum Antichriſtum, quẽ tanquam inſignem & ſingularem Apoſtatam appellauit Apoſtaſiam. Nam propterea addidit ſtatim quaſi exponens, quod dixerat, *& reuelatus fuerit homo peccati.*

Tertium ſignum eſt, quod ait Chriſtus fore, vt Sol & Luna obſcuretur, quod nõ eſt neceſſe intelligere tam Philoſophice, q̃ Scholaſtici intelligunt, quaſi obiecta alicuius nubis futurum ſit, vt non poſſit Sol & Luna videri, ſed ſimpliciter, vt Chriſtus loquitur, Solem & Lunam obſcuratam iri. 3. *Signũ.* *Obſcur. Solis & Lunæ qualis.*

Quartum eſt, caſuras eſſe ſtellas. Quod quia videtur eſſe contra naturam cœlorum, in quibus ſtellę fixæ ſunt, variè explicatũ eſt à multis. Aliqui dixerunt, ſtellas prius amiſſuras eſſe lumen ſuum. Deinde illud terreſtre quod remanebit in illis, caſurum eſſe in terram. Ita Orig. *tractat. 3. in Matth.* Alij putauerunt, non eſſe caſuras ſtellas, neque obſcurandas propriè, ſed tantũ obfuſcandas ſplendore aduẽtus Chriſti, vt putat Hieronym. *in Commentar. in cap. 24. Matth.* Alij noſtra ætate dixerunt, non eſſe futuras ſtellas veras eas, quæ cadẽt, ſed Cometas. Alij antiqui dixerunt, nomine *Stellarum* intelligendos Dæmones, quibus veteres putabant plenum eſſe aërem illum. Alij *caſuras ſtellas*, id eſt, cõmouendas, quia cœli commouendi ſunt, vt intelligatur ex parte totum. Quas duas opiniones recitat Hieron. *in cap. 34. Eſaiæ.* Alij putant, ſtellas non aliter caſuras, quam quod amiſſuræ ſint lumen ſuum, & ſic videbuntur cadere. 4. *Signũ.*

cadere. Quæ opinio eſt valde probabilis. Sed quid, ſi dicamus vere caſuras eſſe ſtellas? Num ſequetur aliud abſurdum, quam quod non loquamur conuenienter Ariſtoteli? At certè loquemur conuenienter Euangelio.

5. Signũ. Quintum ſignum eſt futurum, vt Euangelium prædicetur per vniuerſum orbem, quod videtur Paulus dicere factum eſſe iam ſuo tempore *in epiſt. ad Roman. cap. 2. Nunquid non audiuerunt? In omnem terram exiuit ſonus eorum*; Noſtro vero tempore iam fere Euangelium per vniuerſum orbem peruagatum eſt.

6. Signũ. Sextum ſignum eſt, fore, vt virtutes cœlorum commoueantur. Virtutes cœlorum aliqui intellexerunt Angelos, ſed parum aptè. Nec enim Angeli cõmouebuntur. Virtutes ergo cœlorum credo dictas eſſe ipſum cœlum, aut cœli cardines, quibus nititur. Ita enim ſolet loqui Scriptura, cum dicit: *Vt laudent Deum virtutes cœlorum.* Hoc etiam ſenſu Eccleſia ſolet dicere quotidie, *cœli cœlorumq; virtutes.* Idem eſt enim, quod Chriſtus hoc loco dicit, *Virtutes cœlorum commouebuntur*, & quod D. Petrus aliis verbis explicauit *epiſt. 2. cap. 3. Cœli calore ſoluentur.* Item, *cœli magno impetu tranſient*, id eſt, commouebuntur.

7. Signũ. Septimum ſignum eſt, quod Chriſtus dicit: Tunc apparebit ſignum filij hominis in cœlo, quod non poteſt ſignificare generaliter omnia ſigna, quia de cœteris iam ſigillatim erat locutus. Itaque indicat aliquod diſtinctum, & nouum ſignum eſſe appariturum in cœlo. Antiqui exiſtimarunt eſſe ſignum crucis, quod videndum ſit ab omnibus hominibus, atque huc pertinere, quod ait Chriſtus apud *Matth. cap. 24. Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vſq; ad occidentem, ſic erit aduentus filij hominis.* Ita Hippolyt. *lib. de Antichriſto*, & Hieron. *Comment. cap. 24. Matth.*

Octauum eſt, vt tuba inſonet; quod quo pacto intelligendum ſit, magna quæſtio eſt. Vero ſimilius eſt futuram eſſe non veram tubam, ſed metaphoricam. Solet enim Scriptura vocare *tubam* omnem vocem magnam, & terribilem, vt cum *Daniel cap. 7.* ſcribit cornu beſtiæ locutum eſſe ſermones grandes. Et Chriſtus apud *Matth. cap. 6. Cum facis eleemoſynam, noli tuba canere.* Et Eſaias *cap. 58. Exalta ſicut tuba vocem tuam.* Hoc autem ſenſu accipi hoc loco, colligitur ex *cap. 5. Ioannis*, vbi aliis verbis idem dicitur: *Venit hora & nunc eſt, quando mortui, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij Dei.* Hoc enim poſuit loco ſigni. Ergo nihil aliud eſt tuba, quam illa vox filij Dei. Item *in eod. cap. 24. Matth. Mittet Angelos ſuos cum tuba & voce magna*; quaſi idem ſit tuba, & vox magna. Item *cap. 25. Media autem nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit* 8. Signũ.

venit. D. Auguſtin. *epiſt.120.* idem eſſe dicit illum clamorem, qui factus eſt media nocte, & tubam. Ille autem clamor erit vox humana, quia ſtatim explicatur; *ecce ſponſus venit.* Præterea D. Paulus *1. ad Theſſal. cap. 4. Ipſe Dominus in iuſſu & in voce archangeli & in tuba Dei deſcendet de cœlo,* quaſi idem ſit vox Archangeli & tuba Dei. Et *1. ad Corinth.15. In momento, in ictu oculi, in tuba nouiſſima. Canet enim tuba, & mortui reſurgent.* Qui locus occaſionem dedit veteribus, vt exiſtimarent futuras eſſe multas tubas, quia D. Paulus vocat tubam nouiſſimam, & quod D. Ioan. in Apocal. dicat, ſeptem Angelos ſe vidiſſe cum ſeptē tubis. Hanc opinionem lege apud D. Hieronymum *in epiſt. ad Minerium & Alexandrum tom. 3.* Credo nouiſſimam tubam appellatam eſſe à D. Paulo per Enallagen, quaſi tubam temporis nouiſſimi, neque futuram eſſe, niſi vnam.

Quæret aliquis, illam vocem, quæ vocatur *tuba*, quis edet? Deus ne an Chriſtus, an Angelus, an aliquis homo? Reſpondeo, credibilius eſſe, edendum eſſe non ab vno tantum, ſed à pluribus Angelis ſimul & Archangelis. Nam Chriſtus apud *Matth. cap. 24.* ait, Deum miſſurum eſſe Angelos ſuos cum voce magna. Itaq; quod ait D. Paulus *1. ad Theſſalon. 4.* in numero ſingulari, in voce *Archangeli*, eſt (vt vocant) propoſitio doctrinalis, qua, cum loquimur de toto genere, vtimur numero ſingulari, vt, ſi dicerem: Angelus eſt Spiritus: Quare ergo vocatur vox filij hominis apud Ioannem? Reſpondeo, vocari vocem filij hominis, non quod filius hominis eam editurus ſit, ſed quod iuſſu illius per miniſtros illius edenda ſit.

Nonum ſignum eſt aduentus Eliæ & Enoch. Eliam & Enoch venturos eſſe ante iudicium, perſuaſum eſt Chriſtianis. Ac de Elia quidem maxime, quia Malachias *cap. 4.* ſcribit; *Ecce ego mittam ad vos Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & terribilis.* Et apud *Matth. c. 11.* dicitur de Ioanne: *Ipſe eſt Elias, qui venturus eſt,* id eſt, Ioannes habet Spiritum Eliæ, qui venturus eſt. Et *cap. 16. Quem dicunt homines eſſe filium hominis? Alij Eliam, alij Ioannem Baptiſtam.* Significarunt enim Iudæi, dum exiſtimarunt Chriſtum eſſe Eliam, ducti magnitudine miraculorum, credere ſe Eliam eſſe venturum. Item *cap. 17. Quid ergo ſcribæ dicunt, quod Eliam oportet primum venire? Elias quidem veniet & reſtituet omnia.* Et *Marc. 9. Elias cum venerit, primum reſtituet omnia.* Propterea Iudæi interrogarunt Ioannem *cap. 1. Elias es tu?* Propterea etiam illi, qui audierunt clamantem in cruce Chriſtum Heli, Heli, dixerunt, *Eliam vocat iſte.* Sinamus & videamus, an veniet Elias. De Enoch autem nihil eſt expreſſum in Scri- *9. Signū.*

ptura, ſed quia Enoch fuit ſimul ſocius tranſlationis cum Elia, omnes antiqui collegerunt, venturum eſſe etiam Enoch. Deinde, qui exiſtimarunt, Ioannem Euangeliſtam non fuiſſe mortuū, ſed translatum. Similiter dixerūt venturam eſſe illū cum Elia, & Enoch, vt Hippol. *in lib. de conſummat ſeculi.* Porrò omnibus fere antiquis fuit perſuaſum, fore, vt Elias & Enoch occidātur ab Antichriſto, vt ſcribit idem Hippol. & Methodi⁹ *in reuelat. cap. pen.* Et Lactant. *lib. 7. c. 17.* Addit autē Lactātius pręter omnes Authores, eorū cadauera tres dies manſura inſepulta, poſt quos tres dies illos eſſe reſurrecturos. D. Auguſt. *quæſt. Euangel. c. 21.* etiā dicit eſſe morituros, ſed an ſint interficiendi, non dicit. Ambroſ. verò *in Comment. in c. 4. 1. ad Cor.* ait eſſe interficiēdos. Hi omnes auctores adducti ſunt in hanc ſententiam, propter illa verba Ioan. *in Apocal. c. 11. Cum finierint miniſterium ſuū, illa beſtia, quæ aſcendit de abyſſo, faciet bellum aduerſus illos, & vincet illos, & occidet eos.* D. autē Hieron. *in ep. ad Marcellam,* ſcribit, non eſſe morituros, ſed aſſumendos in cœlum. Illa prior opinio eſt magis conſentanea Scripturę, nō tantum propter teſtimonium Apocal. ſed etiam, quia vbique teſtatur, omnes morituros, à qua lege neminē licet excipere ſine grauiori teſtimonio. Deinde etiam Eliam & Enoch edituros eſſe multa miracula & magna, manifeſtum eſt ex *eod. cap. 11. Apocal.* Prætereà omnes antiqui habuerunt ſibi perſuaſum, fore, vt Elias & Enoch prędicarent Euangelium per tres annos cum dimidio propter verba Ioannis Apocal. *11. cap. Et prædicabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ſaccis.*

IVVENIS. Multa quidem de Antichriſto iam dicta ſunt, ſed nūc videamus quid futurum, poſtquam Antichriſtus reuelatus, an ſtatim reſurrectio mortuorum ſubſecutura ſit?

SENEX. Tres quæſtiones hic moueri poſſunt.

Prima eſt de morte, quæ debet antecedere reſurrectionem; an omnes morituri ſint?

Secunda eſt, an reſurrectio mortuorum futura ſit?

Tertia, qualis futura ſit?

QVÆST. I.

An omnes homines ſint morituri?

ANtiqui auctores multi & graues fuerunt in ea ſentētia, vt exiſtimarent non omnes homines eſſe morituros, ſed illos, quos dies vltima occupauerit in vita, eſſe capiendos viuos in occurſum Chriſti. Ita videtur Orig. ſenſiſſe *lib. 2. cōtra Celſum.* Ita ſentiunt Theodorus Heracleotes, Apollinarius, Agathius Neocæſarienſis apud Hieronym. *1. Sententia.*

nym. *in epiſt. ad Minerium & Alexandrum.* Et Chryſoſt. & Theophylactus *in cap. 15. 1. epiſt. ad Corinth.* Et Hieron. *in epiſt. ad Marcellam tom. 3.* Quæ opinio nata eſt ex duobus locis D. Pauli. Alter eſt *1. ad Corinth. 15.* Vbi loco eorum verborum, quæ habemus Latinè, *omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur,* omnes fere Codices Græci habent è contrario, *non omnes dormiemus, ſed omnes immutabimur.* Sic enim legerunt omnes antiqui. Ita etiam citat hæc verba Iuſtinus in quæſt. quæ à gentilibus propoſitæ ſunt Chriſtianis. Alter locus eſt *1. ad Theſſal. cap. 4. Nos qui viuimus qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis in nubibus in occurſum Chriſti.*

2. Sententia. Alij authores contra ſenſerunt, omnes eſſe morituros, Magnus Didymus ſecutus Origenem, vt ait Hieronym. *in epiſt. ad Minerium.* Et D. Auguſtin. *lib. 20. de Ciuit. cap. 20.* Quæ ſententia multo magis conuenit cum Scripturis ſacris. Scriptura enim dicit *ad Hebr. 9.* ſtatutum eſſe omnibus hominibus ſemel mori. Igitur quod attinet ad priorem locũ D. Pauli, illud ſciendum eſt ex D. Hieronymo ea verba, quæ habemus in communi verſione Latina, in nullo Græco Codice reperiri; ſed tamen duplicem fuiſſe lectionem antiquam; alteram, vt negatio poneretur cum priori verbo, *πάντες μὲν οὐ κοιμηθησόμεθα*, id eſt, *non omnes quidem dormiemus, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα, ſed omnes immutabimur;* alteram, vt negatio ſit coniuncta cum ſecundo verbo, *omnes quidem dormiemus, ſed non omnes immutabimur.*

Hanc poſteriorem lectionē eſſe neceſſario retinendam, & alteram reiiciendam, ex verbis, quæ ſtatim ſequuntur, probari poteſt. Probat. 1. Addit enim ſtatim D. Paulus: *Mortui reſurgent incorrupti, & nos immutabimur.* Quo in loco manifeſtè oſtēdit, immutationē non eſſe futuram omnibus cōmmunem, ſed ſibi & quibuſdam aliis propriam. Opponit enim Pronomen, *nos*, cũ verbo, *immutabimur*, nomini diſtributiuo præcedēti, *omnes*, cũ cōiũcto verbo, *dormiemus.* Ergò non potuit ante dicere, *non omnes dormiemus, ſed omnes immutabimur.* Nam ſi omnes immutandi erant, quare ſtatim addebat ſingulare quiddam & proprium, *nos autem immutabimur?* Probat. 2. Accedit quod *eodem cap.* D. Paulus ſæpe ſignificet omnes eſſe morituros, vt cum dicit: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in CHRISTO omnes viuificabuntur.* Probat. 3. Et cum dicit: *Stulte, quod ſeminas non viuificatur, niſi prius moriatur*, indicat mortem præcedere debere reſurrectionem. Quid ergo ſignificat illud verbum, *nos autem immutabimur?* Significat reſurrectionem aliam ſingularem & propriam ſanctis viris, qua non tantum corpore reſurrecturi ſunt, ſed etiam intrepidè ſtaturi in conſpectu Iudicis.

1. Expoſitio. Hoc enim eſt *reſurgere in iudicio.* Item ſignificat illud verbum corporis glorificationem & reformationem futuram in reſurrectione, 2 Expoſitio. de qua Paulus *ad Philippenſ. 3. & in eod. c. 15. 1. ad Corinth.* Oportet corruptibile hoc inducere incorruptionem. *Obiiciunt* aliqui defenſores contrariæ ſententiæ, quod D. Paulus locutus ſit per primam perſonam, *non omnes immutabimur.* Reſpondeo, hanc eſſe vſitatam locutionem, eaq; Paulum potius ſignificare ſe immutandum eſſe, vt cum Rex dicit, omnes ſumus homines, ſed non omnes ſumus Principes, non ſignificat ſe non eſſe Principem, imo potius ſignificat ſe eſſe Principem. Nam ſi homo plebeius diceret, omnes ſumus homines, ſed non omnes ſumus Principes, ineptè loqueretur.

Quod attinet ad ſecundum locum, primum quidem D. Paulus illo *cap. 1. Theſſ. 4.* nō videtur loqui de reſurrectione corporum, quę futura eſt communis omnibus, ſed tantum de illa propria reſurrectione Sanctorū, qua occurſuri ſunt Chriſto venienti. Hoc enim indicat, cum ait: *Non præueniemus eos, qui dormierunt.* Item cum ait: Qui mortui ſunt in Chriſto, reſurgent primum. Præterea verba Græca leguntur in tempore præſenti ζῶντες & περιλειπόμενοι, id eſt, *viuentes,* & qui reliqui ſunt. Quæ verba nonnulli tranſtulerunt in futurū, quaſi dicat D. Paulus, nos, qui viuemus tunc, & qui reliqui erimus, rapiemur ſimul cum illis. *Quod ſi obiicias:* Ergò D. Paulus ſe credebat futurum in viuis, cum veniret dies iudicij? Reſpondent, non id crediſſe, ſed ita locutum eſſe, vt teneret ſuſpenſos animos Chriſtianorum, quaſi quotidie ille dies eſſet expectandus. Sed hoc videtur eſſe violentum.

Igitur duplex eſſe poteſt ſenſus huius loci: Alter, vt non compa- 1. ret eos, qui futuri ſunt viui in die iudicij, cum illis, qui mortui fuerant ante illum diem; ſed compararet ſe & cæteros, qui tum viuebant, cum illis, qui ante id tēporis mortui erant, ita vt non ſignificet, ſe eſſe futurum viuum in die iudicij, ſed tantum velit eximere eum errorem à Theſſalonic. quo perſuaſum habebant longius abeſſe à Chriſto, qui multo ante mortui erāt, quam abeſſent illi, qui tum viuebant. Propterea enim dixit, *non præueniemus eos, qui dormierunt.*

Alter ſenſus eſt, vt D. Paulus in- 2. telligat perſonam incertam nomine perſonæ certæ, quemadmodum cum dicit Chriſtus; *Vos autem baptizabimini Spiritu ſancto, & igne.* Nam illi ipſi, quibuſcum loquebatur, non ſunt baptizati poſtea, ſed intelligebat perſonam incertā Iudæorum: Eodem modo hîc: Nos qui viuimus, qui reſidui ſumus, Non quod nos futuri ſimus viui tunc,

tunc, ſed illi, qui futuri ſunt viui tunc, quales nos modo ſumus, rapientur in nubibus obuiam Christo.

QVÆST. II.

An futura ſit reſurrectio mortuorum?

DE ſecunda quæſtione fuerunt multæ & mirabiles ſententiæ.

1. Sententia. *Prima* quidem, Philoſophorum, qui ſemper irriſerunt reſurrectionem.

2. *Secunda*, Sadduceorum, qui propterea non credebant futuram eſſe reſurrectionem, quia credebant animum eſſe mortalem.

3. *Tertia*, antiquiſſimorum Hæreticorum, qui reſurrectionem putabant futuram eſſe animorum, non corporum, quod animi eſſent immortales, corpora natura ſua mortalia. In qua hæreſi fuerunt, Simon Magus, Valentinus, Marcion, Apelles, Manichæi, & plerique alij.

4. *Quarta* Originis, vt Author eſt Hieron. *in epiſt. ad Pammach. de errorib. Ioannis Hieroſolymitani*, qui introduxit aliam hæreſin, futuram eſſe reſurrectionem, ſed non eſſe futuram in eodem corpore.

5. *Quinta*, contra quam ſcribit D. Paulus *2. ad Tim. 2.* reſurrectionem iam eſſe factam.

Sexta, quorundam, vt vocat D. Auguſtin. Arabicorum, propterea quod in Arabia, vt ſcribit Euſeb. *lib. 6. hiſtor. c. 27.* docuerint futuram eſſe reſurrectionem eiuſdem corporis, & eiuſdem animi, ſed animos mori cum corporibus, & reſurrecturos eſſe cum illis. 6.

Sententia autem Catholicorum de reſurrectione fuit ſemper hæc; reſurrecturos eoſdẽ homines numero, qui mortui fuerunt, habituros eoſdem animos, & eadem numero corpora, eadem oſſa, eoſdem neruos, eaſdem carnes. Nam ex Scripturis aut nulla reſurrectio futura eſſe probatur, aut eiusmodi futura eſſe probatur. Nam *Iob. 19.* ait, ſe circumdandum eſſe eadem pelle ſua, item in eadem carne ſua viſurum eſſe Deum iiſdem oculis, ſe futurum eſſe, non alium. Et D. Paulus *1. ad Corinth. 15.* multis verbis oſtendit, nos eodem modo reſurrecturos eſſe, atq; reſurrexit Christus. CHRISTVS autem recepit eundem animum & idem corpus. Iſtiusmodi ergo reſurrectionẽ antiqui Authores probauerunt contra Philoſophos, non eſſe Deo impoſſibilem, duobus præſertim argumentis. 7. *Reſurrectionis poſſibilitas.*

Alterum eſt, quod Deus fecerit mundum, & res omnes, quæ in eo ſunt, & non ſit minoris potentiæ res facere de integro, quam poſtquam eſſe deſierint, reſtaurare. Alterum eſt ſumptum ab exemplis,

quod iam Deus nonnullos, vt concedebant ipſi Philoſophi, ab inferis reuocauerit. Pręterea multis exemplis conati ſunt oſtendere, reſurrectionem non omnino abhorrere à natura. Quod primus omnium fecit D. Paulus, *1. ad Corinth. 15. Stulte, quod ſeminas, non viuificatur, niſi prius moriatur.* Vnde Scholaſtici acceperunt occaſionem diſputandi, an reſurrectio eſſet naturalis, & multis rationibus probare voluerunt naturalem eſſe. Quod non exiſtimo eſſe faciendum, ne Philoſophi exiſtiment niti fidem noſtram de reſurrectione, Phyſicis rationibus, quas cum viderint non ſatis firmas afferri, non credant reſurrectinem, quam alioqui fortaſſe credituri eſſent, ſi ageremus teſtimoniis diuinis. Exempla verò legi poterunt apud Tertullian. *in lib. de reſurrect.* Apud Ambroſ. *in duobus libellis de fide reſurrectionis.*

EQVES. At Philoſophi antiqui multis argumentis reſurrectionem impugnabant.

1. Argum. *Primum* quidem, quod accidat ſæpè, multos homines veſci humanis carnibus, & ex illis eorum ſubſtantiam ali. Quapropter non poſſe in reſurrectione aut illos, qui humanis carnibus vſi ſunt, reſurgere, aut certe illos, quorum carnibus vſi ſunt. Ad hoc argumentum Athenagoras *in lib. de reſurrect.* duobus modis reſpondit. Primum, nō omnem cibum ſolere conuerti in naturam rei alitæ, ſed illum, qui naturæ accommodatus ſit. Carnes autem humanas nō eſſe accommodatum cibum ad naturam hominis, idcirco non conuerti in naturam hominis, etiamſi ab homine edātur. Deinde reſpondet, Deum adhibere curam, at cum carnes humanæ ab homine eduntur, excernātur omnes earum partes, quę pertinere poſsūt ad ſubſtantiam eius, cuius erant, vt illi reſtituātur in reſurrectione. (Reſponſ. 1.) Iuſtinus autem *in quæſt. à gentibus Chriſtianis poſitis quæſtio. 73.* aliter reſpondet. (Reſp. 2.) Quemadmodum ex aliis cibis non omnes partes conuertuntur in naturam rei, quæ alitur: ita neque ex carnibus humanis. Eas ergo partes, quæ non conuertuntur, eſſe reſtituendas in reſurrectione illis, quorum erant. D. Auguſtin. *lib. 22. de Ciuit. cap. 20.* refellit reſponſionem Athenagoræ; (Reſp. 3.) Quod ſit contra experientiam, quæ docet homines verè nutriri carnibus humanis. Ad argumentum autem ipſe reſpondit, quod non debeant redire ad vnumquemq; hominem in reſurrectione, omnia, quæ in illo fuerunt aliquando, ſed tantum illa, quę neceſſaria ſunt ad redintegrandam illius naturam. Quapropter cum natura eorum, qui vſi ſunt carnibus humanis, redintegrari poſſit aliis rebus, ſiue quas commederunt, ſiue quas à natura acceperunt, illas car-

carnes, quæ ab hominibus in cibum ſumptæ ſunt, poſſe reddi illis, quorum erant.

2.Argum. *Secundum* argumentum erat, quod ſæpe in naufragiis homines pereant, ſæpe aliter à beſtiis deuorentur, & conuertantur in eorum naturam, tum etiam in plantas, & in alias res. Quare nihil eſſe, cur potius homines dicantur reſurrecturi, quam beſtiæ. Ad hoc argumentum eodem modo reſpondendum eſt, hominem dici reſurgere, quia vtraque illius pars reſurgit, quod in beſtia non poteſt fieri, propterea partes illas ſubſtantiæ, quæ à beſtiis fuerunt deuoratæ, hominibus reddi, non beſtiis.

3.Argum. *Tertium* argumentum eſt, quod à priuatione ad habitum non fit regreſſus. Reſpondeo, iſtam eſſe legem naturæ, quæ Deum non ligat, quemadmodum lex naturæ erat, vt ex nihilo nihil fieret, ſed Deus fecit mundum ex nihilo.

4.Argu. *Quartum* ſumptum eſt ex *2.lib. Ariſtotelis de ortu & interitu.* Quæ mortalia ſunt ea eadem ſpecie, ſed non eodem numero redire poſſe. Eodem modo reſpondeo, hanc eſſe regulã Philoſophicam, & ea Deum non teneri.

5.Argum. *Quintum* eſt, quod res naturalis non poſſit fieri ſine motu, & tempore, & res ſit numero diuerſa, ſi motus, quo gignitur, eſt diuerſus numero. Reſurrectio autem non poteſt non eſſe motus numero diuerſus à prima generatione vniuscuiusq; hominis. Igitur homo, qui reſurget, neceſſe eſt, vt ſit alius numero ab eo, qui genitus erat. *Reſpondeo* primum, cauſas naturales in agendo pendere à motu, & tempore, Deum autem non pendere, quia ipſe fecit primum motum, & primũ tempus. Deinde reſpondeo, illud principium Philoſophicum, ſi excutiatur, non eſſe omnino ſolidũ. Nam negari non poteſt, quin motus & tempus ſint accidentia ſubſtantiæ. Quare quamuis nulla cauſa naturalis poſſit gignere ſubſtantiam ſine motu, & tempore, tamen nihil eſt, quo minus Deus poſſit gignere ſubſtantiam, ſine vllo motu & tempore, quia poteſt ſeparare ab vnaquaq; re, quicquid non eſt de illius eſſentia.

Eodem modo reſponderi debet *6.Arg.* ad illud aliud argumentum, quod affertur, quod motus nõ diſtinguatur à termino, & motus, quo homines reſurgent, ſit diſtinctus ab eo motu, quo generati fuerint. Ergò terminum, id eſt, ſubſtantiam hominis reſurgentis eſſe diſtinctum ab alio termino, id eſt, à ſubſtantia hominis generati. Nam vt demus eſſe verum, motum non diſtingui à termino (quamuis hæc tantum ſit opinio Philoſophica) tamẽ nõ ſunt idem formaliter, ſed re atqui in aliis multis rebus accidit, vt duæ res diſtinguantur inter ſe, & tamen

men ſint vnum & idem re cum alio tertio.

IVVENIS. Audiui quid Philoſophi ſenſerint, ego autem quid Scriptura doceat paucis recenſebo.

ARGVMENTA SCRIPTVRÆ pro reſurrectione mortuorum.

PRimo quidem Christus *Matth. 22.* pro magno argumento vſus eſt aduerſus Sadduceos teſtimonio *Exodi cap. 3. Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, Deus Iacob.* Ex quibus tamen verbis nõ videtur probari poſſe reſurrectio. Primo enim poteſt, illud verbum, *ſum*, vt Dialectici docent, ampliari ab illis nominibus, Abraham, Iſaac, & Iacob, ad tempus præteritum, vt ſit ſenſus: Ego ſum DEVS, quem olim coluerunt Abraham, Iſaac, & Iacob, quemadmodum ſi dicerem, Ego ſum filius Petri, cum ille mortuus ſit, ſignifico me eſſe illum, qui aliquando fui filius illius. *Præterea* non videtur Chriſtus inde colligere reſurrectionem mortuorum, de qua quæſtio erat, ſed immortalitatem animorum, de qua non erat. *Non eſt,* inquit, *Deus mortuorum, ſed viuentium.* Atqui poterant eorum animi viuere: ſed non propterea videtur ſequi reſurrectionem corporum eſſe futuram. *Reſpondeo,* ex illo loco conſtare Chriſtum conſueuiſſe nõ tam vi argumentorum, quam occultâ quadam efficacitate ſuorum verborum reuincere aduerſarios. *Deinde* videtur nobis oſtendere voluiſſe, non eſſe requirenda aperta nimis teſtimonia in Scripturis, quando habemus explicatam Eccleſiæ opinionem. Omnes enim Iudæi, qui hæretici non erant, credebant reſurrectionem. Ad probandam hanc opinionem ſatis fuit CHRISTO quodcunque teſtimonium.

Ad 1. obiectionem. *Reſponſ. 1.* *Reſp. 2.*

Ad ſecundam autem obiectionem reſpondeo, Chriſtum fuiſſe argumentatum ad eos accommodatè, quibuſcum diſputabat. Nimirum Sadducæi ideo negant reſurrectionem corporũ, quia credebant animos ſimul cum corporibus extingui, vt explicatur *Act. 23. cap.* Sadducæi negant reſurrectionem & Angelos, aut Spiritum eſſe. Quapropter dum Chriſtus probat illo argumento animos non mori, quia Deus non eſt mortuorum, ſed viuentium, probat ſimul Sadducæis futuram eſſe reſurrectionem.

Ad ſecundam.

Secundo eſt locus Ezech. *cap. 37.* Vbi Propheta vidit omnia oſſa, quę iacebant in campo, rurſum veſtiri carnibus, & neruis, & iterum animari. Quem locum dicet fortaſſe aliquis, non eſſe intelligendum de futura reſurrectione, ſed per metaphoram, de liberatione Iudæorum ab illis calamitatibus, in quibus verſabantur, quaſi dicat Deus;

multò

multò minus eſt ſpei in oſſibus iſtis, quam in vobis. Ego autem faciam viuere iſta oſſa. Credite ergò, me liberaturum vos ab iſtis malis. Hunc enim ſenſum videntur præ ſe ferre illa verba, quæ ſequuntur. *Oſſa hæc vniuerſa domus Iſrael eſt.* Ipſi dicunt, *aruerunt oſſa noſtra, periit ſpes noſtra & abſciſſi ſumus. Propterea vaticinare & dices ad eos. Ecce ego aperiam tumulos veſtros, & educam vos de ſepulchris veſtris, &: ducam vos in terram Iſrael.* Reſpondeo, agi illo in loco de vtraque re, nempe & de futura reſurrectione, & de liberatione Iudæorum. Nam à reſurrectione futura Deus ſumit argumétum ad conſolandos Iudæos, quaſi dicat. Nonne creditis, me eſſe ſuſcitaturum mortuos? Si non creditis, faciam, vt ſuis oculis Propheta veſter videat. Si ergò hoc poſſum, quod maius eſt, quanti magis potero vos liberare, quod eſt minus. Ne ergò dicatis, aruerunt oſſa noſtra, & periit ſpes noſtra.

Tertio locus eſt *Iob. cap.19. Scio, quod redemptor meus viuit, & in nouiſſimo die de terra ſurrecturus ſum; & rurſum circumdabor pelle mea.* Hoc loco etiã aliquis tergiuerſator poſſet dicere, Iob non loqui de reſurrectione, ſed tantum de liberatione ab illa miſeria, in qua erat conſtitutus. Sedebat enim in ſterquilinio, totus fœdatus, detracta cute. Dicit ergò, ſeſe ſurrecturum ex illo loco, ſeq; recuperaturum cutem ſuam. Sed multæ res impediunt, quo minus locus ille intelligatur de liberatione Iob. *Prima* eſt, quod vſus fuerit illa præfatione, *Scio quod redemptor meus viuit*, qua nihil opus erat, niſi vellet ſignificare, ſe à morte ad vitam reuocatum iri. Hanc enim vim habet illud verbum, *viuit. Secunda* eſt, quod dicat, *in nouiſſima die*, quãdo futura eſt reſurrectio. Non enim tũc ſurrecturus erat à ſterquilinio. *Tertia* quod dicat, *videbo Deum Saluatorem meum*, quem non poterat affirmare ſe viſurum in hac vita. Deniq; quod dicat, *quem viſurus ſum ego ipſe, & non alius*, id eſt, quando videbo, non ero alius, quam nunc ſum, ſed ille ipſe, qui nunc ſum. Atqui ſi non loquebatur de reſurrectione poſt mortem, non poterat eſſe dubium, quin ipſemet futurus eſſet.

Quarto locus eſt apud Eſaiam *cap.26.* eiuſdem generis; *Viuent mortui tui, interfecti mei reſurgent.*

Quinto apud Danielem *cap. 12. Multi de his, qui dormiunt in terra puluere, euigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant ſemper.* Quod Daniel dicat (multi) & non (omnes) multos fecit errare. Nam alij hinc confirmare voluerunt illam ſuam opinionem, quod non omnes homines morituri ſint; ſed plane inepte. Nam Daniel de iis loquitur, qui iam erant mortui, & dormiebant in terræ puluere. Alij voluerunt inde efficere, nõ omnes

eſſe reſurrecturos, quod eſt contra Euangelium. Sed proprius ſenſus eſt, vt illud nomen, *multi*, idem valeat atq; *omnes*, quemadmodum ſæpe ſumitur in Scripturis. Apud Paulum *Rom.5. Per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi.* Sicut dixerat paulo ante, *omnes in Adam peccaſſe.* Et *Heb 9.* Chriſtum ſemel oblatum fuiſſe ad multorum, id eſt, omnium, exhaurienda peccata. Significat enim illud nomen apud Hebr. multitudinem innumerabilem, vt cum dicitur *Pſal. 48.* Miſericordias Domini eſſe multas, id eſt, infinitas, innumerabiles.

Sexto locus eſt apud *Eſdram lib.4. c.2. Reſuſcitabo mortuos de locis ſuis, & de monumentis educam illos.*

Septimo, 2.lib. Machabæorum cap.7. Vbi ſecundus frater, cum illi cutis detraheretur, ait; *tu quidem ſceleſtiſſime, nos in præſenti vita perdis; Rex autem mundi defunctos nos pro ſuis legibus in æternæ vitæ reſurrectione ſuſcitabit.*

Octauo, cap.12. eiuſd. lib. Bene & religioſe de reſurrectione cogitans, &c.

Nono eſt apud *Ioan.c.5. Omnes, qui in monumentis ſunt audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona egerunt in reſurrectionem vitæ.*

Decimo eſt apud *Ioan.11.* Vbi Martha ſimplex mulier nihil ſciens, niſi quod didicerat ab Eccleſia, apertè declarauit fuiſſe certiſſimam opinionem Iudæorum de reſurrectione: *Scio,* inquit, *quia frater meus reſurget in reſurrectione, in nouiſſimo die.*

Vndecimo Chriſtus *Matth.22.* cum dixiſſet: in reſurrectione nec nubent, nec nubentur ſuo teſtimonio quod initio attuli probauit reſurrectionem. Demq; D.Paulus eandem veritatem adſtruit: *Rom.8. Philipp.3. 1. Theſſ. & 1. Cor. 15. in quo vltimo loco,* videtur vti argumentis infirmis, niſi corroborentur.

Prima argumentatio illius eſt, *1.Cor.15. & prima quidē ſi Chriſtus prædicatur, quod reſurrexerit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis, quoniā mortuorum reſurrectio non eſt?* Hæc conſecutio non videtur eſſe bona. Poterat CHRISTVS reſurgere, quia erat Deus, ſed non continuo ſequitur, omnes homines eſſe reſurrecturos. Reſpōdeo, D.Paulum argumentatum eſſe appoſite, & ad eos, cum quibus diſputabat, & ad rem, de qua diſputabatur: quia diſputabat non cum Philoſophis, ſed cum Chriſtianis, vt indicat illo verbo; *Quidam dicunt in vobis.* Propterea ſumpſit argumentū à reſurrectione Chriſti, quā omnes Chriſtiani confitebantur: Quod argumentū apud alios nihil valeret. Præterea non verſabatur in quæſtione, an vnus aliquis eſſet reſurrecturus, ſed quæſtio erat de toto genere, an reſurrectio eſſet poſſibilis. Nam, qui negabant, non alia de cauſa negabant, niſi quia putabant eſſe impoſſi-

poſſibilem. Ad probādum autem, reſurrectionem Deo non eſſe impoſſibilem, ſatis fuit afferre exemplum vnius hominis, qui reſurrexiſſet.

Secunda argumētatio eſt: *Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt fides veſtra*, quaſi hoc eſſet magnum abſurdum. Poſſet enim concedere aduerſarius, eſſe inanem: ſed conſiderandum eſt D. Paulum diſputare cum Chriſtianis. Et quia omnes Chriſtiani habebant pro fundamento ſuæ fidei, reſurrectionem Chriſti, ideo, ſi Chriſtus reſurrexit, ſequitur poſſibilem eſſe reſurrectionem. Si autem non reſurrexit, ſequitur illos eſſe deceptos in primo fundamento, itaque bene argumentatur, *inanis eſt prædicatio noſtra, inanis eſt fides veſtra*.

Tertia eſt: *Ergo, qui dormierunt in Chriſto, perierunt, ſi mortui non reſurgunt*, quaſi non poſſet Aduerſarius hoc etiam concedere. Sed tamen vult Paulus argumētari ab incommodo eorū, cum quibus agit. Nam Chriſtiani quotidie obiiciebant ſua corpora morti pro Chriſto. Hoc enim dormire eſt in Chriſto, mortuum eſſe pro Chriſto. Argumentatur ergo: Si non creditis, Chriſtum redditurum vobis in reſurrectione illa corpora, quæ propter illum perdidiſtis, ſtulti eſtis, quod pro illo moriamini.

Dormire in Chriſto quid ſit?

Simile eſt quartum argumētum: ſi in hac tantum vita in Chriſto ſperātes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus.

Quintum eſt: *Quid faciant, qui baptizantur pro mortuis?* Vide explicationem *in diſputation. de Baptiſmo in quæſtio. de ſuſcipientibus Baptiſmum.*

ARGVMENTA SCRIPTVRÆ, *quæ videntur eſſe contra reſurrectionem mortuorum.*

EQVES. Sed ſunt quædam loca, quæ contraria reſurrectioni mortuorum videntur eſſe.

IVVENIS. Sint quædam, illa tamen vno è tribus modis explicabo. Nam aut intelligenda ſunt, vt oſtēdant homines, poſtquam moriuntur, nō redire ad hanc vitam, & cæterorum hominum ſocietatem, aut ita: vt dicant, non eſſe reſurrecturos homines poſt mortem vſq; in æternum, id eſt, ante finem mundi, aut vt agant nō de reſurrectione mortuorum, quæ omnium communis futura eſt, ſed de illa propria reſurrectione ſanctorum, de qua dicit D. Ioan. *Procedent, qui bona egerunt, in reſurrectionem vitæ.*

Primo modo intelligitur, quod ait Iob. *cap.27. Sicut nubes conſumitur, & pertranſient, ita, qui deſcendit ad inferos, non aſcendet, neque reuertetur vltra in domum ſuam.* Et idem ait *cap.10. Antequam vadam, & non reuertar ad terram tenebroſam.*

Et quod ſcribit *cap.14. Homo cum ceciderit, non reſurget, donec cœlum atteratur.*

Secundo modo intelligitur illud *Pſalm.48. Sepulcbra eorum, domus eorum in æternum.* Et illud *Eccleſiaſt.12. Ibit homo in domum æternitatis ſuæ.* Et apud *Hieremiam Thren.3. In tenebroſis collocauit me, quaſi mortuos ſempiternos.*

Tertio modo intelligitur, quod eſt *in Pſalm.1. Non reſurgent impij in iudicio.* Et quod ait Paulus *ad Philippenſ.3. Si quomodo occurram ad reſurrectionem, quæ eſt ex mortuis.* Nam ſe reſurrecturum eſſe cum aliis, non dubitabat, ſed volebat peruenire ad illam aliam reſurrectionem ſanctorum.

QVÆST. III.

De modo reſurrectionis & reſurgentium.

SENEX. Doctè ſatis in vtramque partẽ diſſeruiſtis, ego autem explicationem tertiæ meæ quęſtionis propoſitæ, proſequar & hic quidem à Scholaſticis multa ſolent diſputari quæſtiunculæ.

Quæſt.1. *Prima* eſt, an omnes, antequam reſurgant, ſint conuertendi in pulueres? Communis opinio Scholaſticorum eſt, conuertendos in puluerem eſſe omnes, propter illa verba *Geneſ. cap.3. Puluis es, & in puluerem reuerteris.* Hæc opinio non plus habet probabilitatis, quam tribuunt illi authores, quorum eſt. Nam illud teſtimonium haud dubie non intelligatur de reſurrectione, neq; de ſingulis hominibus, ſed de tota conditione humana, ſecundum quam homines moriuntur, & reuertuntur in terram, ex qua ſumpti ſunt. Imò verò ſi intueamur reſurrectionem Chriſti tanquam exemplar noſtræ reſurrectionis; qui viuent illa die, non magis corrumpentur, quam corruptum eſt corpus Chriſti in ſepulchro. Non enim difficile erit Deo, corpus non diſſolutum vſque ad primam materiam, reddere glorioſum.

Secunda quæſtiuncula eſt, quo loco homines ſint reſurrecturi, de qua re ſunt multæ opiniones, ſed illa probabiliſſima, vnumquemq; reſurrecturum eſſe in eo loco, in quo fuit ſepultus, quia Scriptura ita loquitur *Ezechiel. 37. Aperiam tumulos veſtros, vt educam vos de ſepulchris veſtris.* Et *4. lib. Eſdræ cap. 2. Reſuſcitabo mortuos de locis ſuis.* Et *in Apocal. cap. 20.* dicitur Mare dediſſe mortuos ſuos. Et *Ioan. 5. Omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem filij DEI.* *Quæſt. 2.*

Tertia quæſtiuncula eſt, an corpora ſint futura eiuſdem generis, aut ſpeciei, cuius nunc ſunt. In hac re errauit Origenes, vt Author eſt Hieron. *in epiſt. ad Pammach.* quod putarit corpora futura alterius generis, ductus his teſtimoniis. *Quæſt. 3.*

Primùm, quod Chriſtus *Matth. 22.* dicat, futuros eſſe homines, ſicut Angelos Dei.

Secundò, quod D. Paulus *1. ad Corinth. 15.* dicat: *Tu non corpus, quod futurum eſt, ſeminas, ſed nudum granum.*

Tertiò, quod eodem loco dicat, aliam carnem piſcium, aliam volucrum, & alia corpora terreſtria, alia cœleſtia, quaſi innuens noſtra corpora nunc eſſe terreſtria, tunc futura eſſe cœleſtia.

Quartò, quod inferius ſcribat: *Seminatur corpus animale, reſurget ſpiritale.* Hic error à D. Hieronym. ſatis refutatus eſt, & ſuperioribus teſtimoniis, quibus reſurrectio probata eſt, refutari poteſt. Quod autem attinet ad argumenta Origenis, aliter intelligenda ſunt. Nam quòd ait Chriſtus, homines futuros eſſe ſimiles Angelis, non debet intelligi omnibus in rebus, alioqui non eſſent habituri corpus & animam, quod eſt contra ipſum Origenem, ſed intelligi debet iuxta materiam ſubiectam, de qua agebat Chriſtus: Nimirum. Chriſtus tantum diſputabat cum Sadducæis, an nuptiæ eſſent futuræ. Quod ergò attinet ad nuptias, homines erunt tanquam Angeli Dei, id eſt, non magis nuptias appetentes, quã Angeli. D. autem Paulus tribus locis tantum voluit probare, quod propoſitum erat illi, nimirum futura eſſe corpora noſtra longè præſtantioris conditionis & qualitatis quam ſunt modo. Hoc enim erat, quod deterrebat Corinthios, quomodo corpora iſta caduca eſſent æternum victura in cœlo. Reſpondet victura eſſe, quia habebunt aliam qualitatem, ſicut aliam habent corpora cœleſtia, quam terreſtria, non quod futura ſint alterius naturæ. Dicet aliquis, cur ergo D. Paulus non tantũ comparauit corpora cœleſtia cum terreſtribus, ſed ipſa etiam cœleſtia inter ſe, dicens: *non eadem eſt cœleſtium gloria.* Alia enim eſt claritas Solis, alia claritas Lunæ, & Stella ab ſtella differt in claritate, ſic erit reſurrectio mortuorum. Reſpondeo, voluiſſe D. Paulum eadem opera duo docere; alterum, corpora noſtra non natura, ſed qualitate & conditione futura eſſe ſimilia cœleſtibus; alterum, inter ipſa corpora beatorum, alia habitura eſſe plus gloriæ & ſplendoris, quam alia, quemadmodum Sol plus habet ſplendoris, quam Luna. *De dotibus corporum cap. 4. in fine de Beat.*

Ad argumenta Origenis.

Queſt. 4.

Quarta quæſtiuncula eſt, an futurus ſit ſexus diſtinctus in corporibus poſt reſurrectionem. In qua re etiam errauit Origenes, vt teſtatur Hieronym. *eod. loco*, abuſus duobus locis Scripturæ: Alter eſt ille *Matth. 22. Non nubent, neq; nubentur:* Alter eſt apud D. Paulũ *ad Epheſ. 4. Donec occurramus omnes in fidei vnitatem, & agnitionem filij Dei in virum*

perfectum. Quaſi ſignificare voluerit D. Paulus, non eſſe futurum ſexum fœmininum, quia eſt imperfectus. Omnes antiqui authores contra ſenſerunt, quanquam ex D. Auguſtin. *lib. 22. de Ciuit. cap. 17.* colligimus nonnullos etiam Chriſtianos parum fortaſſe doctos crediditſe, non eſſe futuram vllam differentiam ſexuum. Contra verò Iuſtinus, aut quisquis eſt author *quæſt. 53.* earum, quas gentes Chriſtianis proponebant, & Tertullian. *in libr. de reſurrect.* Hoc enim erat vnum ex argumentis Philoſophorum & hæreticorum, qui non credebant reſurrectionem. Et Ambroſ. *in 2. libello de fide reſurrectionis.* Et Hieronym. *in epiſtol. ad Pammach. de erroribus Ioan. Hieroſolymit.* & Auguſtinus *lib. 22. de Ciuit. cap. 17.* refellunt hunc errorem.

Quæſt. 5. *Quinta* eſt, num omnia membra reſtituenda ſint ſingulis hominibus etiam monſtroſis, mancis. D. Auguſtin. reſpondet in illo libro. Omnes homines habituros eſſe omnia membra perfecta, quæ pertinent ad humanam naturam, quamuis multa non ſint vſum ſuum habitura, vt venter, dentes, & alia id genus: quia hæc non tantum data ſunt hominibus ad iſtos vſus, ſed etiam ad naturæ perfectionem. De illis vero infantibus, qui dum clauſi eſſent in vtero, mortui ſunt, an reſurrecturi ſint dubitatur. D. Auguſtinus, vt erat modeſtus, *libro 22. de Ciuit. cap. 13.* non eſt auſus quicquam ſtatuere; ſed non videtur eſſe dubitandum; quin, ſi vixerint, mortui ſint. Et quia Scriptura dicit, omnes mortuos eſſe reſurrecturos, dubitandum non eſt, quin ſint reſurrecturi.

Sexta eſt, qua ætate aut ſtatura reſurrecturi ſint homines, D. Auguſtin. *eodem libr. cap. 15.* reſpondet eſſe reſurrecturos ea ætate, qua Chriſtus mortuus eſt, propter illud verbum D. Pauli, *donec occurramus in virum perfectum*. Quam opinionem Scholaſtici poſtea ſunt ſecuti. Staturam autem habiturum eſſe vnumquemque non æqualem, ſed eam, quam natura non corrupta habuiſſet in illa ætate triginta trium annorum, ad quos ætas CHRISTI ſe extendiſſe creditur. Hæc opinio quamuis eſt communis, non eſt omnino probabilis. *Quæſt. 6.*

Primum, quia antiqui authores non omnes ita ſenſerunt. Nam Tertullian. *in Apologet. cap. an demorentur hîc animæ poſt mortem*, ſcribit infantes futuros etiam infantes. Et illud Pauli, *donec occurramus in virum perfectum*, non videtur intelligi poſſe de reſurrectione aut certè non de ætate, vel corpore. Loquebatur enim de cognitione, quam in hac vita habemus imperfectam more infantum, in altera habituri ſumus perfectam, ſicut ſtatim explicauit, vt non ſimus paruuli, & non fluctuc-

ctuemus omni vento doctrinæ. Itaque nihil aliud voluit dicere, quam quod *1. epiſt. ad Corinth. cap. 3.* alijs verbis dixerat: *Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem.* Et quod alio loco: *Tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi.*

Septima eſt, an habituri ſint homines diſtinctam figuram? Reſpondeo, nō eſſe dubium, quin hoc ipſum pertineat ad laudem diuini operis, vt futuri ſint multi homines ſub vna ſpecie.

De colore verò Lactant. *lib 7. cap. 26.* ait, futuros eſſe omnes candidiſſimos, ſimiles niui. Sed hoc non poteſt colligi neq; ex Scriptura, neque ex vlla ratione. Nam Scriptura & ratio tantum docet, futuros eſſe homines in natura perfectiſſima, & non pertinet ad perfectionem humanæ naturæ, vt omnes ſint ſimiles niui. Nam Chriſtus perfectiſſimam naturam habuit, ſed nō fuit candidiſſimus.

DE IVDICIO.

IVVENIS. Egregiam certe explicationem de reſurrectione & qualitate reſurgentium Dominus Senex nobis attulit, ſed videamus nunc quid de extremo Dei iudicio in reſurrectione ſtatuendum, & quidem quinq; quæſtiones de hac materia proponi ſolent.

Prima eſt, an iudicium futurum ſit.

Secunda, quis futurus ſit Iudex.

Tertia, qui ſint iudicandi.

Quarta, quo loco futurum ſit iudicium.

Quinta, de forma iudicij.

QVÆST. I.

An ſit futurum generale iudicium?

ALiqui hæretici antiqui negarunt iudicium eſſe futurum, vt Manichæi, Borboriani. Floriani, Prócliani, vt author eſt Philaſtrius. Quod videtur etiam poſſe probari his argumentis. *1. Sententia.*

Primum, quod Deus non iudicet bis, & ſinguli homines iudicentur, ſtatim, vt moriuntur. *Secundum*, ſi eſſet futurum aliquod generale iudicium, eſſet futurum propter corpora. At corpora non ſunt iudicanda, tum quia non peccauerunt, tum etiam, quia non ſunt capaci ſententiæ & iudicij. *Tertium*, ſi futurum eſſet generale iudicium, in quo reddatur, vnicuiq; ſecundum opera ſua; ſequeretur, iam non eſſe redditum illis, qui iam mortui ſunt, ſecundum opera, & animas non frui vita beata ante diem iudicij. Ex ſacris literis manifeſtum eſt, præter priuata iudicia ſingulorum, *2. Sententia.*

quæ

quæ fiunt quotidie, futurum eſſe vnum aliquod generale, vt conſtat ex illis verbis, *Matth.11. Tyro & Sidoni remiſſius erit in die iudicij, & cap.12. Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione hac*, id eſt, *contra hoc hominum genus*. Et *Rom.14. Omnes ſtabimus (ſiſtemur) ante tribunal Chriſti*. Et *2. Corinth.5. Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti*. Hæc ſpectant omnia loca Scripturæ, quibus dicitur CHRISTVM venturum eſſe.

Ad primum argumentũ reſpondendum eſt: Quamuis iam iudicati ſint omnes, qui mortui ſunt, tamen multis de cauſis futurum eſſe generale iudicium.

Prima eſt, ad oſtendendam Chriſti gloriam, vt impleatur illa prophetia Eſaiæ *cap.45. Viuit Dominus, mihi curuabitur omne genu*.

Secunda, ad laudem honorum, & ignominiam malorum. Quod ſignificat D. Paulus, fere vbicunque agit de die illa, vt cum dicit: *1. Corint.4. Tunc laus erit vnicuique (iuſto) à Deo*.

Tertia propter eos, qui ante iudicium non fuerunt mortui.

Quarta, vt vno & eodem tempore omnia corpora hominum accipiant vel ſua præmia, vel ſua ſupplicia, vt indicat D. Paulus *ad Hebr. 11*. Hi omnes teſtimonio fidei probati, non acceperunt repromiſſionem. *Deo pro nobis aliquid melius prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur*. Vult dicere, ſanctos illos veteris Teſtamenti, nondum accepiſſe promiſſam beatitudinem quoad corpus, vt ne ſine nobis perfecta beatitudine donarentur, ſed nos expectarẽt illi, qui tanto ante laborauerunt, quod cedit ad noſtrum honorem.

Hoc itaq; modo reſpondendum eſt etiam ſecũdo argumento. Nam corpora, quamuis ipſa per ſe non peccarint, ſunt tamen partim inſtrumenta, partim irritamenta peccandi.

Tertium argumentum excitat maiorem quæſtionem: An animæ ſanctorum hominum ſint beatæ ante reſurrectionem? Omnes ferè antiqui fuerunt in ea ſententia, vt putarent, non eſſe animas beatas ante diem iudicij. Ita Irenæus *lib.3. cap.20. & lib.5. extremo*. Et Iuſtinus *in Tryphonem quæſt. 75. earum, quas gentes proponebant Chriſtianis*. Tertullian. *initio libri de Trinitate in libell. de teſtimon. animæ*. Lactant. *libr.7. cap.21*. Chryſoſt. *homil. tertia contra Iudæos, tom.5*. Vigilantius, vt patet ex libello D. Hieronymi contra illum, Theophylact. *in cap. 23. Luc.* Et *in cap.11. epiſt. ad Hebr.* Bernardus *ſerm.3. & 4. de feſto omniũ ſanctorum*. Quin imò ſunt, qui ſcribunt Ioannem Papam XXII. abhinc ducentus circiter annis, publico decreto edixiſſe, vt hæc opinio defenderetur in Scholis, & de ſuggeſtu traderetur populo. Author eſt Marſilius

in Com-

in Commentar. in 4. librum Sententiarum, diſt. 1.13. quæſt. 3. Addit Caluin. *lib. 4. Inſtit. cap. 7. diſtinct. 28.* decreuiſſe animas eſſe mortales, & manſuras eſſe mortuas vſque ad reſurrectionem corporum. Argumenta, quibus probabāt illi authores ſuam ſententiam erant hæc:

Primum, quod Scriptura multis locis teſtetur, in die iudicij reddendum eſſe vnicuiq; ſecundum opera, quod non diceret, ſi iam ante redditum eſſet.

Secundum, quod ſcribit Ioan. *in Apocal. cap. 6. Vidi ſubtus altare animas interfectorum, propter verbum Dei, & propter teſtimonium, quod habebant & clamabant voce magna, dicentes: vſque quo Domine ſanctus & verus non iudicas & non vindicas ſanguinem noſtrum de his, qui habitant ſuper terram.* D. Bernardus non omnino ſentiens cum cæteris authoribus, explicans hunc locum ait, animas ſanctorum futuras eſſe in cœlo vſque ad reſurrectionem, ſed non futuras eſſe beatas. Tantum enim eſſe fruituras natura humana Christi, quam dicit appellari altare à Iohanne.

Tertium argumentum eſt, quod D. Paulus *ad Hebr. 11.* dicit: *Hi omnes*, id eſt, antiqui patres, *teſtimonio fidei probati mori acceperunt repromiſſionem, DEO pro nobis melius aliquid prouidente, vt non ſine nobis conſummarentur.*

Quartum ſumptum eſt ex parabola vineæ, in qua eadem hora redditum eſt, ſingulis operarijs ſtipendium.

Quintum, quo vſus eſt Irenæus *lib. 5.* Quod Chriſti reſurrectio & beatitudo noſtræ reſurrectionis & beatitudinis ſit exemplar, Chriſtus autem nō ante adeptus fuerit ſuam beatitudinem, quam reſurrexerit. Hanc ſententiam iam declarauit Eccleſia eſſe hæreticam, cuius contrarium probauit melioribus argumentis.

Primum manifeſtum eſt, quod Chriſtus dixit latroni: *Hodie mecum eris in Paradyſo.* Non igitur eius beatitudo dilata fuit vſque ad reſurrectionem.

Secundum eſt, quod ait Stephanus moriens *Act. 7. Video cœlos apertos, & Ieſum ſtantem à dextris Dei.* Nihil enim aliud ſignificare potuit, quam ipſos cœlos ſibi morituro aditum patefeciſſe, vt ingrederetur ad vitam beatam, & Ieſum Chriſtum ſeſe oſtendiſſe, quaſi paratum ad excipiendum illum.

Tertium, quod ſcribit D. Paulus *2. ad Corinth. 5. Quamdiu ſumus in corpore, peregrinamur à Domino.* Vnde colligitur, poſtquam liberati ſumus à corpore, nos continuo non peregrinari à Domino, alioqui dixiſſet, quamdiu durat mundus, peregrinamur ad Chriſtum.

Quartum, ex Paulo *ad Philippenſ. 3. Cupio diſſolui, & eſſe cū Chriſto*, quod quidem non dixiſſet tam ardenter,

niſi ſciret ſe futurum beatum ante reſurrectionem, vt primum corporis vinculo ſolueretur.

Quintum, *Apocal. cap. 14.* dicitur: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*: A modo enim iam dicit ſpiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis.

Sextum, ex hiſtoria aut parabola diuitis & Lazari manifeſtum eſt, malos torqueri in inferno ſtatim poſt mortem. Igitur & boni fruuntur vita beata ſtatim poſt mortem, cum DEVS ſit propenſior ad miſericordiam, quam ad ſeueritatem. Præterea non eſt credibile, DEVM, qui tulerat legem *Deuteronom. 24.* Vt merces mercenarij non differretur vſque in craſtinum diem; ſuos amicos ſuſpenſos tenere tot ſeculis expectatione mercedis. Accedit, quod vehementer miror, non animaduertiſſe illos tam antiquos, & tam graues authores, Eccleſiam ſemper Sanctos inuocaſſe, quod minimè certè feciſſet, niſi credidiſſet illos eſſe beatos. Deinque in Concilio Florentino illa antiqua opinio damnata eſt, & Græci, qui ante fuerant in contraria ſententia, auditis Latinorum argumentis, aſſenſerunt illis. Omnes enim alij authores præter illos ſupranominatos ſenſerunt ſtatim animos eſſe beatos. D. Hieronym. in libr. contra Vigilant. Et Auguſtin. *lib. 20. de Ciuit. cap. 13. & epiſt. 119.* Et Gennadius *in lib. de Eccleſiaſt. dogmat. cap. 78.* Gregor. Magnus *lib. 4. Moral. cap. 25.* Quod autem ſcribunt aliqui de Iohanne XXII. credo eſſe fabulam, quamuis dicũt Pariſienſem Academiam illum condemnaſſe, & propterea mutaſſe ſententiam. Nam (quod hæc ſit fabula probo) Benedictus XII. qui ſucceſſit illi Iohanni, & fuit Cardinalis, quo tempore Iohannes XXII. congregauit viros doctos ad diſputandum de hac re; Scripſit Decretalem, quæ eſt apud Alphonſum à Caſtro *in lib. 3. de hæreſib. tit. de beatit. hæreſi 6.* In qua ſcribit ſe interfuiſſe Conſiſtorio cum cæteris Cardinalibus, quando Papa Iohannes XXII. propterea quod Doctores Theologi cõtentioſe diſputabant de hac quæſtione, edixit illis diem, qua parati ad diſputandũ conuenirent, & ipſe ſtatueret quid eſſet tenendum. Deceſſiſſe autem Papam Ioannem XXII. antequam Doctores conuenirent. Ex quo etiam colligitur, quam portentoſum ſit Caluini mendacium, qui aſſerit Ioan. XXII. decreuiſſe animas ſimul mori & manere mortuas cum corporibus vſque ad reſurrectionem.

Ad primum, propterea Scripturam ſolere dicere in die iudicij eſſe reddendum vnicuiq; ſecundum opera ſua, nõ quod ante quibuſdam nõ ſit redditum, ſed quod tunc reddendum ſit palam, & in conſpectu omnium, quemadmodum eadem Scri-

ptura illam diem vocat diem Domini, non quod aliæ dies non ſint Domini, ſed quod illa manifeſte, & palàm ſit dies Domini, id eſt, quãuis Deus cæteris diebus faciat, quicquid vult nõ facit tamen manifeſte, illo die videbunt omnes Deum eſſe Dominum, & diem illum eſſe diem Domini, aut quemadmodum inter mercatores appellatur certus quidam dies ſolutionis, non quod etiam aliis diebus nõ ſoluant debita, ſed quod ille dies ad hoc ſit ſtatutus, ſicut dies iudicij ſtatuta eſt ad reddendũ vnicuiq; ſecundũ opera.

Ad teſtimonium autem Apocal. reſpondendũ eſt, potius ex illo colligi animas eſſe beatas ante reſurrectionem, quia ibidem dicitur, datas eſſe illis ſingulis ſtolas albas, & dictum eſſe vt requieſcerẽt ad tempus modicum, vbi ſignificat ipſas animas eſſe beatas, ſed non habere illam beatitudinem cumulatam, quam cupiebant habere cum corporibus ſuis. Nam propterea deſiderabant, vt Deus vindicaret ſanguinem, id eſt, finiret mundum.

Ad teſtimonium D. Pauli duobus modis reſponderi poteſt: alterum, illum non loqui de futura reſurrectione, ſed de primo aduentu Chriſti, qui fuerat promiſſus antiquis temporibus, quemq; illi non viderunt, nos autem vidimus Deo pro nobis aliquod melius prouidente, id eſt, conferente nobis hoc excellentius beneficium, vt nihil aliud dicat Paulus, quam quod Chriſtus dixit aliis verbis. *Multi Prophetæ deſiderarunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt:* Altero modo reſponderi poteſt, D. Paulum loqui non de illa beatitudine, quam habent ſoli animi, ſed de illa perfecta & conſummata, quam habituri ſumus poſt reſurrectionem, vt indicat illo verbo, *vt non ſine nobis conſummarentur.* Illæ autem duę parabolæ non ſunt à Chriſto propoſitæ, niſi ad ſignificandum, tantum, aliquos laborare breui tempore, & tantum præmij conſequi, quantum alij conſequuntur longo tempore.

SENEX. Quia finem tuæ diſputationis de extremo Dei iudicio impoſuiſti, reſtat, vt de iudice aliquid diſſeram ac dubium non eſt, quin tres perſonæ Trinitatis iudicaturæ ſint in illo extremo iudicio; tamen in Scriptura quatuor de cauſis attribuitur hoc iudicium ſoli CHRISTO.

Prima eſt, quod ſolus Chriſtus ſe abiecerit ad humanam naturam, & quodãmodo ſpoliauerit illo honore, quem ante habuerat. Vt ergò homines, illi honorem reddant, quem Deo debent, futurus eſſe dicitur Iudex viuorũ, & mortuorum. Hoc eſt, quod apud Ioan. *cap. 5. Pater non iudicat quenquã, ſed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium, ſicut honorificant Patrem.*

Secunda eſt, quod Pater & Spiritus

ritus S. quamuis, quia ſunt Deus, ſint rectiſſimi Iudices, tamen ſunt minus accommodati ad perſonam noſtram, quia non poſſunt nobiſcum diſceptare humano more, ſicut Chriſtus. Hæc ratio redditur à D. Ioanne *eodem cap.* Chriſto datam iudicādi poteſtatem, quia filius hominis eſt.

Tertiū eſt, quod Chriſtus hoc ipſum meruerit inter alia, vt ait D. Paulus *ad Philippenſ. 2. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine Ieſu omne genu flectatur.* Omne autem genu flectendum eſt illi in iudicio, vt explicat idem D. Paulus *Rom. 14.* citans in hanc ſententiam teſtimonium Eſaiæ *cap. 45. Viuit Dominus, quoniam mihi flectetur omne genu.*

Quartum eſt, quod Chriſto datum fuerit totum iudicium procurandæ ſalutis humanæ. Itaq; cum ipſe quodammodo ſalutē noſtram ſeminauerit conſentaneum eſt, vt ipſe quoq; metat. Hoc ſignificatur multis parabolis, vt in parabola de area, quam ventitabit, in parabola de reti, & piſcibus, quos ſeparabit, in parabola de vinea, in parabola de talentis datis ſeruis.

Iudex in nubibus. Dicitur autem in Scriptura venturus eſſe Chriſtus ad iudicium in nubibus, de quibus diſputāt Theologi, quales futuri ſint.

Nonnulli dicunt per *nubes* ſignificari Sanctos, præſertim Apoſtolos, qui aliquando vocantur nubes, vt *Pſalm. 17. Præ fulgore in conſpectu eius nubes tranſierunt.* Et videtur hanc ſententiam adiuuare, quod ait Paulus *1. ad Theſſalon. 4.* Sanctos eſſe rapiendos obuiam Chriſto in nubibus. Hæc fuit opinio D. Ambroſ. *in Comment. in cap. 21. Lucæ.* Et Hieronymi *in cap. 2. Zachariæ,* & D. Auguſtini *in Pſalm. 95.* Alij dicunt, per nubes intelligendos eſſe Angelos, qui etiam vocantur aliquando nubes, vt *Pſalm. 67. Virtus eius in nubibus,* & apud *Eſai. cap. 14.* dicitur de Lucifero. *Aſcendam ſuper altitudinem nubiū,* id eſt, Angelorum, *& ero ſimilis altiſſimo.* Hoc videtur confirmare, quod ait Chriſtus. *Matth. 25. Mittet Angelos ſuos, &c.* Magis probabile eſſe credo, futuras eſſe veras nubes, in quibus Chriſtus venturus eſt.

Primùm, quia Scriptura non ſemel aut iterum dicit, Chriſtum in nubibus venturum eſſe, ſed perpetuo. Quod non poteſt eſſe caſus, aut figura, ſed veritas, vt *Matth. 24. & 26. & Marc. 13. & Luc. 21. & Apocal. cap. 1.*

Secundò, quia Chriſtus in tranſfiguratione voluit nobis exhibere ſpecimen quoddam futuri iudicij & vitæ beatæ. Illic autem deſcendit vera nubes, non metaphorica.

Tertiò, quia cum aſcendit in cœlum, euectus eſt vera nube, *Actor. 1. Nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum, &*

Angeli

Angeli dixerunt; ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum adſcendentem in cœlum. Ergò ita veniet in nube. Denique hęc regula ſemper tenenda eſt: *Quoties nihil abſurdi ſequitur, ſi Scripturam interpretemur propriè, propriè interpretanda eſt non allegoricè, cum agitur de aliquo dogmate.* Nihil autem abſurdi ſequitur, ſi dicamus venturum Chriſtum in vera nube. Nam quod aliqui Scholaſtici dicunt, tūc, vtpote reſolutis iam elementis, nō eſſe futuram idoneam materiam, ex qua generentur nubes, ridiculum eſt.

Quaſi verò Deo opus ſit materia, aut deeſſe poſſit.

Iudices inferiores Apoſtoli. Præter Chriſtum etiam Apoſtoli dicuntur eſſe iudices apud *Eſaiam cap. 3. Ecce Deus veniet ad iudicandum cum ſenibus populi ſui.* Et *Matth. 19. Vos, qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum venerit filius hominis, ſedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* Sed

1. Sententia. quo pacto iudicaturi ſint Apoſtoli, quæſtio eſt. Magiſter ſentētiar. ſine vlla cauſa dixit, non poſſe hoc ſciri

2. niſi per diuinam reuelationem. D. Thomas & alij Scholaſtici putant, futuros eſſe iudices Apoſtolos non propterea, quod ipſi iudicaturi ſint aut prolaturi ſententiam, ſed quo futuri ſint quaſi præcones ad pro-

3. mulgandam ſententiam Chriſti. Alij credunt, futuros eſſe Iudices Apoſtolos per ſolam cōparationem. Nam de hoc iudicio comparationis frequenter loquitur Scriptura, vt apud Matth. cū dicit: *Regina Auſtri ſurget in iudicio cum generatione hac, & condemnabit illam.* Et iterum: *Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio, & condemnabunt.* Qui hoc dicunt, videntur mihi quidem verum dicere, parum tamen dicere. Nam quod Apoſtoli ſicut & Niniuitæ iudicaturi ſint per comparationem, non poteſt eſſe dubium. Parum autem dicunt, qui hoc dicunt, quia Chriſtus, cum dicit Apoſtolis: *Sedebitis & vos ſuper ſedes iudicantes*; promittit haud dubie Apoſtolis ſingulare quid, & proprium. Eſſe autem Iudices per comparationem, non eſt ſingulare. Omnes enim boni ſic iudicabunt.

Quæret aliquis: Quid ergò eſt illud ſingulare? Mihi videtur eſſe id, quód ſequitur, *ſedere ſuper duodecim ſedes*, quia non omnes boni ſedebunt. Rurſum quæret alius: An ſoli Apoſtoli ſeſſuri ſint ſuper ſedes? Reſpondeo, nō tantum illos ſeſſuros eſſe, ſed omnes illorum ſimiles. Nam illa verba, *vos qui reliquiſtis*: & rurſus illa alia: *ſedebitis & vos*, non accipiuntur perſonaliter, quaſi pro perſonis Apoſtolorum, ſed generaliter pro omnibus, qui erunt tales, quales erant illi Apoſtoli. Quod autem non accipiantur perſonaliter, primum ex eo cōſtat, quod cum Chriſtus hoc dixit, Iudas erat vnus ex duodecim & non ſedebit. Secundo conſtat ex ratio-

ne quæ redditur, *qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me.* Non enim ſoli Apoſtoli hoc fecerunt. Tertiò, quia Matthias Apoſtolus non erat tunc illic, & tamen ſedebit ſuper vnam ſedem: alioquin non eſſent, niſi vndecim. Deinde, D. Paulus cur nõ ſedebit, qui amplius cæteris laborauit? Dubitabit aliquis, cum CHRISTVS non nominauerit niſi duodecim ſedes, quomodo ſedere poterunt alij, qui non fuerunt ex numero duodecim Apoſtolorum? Reſpondeo, fuiſſe à Chriſto poſitum numerum finitum pro infinito, cum nominauit duodecim ſedes, ſicut cum dixit Petro, *non tantum ſepties, ſed ſeptuagies ſepties.* Hoc autem colligitur ex numero ſequenti, *iudicantes duodecim tribus.* Non enim Apoſtoli iudicaturi ſunt duodecim tantum tribus, ſed omnes homines: tamen quia tota vniuerſitas Iſraël continebatur duodecim tribubus, Chriſtus vocauit duodecim tribus, totam vniuerſitatem mundi.

Rogabit etiam aliquis, quales ſedes ſint futuræ illæ? Videtur mihi eſſe probabile, futuras eſſe nubes, quia, vt ſupra dictum eſt, Chriſtus ſuper nubem ſedebit, & indicat Apoſtolos habituros eſſe eaſdem ſedes, cum ait: *Sedebitis & vos*, id eſt, ſedebitis quemadmodum ego.

EQVES. Omnes homines iudicandos eſſe, bonos & malos, cõſtat ex *cap.25. Matth.* ex *c.14. epiſt. ad Rom.* ex *cap.2. ad Cor.* ex *c.20. Apocal.* ex *c.3. Ioelis.* Quapropter quod ait Ioannes *cap.3. Qui non credit iam iudicatus eſt*, intelligendum eſt, vt dicunt Theologi, de iudicio diſcuſſionis, quaſi dicat eius cauſa non diſcutietur in iudicio. Lege D. Gregor. *lib.26. Moral. c.24.* Angeli autem non ſunt iudicandi, vt conſtat ex ſententia, quę proferenda eſt, quia non pertinet niſi ad homines. Quare quod D. Paulus *1. ad Corinth. 6. Neſcitis quod Angelos iudicabimus?* intelligendum eſt de iudicio cõparationis. Quod autem dicit D. Petrus *2. epiſt. cap. 2.* Angelos malos eſſe reſeruatos in iudicium, per *iudicium* intelligit damnationem, vt Scriptura ſæpè alias.

IVVENIS. Homines quidem omnes iudicãdos eſſe omnino credo, ſed quis ſit locus futurus iudicij nihil liquido colligi poteſt ex Scriptura, tamen eſt valde conſentaneũ Scripturæ, futurum eſſe iudicium in valle Ioſaphat propter verba *Ioëlis cap. 3. Congregabo omnes gentes & deducam in vallem Ioſaphat, & diſceptabo ibi cum illis.* Nam qui dicunt *vallem Ioſaphat* non accipi ibi pro certo loco, ſed pro quacunq; valle, vbi Deus iudicaturus ſit, quia nomen *Ioſaphat* ſignificat iudiciũ Dei, audacter loquuntur; cum ſciamus eſſe vnam vallem ad pedem montis oliueti, quæ ita vocatur. Atqui cum ex eo monte Chriſtus aſcenderit in

cœlum,

cœlum, probabile eſt, ad eundem locum eſſe rediturum in iudicio.

EQVES. Cum autem vt iam audiui, certus locus iudicij in ſacra Scriptura aſſignari nō poſſit, quæri tamen poteſt quæ forma eius iudicij futura ſit.

IVVENIS. Quia hæc materia mera eſt Theologica nullus ad eam explicandam aptior meo iudicio erit, quam ſenex noſter.

SENEX. Quia vobis ita libet faciam quod meum eſt, tria ergo in Scriptura de forma iudicij tradita ſunt.

Primum eſt, futuros eſſe bonos ad dextram, & malos ad ſiniſtram, quod quamuis poſſit intelligi figurate, vt boni dicantur futuri ad dextram, quia meliori erunt in loco, & cum gloria; mali autem ad ſiniſtram, quia erunt cum ignominia, ſicut Chriſtus dicitur ſedere ad dextram Patris honoris loco, tamen quia CHRISTVS, qui futurus eſt iudex, verè habet dextram & ſiniſtram, hic eſt ſenſus Eccleſiæ, bonos verè futuros eſſe ad dextrã, & malos ad ſiniſtram Chriſti iudicis.

Secundum, quod traditur de forma iudicij, eſt, fore, vt patefiant omnibus omnia benè aut malè facta, quemadmodum teſtatur D. Paulus *1. ad Corinth. 4. Donec veniat Dominus, qui illuminabit abſcondita tenebrarum*, id eſt, *tenebris occultata & manifeſtabit conſilia cordium.* Magiſter Sentent. dicens peccata eorum, qui tunc erunt ad dextram, non eſſe patefacienda, errauit. Nam D. Paulus non adhibet vllam exceptionem.

Hi ſunt libri, quos Scriptura docet aperiendos eſſe in iudicio, *Daniel. 7. & Apocal. 20. Libri aperti ſunt, & mortui iudicati ſunt ex iis, quæ erant ſcripta in libris.* D. Auguſtin. *lib. 20. de Ciuitat. cap. 14.* rectè dicit, illos non eſſe futuros veros libros. Sed illud videtur non ſatis conſideraſſe, quod dicat, illos libros futuros eſſe tantum memoriam bonorum, cum D. Iohannes cum apertè diſtinguat duo genera librorum *in illo cap.* Alios libros, in quibus ſcripta ſunt omnia bene & malè 1.
facta omnium hominum, de quibus dicit: *Mortui iudicati ſunt ex iis, quæ ſcripta erant:* Alium librum 2.
diſtinguit, in quo dicit, ſolos bonos eſſe ſcriptos, quemadmodum dicit etiam Chriſtus: *Gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in libro vitæ.* Quales ergò futuri ſunt illi libri? Nihil aliud erunt, quam ipſæ hominum omnium conſcientiæ apertæ & manifeſtæ, vt ab omnibus cerni poſſint, & quaſi legi. Cætera de mortis & vitæ libris lege *in fin. queſt. de prædeſtinatione.*

Tertium eſt, quod Scriptura docet proferendam eſſe ſententiam. 3.
Venite benedicti, & ite maledicti.

Quod

Quod attinet ad formam ſententiæ, credendum eſt, non tantum animis hominum illam ſententiam eſſe ingerendam, ſed vera voce humana Chriſti proferendam eſſe, cum Scriptura dicat aperte, Chriſtum dicturum eſſe hæc verba.

IVVENIS. Ergo poſt iudicium habitum ſequetur beatitudo?

SENEX. Ita eſt, ſed pro pauci ad eam (cum via quæ ad infernum decu cat lahor) pauci peruenient, tamen quia multa ſcitu tum digniſſima tum neceſſaria circa eam materiã occurrunt, paucis dicam quid ſentiam quinque ergo quæſtiones haberi poſſunt.

Prima, an ſtatim poſt iudicium ſancti ſunt percepturi ſuam beatitudinem?

Secunda, de loco, vbi erunt beati?

Tertia, de ipſa natura beatitudinis?

Quarta, de viſione Dei, qua homines erunt beati?

Quinta, de cæteris qualitatibus beatorum?

1. Sententia. Primo quidem antiquus fuit error, qui à Papia diſcipulo D. Ioannis manaſſe dicitur, vt author eſt Euſeb. *lib. 3. cap. 39.* Et Hieronym. *in Catalogo Script. Eccleſiaſt. in cap. de Papia,* nimirum poſt iudicium Sanctos regnaturos eſſe cum Chriſto, in hoc mũdo, per mille annos, antequam conſcendant in cœlum, propter verba D. Ioannis *cap. 20. Apocal. Qui non adorauerunt beſtiam, neq; imaginem eius, neq; acceperunt characterem eius in frontibus, aut manibus ſuis, vixerunt & regnauerunt cum Chriſto mille annis. Cæteri mortuorum non vixerunt, donec conſummentur mille anni.* Hæc eſt reſurrectio prima. Secuti ſunt hunc errorem olim antiquiſſimi, & maximi authores, Methodius *in reuelat.* Tertullian. *lib. 2. contra Marcion.* &c, vt citat Hieronym. *in vita Papiæ, etiam in alio libro, quem ſcripſit de ſpe fidelium,* Lactant. *lib. 7 cap. 14. & 24.* Apollinarius, doctiſſimus olim Interpres Scripturæ, & Victorinus, vt teſtatur D. Hieronym. *eodem loco.* Eundem errorem apud Hebræos ſecuti ſunt Cabaliſtæ, & noſtro tempore Mahometani aliqua ex parte. Propterea huiusmodi hæretici appellati ſunt Chiliaſtæ, quaſi Millenarij & Iudaizantes, vt ſæpe vocat D. Hieronym. *in Commentar.* quia hac in re ſequebantur opinionem Iudæorum.

Hic error breuiter refelli poteſt ex ea ſententia, quam Chriſtus prolaturus eſt: *Venite benedicti Patris mei;* quibus verbis inuitat, vt ſtatim veniant, non poſt mille annos. *2. Sententia.* Et illa omnia teſtimonia, quæ ſupra citata ſunt contra eos, qui putarunt animas non eſſe beatas ante reſurrectionem, refellunt etiam hunc errorem. Denique Chriſtus dixit ſuum regnum non eſſe de hoc mũdo, & D. Paulus, *regnum Dei non eſſe eſcam & potum,* id eſt, nondum eſſe *Quot modis accipiatur reſurrectio prima.*

tem-

temporale. Quod autem attinet ad locum Apocalypſeos duobus modis mihi videtur is poſſe intelligi: *Altero*, vt D. Ioannes per primam reſurrectionē poſtquam dixit, ſanctos regnaturos mille annos cum Chriſto, non intelligat aduentum Chriſti ad iudicium, ſed liberationem à peccato, factam per primum aduentum Chriſti. Nam illam etiam D. Paulus vocat reſurrectionem: *Si reſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite.* Dicit ergo, regnaturos eſſe mille annis poſt illam reſurrectionem homines, numerum finitum pro infinito, id eſt, pro toto numero annorum, qui futuri ſunt inter primum aduētum Chriſti, & vltimum iudicium, ponens. Ita Primaſius *in Comment. in eum locum*: *Alio modo* poteſt intelligi de reſurrectione, id eſt, de acceptione vitæ æternæ, quam nonnulli ſancti conſequuntur ante vltimum iudicium, quia ante illud mortui ſunt, vt dicat D. Ioannes, Sanctos regnare cum Chriſto per mille annos in cœlo, id eſt, toto tempore ante vltimam reſurrectionem; propterea dicit: *Beatus, qui habet partem in prima reſurrectione.*

De loco autem beatorum nihil cōperti habemus in Scriptura, niſi quod futuri ſint *in cœlo*, & futuri ſint in *Chriſto*, & quia Scriptura ſignificat, Chriſtum ſedere ad dextrā patris ſuper omnes cœlos, credendum eſt, ſuper omnes cœlos futuros eſſe beatos. Sed an ſit cœlum aliquod proprium beatorum, tam Angelorum, quam hominum, quod vulgo vocatur Empyreum, id eſt, ignitum, nihil certo affirmari poteſt. Tantum eſt opinio Scholaſticorum, quæ originem habuiſſe videtur ab authore *Gloſſæ ordinariæ in cap. 1. Geneſ.* & à Beda. Vide D. Thomam in prima parte *quæſt. 66. art. 1.* Quanquam illo loco falsò adprobandam hanc ſententiam proferat teſtimonium Chryſomi & Baſilij.

In quo autē conſiſtit beatitudo? Scriptura ſacra voluit nos docere, beatitudinē eſſe rem tātam, & tam admirabilem, vt non poſſit à nobis comprehendi. Idcirco illam nobis declarauit varijs nominibus. Appellauit *vitam æternam*; deinde, *regnum cœlorum*; tertiò, *manna abſconditum, Apocal. 2.* quartò, vocauit *menſam Chriſti*, vt apud *Lucam 22. Vt edatis & bibatis ſuper menſam meam*; quintò, *lac & mel*, ſicut quotieſcunque in veteri Teſtamento promittitur à Deo terra fluēs lacte & melle. *Exod. 3. & 13.* Nam id de futura gloria præſertim intelligitur; ſextò, vocatur *cognitio Dei, Ioan. 17. Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te*; ſeptimò, dicitur *ſimilitudo Dei, 1. Ioan. 3. Cum apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniam videbimus eum, ſicuti eſt*; octauò, *gaudium*; vt cum dicit Chriſtus: *Matth. 22. Intra in gaudium Domini tui*; nonò, *requies laborum, vt Apoc. 14.*

Beati mortui, qui in Domino moriuntur. A modo enim iam dicit Spiritus, vt requieſcant à laboribus ſuis. Vocatur etiam *ebrietas*, id eſt, affluentia omnium voluptatum; vt *Pſalm. 35. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ.* Denique D. Paulus, cum neſciret nobis explicare, quæ eſſet beata vita, dicit 2. *Corinth. 12. Se vidiſſe, quæ non liceat homini loqui: & 1. Corint. 2. Neque oculus vidit, neque auris audiuit, neque in cor hominis aſcendit, quæ præparauit DEVS diligentibus ſe.* Vnde intelligimus, non eſſe temere & curioſe inquirendum, in quo conſiſtat vita beata. Cæterum de ea quæſtione, quam Scholaſtici magna contentione tractant, in qua parte beatitudo animi conſiſtat, ego ita exiſtimo reſpondendum eſſe conuenienter Scripturæ & rationi, in vita beata aliud eſſe quaſi materiam, in qua conſiſtat, velut ſubſtantia, & poſſeſſio ſummi boni, aliud vero quaſi formam, quæ faciat, vt illud ſummum bonum poſſeſſum reddat hominem beatum. Itaque noſce Deum, eſt quaſi materia & ſubſtantia beatitudinis, quia per cognitionem quodammodo tenemus, & poſſidemus Deum. Amare autem Deum, quem poſſidemus, & eſſe contentum tanta poſſeſſione, nec amplius deſiderare, eſt veluti forma quæ explet eſſentiam beatitudinis. Nam ſi fieri poſſet, vt homines inuiti viderent & cognoſcerent Deum, non eſſent beati, quia nemo inuitus beatus eſſe poteſt. Quemadmodum ſi fingeremus, in diuitiis eſſe poſitam felicitatem, poſſidere pecuniam & diuitias, eſſet quaſi materia huius felicitatis: frui autem diuitiis poſſeſſis, & illis eſſe contentum, eſſet forma. Hoc arbitror eſſe ſcripturæ conſentaneum, quę aliquando vitam beatam vocat cognitionem Dei, aliquando gaudium, requiem, ſaturitatem, ebrietatem, quæ omnia ſignificant appetitum, id eſt, voluntatem. Præterea rationi & Philoſophiæ credo eſſe valdè congruum. Nam ratio docet, in mente, quæ eſt præſtantiſſima facultas hominis, debere conſiſtere ſummum bonum. Præterea etiam in voluntate, quia ſummum bonum eſt obiectum voluntatis. Itaque argumento eorum Scholaſticorum, qui contendunt beatitudinem conſiſtere in intellectu, bona ſunt, ſed tantum probant, conſiſtere in illo ipſam poſſeſſionem, & quaſi materiam. Argumenta verò illorum, qui dicunt conſiſtere in voluntate, etiam ſunt bona, ſed tantum probant, in voluntate conſiſtere vltimam formam, & quaſi perfectionem beatitudinis. Quod etiam poteſt confirmari ex ſacris literis. Nam iuſtificatio hominis, quæ fit in hac vita, nihil aliud eſt, quam inchoatio quædam beatitudinis. Quare, quemadmodum inchoatio & quaſi materialis pars iuſtifica-

ſtificationis cōſiſtit in fide, quia eſt eius fundamentum; forma autem & perfectio iuſtificationis conſiſtit in charitate: ita vita beata ex parte materiali conſiſtit in cognitione Dei, quæ reſpondet fidei; forma autem & perfectio eius conſiſtit in perfectiſſima charitate & fruitione Dei, quæ reſpondet charitati imperfectæ huius vitæ. Itaque quemadmodum errant illi, qui ſoli fidei tribuunt iuſtificationem, propterea quod Scriptura dicat, fidem iuſtificare, ita videntur mihi errare, qui in ſola cognitione Dei ponunt beatitudinē, propterea quod Scriptura dicat: *Hac eſt vita aterna, vt cognoſcant te.*

De quarta quæſtione dicūt Theologi, nihil fore, præter illa, quæ D. Thomas dicit *1.part.quaeſt.12.* Eius enim opinio eſt communis, & magis probabilis.

Quod autem attinet ad qualitates beatorum, Theologi dicunt, beatos habituros eſſe tres qualitates in anima, & quatuor in corpore, quas vocant dotes beatorum.

Dotes animarū. *Prima qualitas* animæ eſt viſio Dei, quæ reſpōdet fidei huius vitæ.

Secunda, eſt comprehēſio. Comprehenſio autem propriè nō ſignificat vllam certam actionē, quamuis Theologi ſoleant accommodare ſemper ad cognitionem, ſed tantum ſignificat conſecutionem eius boni, quod optabamus & ſperamus. Itaq; in Scriptura ſemper opponitur ſpei, vt *1. ad Corinth. 9. ſic currite, vt comprehendatis*, id eſt, vt perueniatis eò, quò tenditis, & *Philippenſ. 3. Non quaſi comprehenderim, aut perfectus ſim.*

Tertia eſt Fruitio ab aliis Scholaſticis dicitur eſſe actio mentis, ab aliis actio voluntatis; ſed videntur abuti verbo. Nam nomen *Fruitionis* propriè nullam certam actionem ſignificat, quemadmodum *vti* non ſignificat certam actionem; quia rebus aliquando vtimur mente, dum eas intelligimus; aliquando voluntate, dum amamus, aliquādo manibus, dum tractamus, aliquando pedibus & calceis: & quia *Frui* non differt à verbo *vti*, niſi quòd vtamur mediis, & Fruamur fine, Fruitio non ſignificat certam actionem. Itaque Fruemur Deo non tantum mente, aut tantum voluntate, ſed mente ſimul & voluntate. *N. de dotib. corporis.*

Prima an ſit verè infernus, an tantum dicatur ad terrorem?

. Secunda, quales ſint pœnæ inferni?

Tertia, an ſint perpetuæ?

Quarta, in quo loco ſint?

Quinta, an ſint alii loci præter infernum damnati.

Primo ergo Infernum eſſe non tantum fictum, ſed verum & propriū, manifeſtum eſt ex Scriptura, quamuis fuerint hæretici, qui negauerint, quales fuerant Albigenſes, vt ſcribit Guido contra illos.

Secundo autem quales ſint pœnæ inferni,illud præſertim verſatur in controuerſia, an ignis inferni, qui tam ſæpe nominatur in Scripturis, ſit verus & proprius ignis, an ſolum metaphoricus, quamuis ſupplicia ſint vera.

1. Opinio. Duæ opiniones ſunt Theologorum; vna eſt,vbiq; recepta,& communis apud omnes, eſſe verum & proprium ignem,quam Scholaſtici probant his argumentis.

Primum, quod ſupplicium illud vbiq; in Scriptura appelletur ignis, & nō ita vocaretur, præſertim ſemper,niſi eſſet verus ignis.

Secundum, ſi non eſſet verus ignis, potius appellatum fuiſſet illud ſupplicium alio nomine, quo accommodatius exprimeretur dolor, & miſeria damnatorum, vt ſi vocaretur proprius carcer, aut aliquo alio nomine.

Tertium eſt, quod apud *Lucam cap.16.* diues ille,qui erat in inferno; dicit: *Crucior in hac flamma.*

Quartum, quod *Sapient. 11.* dicat Salomon,aut quisquis fuit author: *Per quæ quis peccat, per hæc & punitur.* Vnde argumentātur Theologi: Cū homines peccent non tantum animo & corpore, ſed etiam rebus externis, non tantum debent ſubire pœnam damni, quam vocant, ne videant Deum, ſed etiam pœnam ſenſus,vt corpora affligantur

Quintum: Poſt reſurrectionem futura ſunt etiam corpora in inferno, & torquenda non igne metaphorico,ſed vero. Ergò etiamnum animæ damnatorum torquētur vero igne, quia Scriptura dicit, eundem ignem eſſe futurum poſt reſurrectionem, atq; nunc eſt. *Matth. 25. Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius.*

Sextum eſt, quod D. Auguſtinus *lib. 21. de Ciuit. cap. 10.* Et Gregor. *4. Dialog. cap. 29. ita doceant.*

Hæc opinio eſt probabilis, non tamen definita ab Eccleſia.

Secunda autem opinio, quod ille ignis non ſit verus & proprius, ſed tantum ſic appellatus per metaphoram, videtur mihi etiam eſſe probabilis, & probabilioribus argumentis defendi poteſt. Ignem autem per metaphoram appellatum dico, non quod ipſa ſupplicia ſint metaphorica (vera enim ſunt & propria) ſed quod, cum Scriptura nobis explicare voluerit vehementiſſimum dolorem, quem damnati patiūtur, expreſſit illum per eam, quæ ſolet nobis in hoc mundo maximum dolorem inferre; is autem eſt ignis. Hæc opinio magnis argumentis,meo iudicio, probari poteſt. 2. Opinio.

Primum illud ſit fundamentum; infinitis in locis ſacræ Scripturæ nomen *ignis* accipit metaphoricè pro calamitate & afflictione, vt *Pſal. 65. Tranſiuimus per ignem & aquam.* Et *Pſalm. 77. Ignis accenſus eſt in Iacob.* Et iterum: *Iuuenes eorum comedit ignis.*

Et

Et apud *Luc.cap.12.* Ignem veni mittere in terram, id eſt, non veni, vt afferrem hominibus voluptatem, ſed vexationem & calamitatem; quod explicat aliis verbis: *Non veni pacem mittere, ſed ſeparationem.* Et *Matth 10. Non veni pacem mittere, ſed gladium. Eadem phraſi vtitur Ierem.Ezech.*& alij prophetiæ in deſcribendis calamitatibus..

Secundò,Matth.25. Cum Chriſtus mittit damnatos in infernum, ait; *Ite in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius.* Diabolis autem & Angelis eius non videtur eſſe paratus ignis corporeus, quia omnes Theologi fatentur, Dæmones, qui verſantur in aëre, aut qui exeunt ab inferno, circumferre ſecum ſua ſupplicia: Atqui non circumferunt ignem corporeum; cur enim non vreret etiam aërem, aut nos,aut certè corpora eorum,quos Dæmones obſident.

*Tertiò,Eſaiæ capp.66.& Marci 9.*dicitur: *Vermis eorum non moritur & ignis eorum non moritur.* Vbi nomen *Vermis* non accipitur propriè.

Quartò apud *Luc.cap.16.* Vbi dines illi dicit: *Crucior in hac flamma.* Dicitur etiam leuaſſe oculos, & rogaſſe, vt Lazarus intingeret extremum digitum in aqua, & refrigeraret linguam. Vbi neq; oculos, neq; digitus, neque lingua poſſunt accipi propriè. Ergò probabile eſt, nomen *ignis* accipi propriè.

Quintò,apud *Iob.cap.24.* deſcribuntur ita pœnæ damnatorum: *Ad nimium calorem tranſiet ab aquis niuium.* Atqui non erunt veræ aquæ, neq; veræ niues in inferno. Ergò non eſt verus ignis.

Sextò,quemadmodum pœna damnatorum appellatur ignis, ita etiam vocatur ſulphur *Pſalm.10. Pluet ſuper eos laqueos, ignis & ſulphur, & ſpiritus procellarum pars calicis eorum,* Et *Apocal.10. Cruciabuntur in igne,& ſulphure.* Et *cap 20. Miſſus eſt in ſtagnũ ignis & ſulphuris. Sulphur* autem non accipitur propriè: Ergò néc ignis.

Septimò, eodem modo quo Scriptura vocat ignem ſupplicium illud, vocat & D.Iacobus *in epiſt. c.5.* æruginem. *Aurum*,inquit,*& argentum veſtrum erugmauit. Ærugo eorum vobis erit in teſtimonium, & manducabit carnes veſtras,ſicut ignis.* At non erit vera ærugo. Ergò non eſt verus ignis..

Octauò,vt Scriptura vocat ignem illum, ita vocat paleas & ſtipulas & fœnum eos, qui coniiciuntur in illum, *Matth.3. Paleas autem comburet igni inextinguibili.* Et *1.Corinth.3.* At non ſunt veræ paleæ, neq; veræ ſtipulæ. Ergò eſt probabile, non eſſe verũ ignem. Deniq; Scriptura ſicut vocat ignem pœnam inferni; ita beatitudinem mẽſam vocat, vocat panem & vinũ, manna,lac & mel, ebrietatem. Iſta autem non accipiuntur propriè. Ergò neq, pœna inferni appellatur propriè ignis. Ac-

cedit, quòd hæc ſententia, quamuis Scholaſticis fortaſſe videatur noua, habet tamen antiquiſſimos authores: Origen. *homil. 9. ad diuerſos*, Ambroſ. *in cap. 4. Luc.* Hieronym. *in cap. 65. Eſaia, & 66.* vbi ait, pleroſque antiquos authores ita intellexiſſe ignem inferni & Ioan. Damaſcen. *in extremo lib. 4. Orthodoxa fide.* Imò verò D. Auguſtin. qui à Scholaſticis citatur ad probandam contrariam opinionem, nunquam illam aſſeuerauit. Nam *lib. 21. de Ciuit. capit. 10.* non diſputat. an ignis inferni ſit corporeus, ſed tantum agit contra gentiles de omnipotentia Dei, qui putabant non poſſe à DEO fieri, vt humana corpora æternis ignibus cruciarentur, & non corrumperentur, contra quos D. Auguſtinus quaſi facta hypoteſi, quòd ille ignis ſit corporeus, probat fieri poſſe à Deo, vt cruciet Spiritus, corpora, & non corrumpat. Idem enim D. Auguſtin. *lib. 20. de Ciuit. cap. 16. & lib. 8. de Geneſi ad literam cap. 5.* affirmat, neminem poſſe ſcire, qualis ſit ille ignis, niſi Deus illi reuelauerit. Deniq; hæc opinio eſt libera ab omnibus illis anguſtiis in quas coniiciuntur, qui defendent alteram. Nam communis opinio Scholaſticorum eſt, illum ignem corporeum non aliter torquere Spiritus, quàm detinendo velut in carcere, quod certè videtur abſurdum. Quorſum enim ad detinendos Spiritus Deus vteretur igne, & non potius portis & vectibus (de quibus etiam loquitur Scriptura) aut certè laqueis, cum dicat Dauid. *Pluet ſuper eos laqueos.* Multò autem minùs probabiliter loquuntur, qui dicunt, animas & Dæmones non aliter torqueri ab illo igne quàm per imaginationem. Item qui dicunt non torqueri, niſi apprehenſione ipſius ignis.

Præterea, qui dicunt, ſolo timore torqueri, non quòd verè patiantur ab igne. Nam quid opus erat igne, vt animæ imaginatione torquerentur. Dicere autem quod alii dicunt, illum ignem corporeum verè agere in Spiritus, videtur nihil aliud eſſe, quàm fugere miraculum quoddam perpetuum ſine vlla neceſſitate.

Tertio fuit error Origenis, quòd exiſtimauerit, non eſſe futura ęterna ſupplicia damnatorũ propter illud Pſal. 76. *Nunquid obliuiſcetur miſereri Deus?* Author eſt Athanaſius *in lib. de communi eſſentia Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Et Hieronym. multis locis, vt *in ep. ad Auitum*, & D. Auguſtin. *lib. 21. de Ciuit. cap. 17.* Hic error refellitur verbis Chriſti, *Matth. 3. Paleas autem comburet igni inextinguibili.* Et *Marci 9. Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.* Et *Matth. 25. Ite in ignem æternum.* Vide D. Au-

D. Auguſtinum *lib. 21. de Ciuit. capit. 24.*

Quarto de loco inferni fuerunt inter authores multæ & mirabiles ſententiæ. Aliqui putarunt, nullum eſſe futurum certum locum, ſed ibi vnumquenque daturum eſſe pœnas, vbi peccaſſet. Hi adducebantur verbis Salomonis *Sap. 11. Per quæ quis peccat, per hæc & torquetur.* Huius opinionis nullum certum authorem inuenimus, niſi quod refertur à Scholaſticis. Alii futurum eſſe infernum dixerunt in ipſo aëre, propter verba Pauli ad *Epheſ. 6. Non eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus Principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum.* In hac ſententia videtur fuiſſe D. Chryſoſtomus *in homil. de præmiis beatorum, tom. 3.* Et *homil. 53. operis imperfecti.* Et Gregorius Niſſenus *in lib. de reſurrectio. & anima.* Alij crediderunt futurum infernum in valle Ioſaphat, quemadmodum & iudicium, vt videtur dicere Origen. *tractat. 25. in Matth.* Certè Chryſoſtomus *in homil. de præmiis beatorum* ſcribit ita aliquos ſenſiſſe. Alii dixerunt futurum eſſe in certa aliqua alia valle, vt author eſt Gregor. *lib. 4. dial. cap. 42.* Alii exiſtimarunt futurum eſſe apud Antipodas, quia Iob. *cap. 18.* loquens de homine damnato ait: *Expelle eum à luce in tenebras, & ab orbe transfer eum.* Hæc opinio etiam recitatur à nonnullis Scholaſticis. Alii putarunt, non eſſe futurum alium locum inferni, quam totum hunc mundum, in quo futura eſſent corpora damnatorum poſt reſurrectionem. De qua opinione mentionem fecit Irenæus *in fine lib.* Alii dixerunt, infernum eſſe futurum quemlibet locum, quo anima iret exuta corpore propter verba Chriſti: *Mittite eum in tenebras exteriores.* Dicebant enim animam videre, dum eſt in corpore, ſed à corpore ſolutam manere in tenebris, niſi ſit beata. Hanc opinionem refert Theophylact. *in Comment. cap. 16. Luc.* Quamuis Eccleſia de hac re nihil definierit, tamen cõmunis opinio fuit ſemper Scripturæ & rationi conſentanea, eſſe infernum in inferiobus partibus terræ. Quod primum probatur ipſo nomine. Apud Hebræos infernus vocatus eſt שאול, quod non tantum accipitur pro ſepulchro, vt putant aduerſarii, ſed pro vero inferno, vt conſtat ex *Pſalm. 9. Conuertantur peccatores in infernum.* Quod non poteſt intelligi de ſepulchro, in quod non ſoli impii conuertentur, ſed etiam pii. Similiter ex *Pſalm. 85.* Eruiſti animam meam ex inferno inferiori: vbi eſt verbum Hebr. Scheol, id eſt, ex inferno non ſepulcho. Anima enim non liberatur è ſepulchro. Similiter Apoſtoli vſi ſunt nomine Græco ᾅδης, &

& τάρταρος, quod vtrumq; ſignat profundum locum, apud *Luc. cap. 16. & 2. Petri 2.* Præterea fides docet Chriſtum deſcendiſſe non tantum ad ſepulchrum, ſed etiam ad infernum, vbi erant animæ. Scriptura autem docet, Chriſtum deſcendiſſe vſq; ad cor terræ, *Matth. 12.* & vſq; ad inferiores partes terræ, ad *Eph. 6.* Ergò in illis partibus eſt infernus. Deinde diues ille, qui cruciabatur in flamma, erat in profundo loco terræ, quia dicitur in locum longe diſtantem ſuſtuliſſe oculos, & fuiſſe magnum chaos interiectum. Ad hæc *Numer. 16.* dicitur aperta fuiſſe terra, vt infernus deglutiret Dathan & Abyran, vt explicauit Dauid *Pſalm. 101. Aperta eſt terra, & deglutiuit Dathan.* Præterea Dæmones *Luc. 8.* rogauerunt Chriſtum, ne ſe mitteret in abyſſum. Ergò in abyſſo eſt infernus. Accedit, quod D. Paulus ait *Philippenſ. 2.* Chriſto flecti omne genu cœleſtium, terreſtrium, & infernorum. Et quod ait Ioan. *Apocal. 6.* neminem fuiſſe inuentum, neq; in cœlo, neq; in terra, neq; ſub terra dignum, qui aperiret librum. In hac ſententia eſt Irenæus *in extremo 5. libro*, & Tertullian. *in Apologet. cap. 45* & Arnob. *in 2. lib. contra Gentes*, & Euſeb. Emiſſenus *homil. 2.* & Paſch. & Hieron. *in cap. 14. Eſaiæ, & in 2. Ioëlis*, & Auguſtin. *in Pſalm. 85.* & D. Gregor. *lib. 4. Moral. cap. 42.* & Beda *in Comment. in c. 16. Num. & lib. 3. Comment. in Iob. c. 7.*

Quinto, an ſint alij loci, vbi fuerint, vel ſint, vel futuræ ſint animæ præter infernum?

Theologi ex communi conſen-
ſu ponunt tres alios locos, *Purgato-* 1.
rium, ſinum Abrahæ, & locum puero- 2.
rum ſine baptiſmo mortuorum,
quem vocant *Limbum.* 3.

De Purgatio vide ſupra. *1. Purgatorium.*

De ſinu Abrahæ antiqui Authores fuerunt valdè incerti, vbi ſit, aut quid eſſet. *2. Sinus Abrahæ.* Nam pleriq; per *ſinum Abrahæ* intellexerũt beatitudinem, vt Origenes. Sed valde congruum eſt Scripturæ & rationi, fuiſſe aliquem locum ſeparatum ſub vera, in quo ante mortem Chriſti fuit Abrahamus cum omnibus Sanctis. Nam illa hiſtoria Lazari & diuitis iudicat, Lazarum & Abrahamum fuiſſe etiam ſub terra: alioqui non dixiſſet Chriſtus, diuitem leuaſſe oculos ad illum locum, ſed ad cœlum, ſi Abraham fuiſſet in cœlo. Deinde, illud chaos, quod interpoſitum erat, oſtendit vtrumque locum eſſe ſub terra; ſed tamen longe diſtare vnum ab altero. Rationi vero conſentaneum eſt, quia fides docet, ante mortem Chriſti Sanctos non fuiſſe ingreſſos in cœlum, & ſuper terram fuiſſe non eſt credibile. Fuerunt igitur in loco aliquo ſubterraneo. Qui hanc ſententiam confirmauerit apud veteres, vix inuenio quenquam, præter Tertull. *lib. 4. contra Marcion.* & Chryſoſt. *in homil.* de Lazaro & diuite.

De

3. Limbus. De limbo autem D. Auguſtin. videtur fuiſſe in ea ſententia, vt putauerit, etiam infantes, qui mo-
1. ſententia. riuntur ſine baptiſmo, perpetuis ignibus torquendos eſſe in inferno: quia *in lib. de fide ad Petrum cap. 27.* ait: *Firmiſſime tenet, nullatenus dubites, non tantum homines iam ratione vtentes, verum etiam paruulos, qui vel in vtero matrum viuere, incipiunt, & ibi moriuntur, vel cum nati ſine Sacramento baptiſmi, quod datur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, de hoc ſeculo tranſeunt, aeterni ignis ſempiterno ſupplicio torqueri.* Et *in libr. 5. Hypognoſticon.*

Primum locum fides Catholicorum diuina authoritate regnum credit eſſe cœlorum. Vnde, vt dixi, non baptizatus excipitur.

Secundum, gehennam, vbi omnis Apoſtata, & à fide Chriſti alienus aeterna ſupplicia experietur.

Tertium penitus ignoramus. Sed tamen, non videtur iam locum eſſe relictum dubitandi, quin infan-
2. ſententia. tes non ſint ſubituri ſupplicium ignis, ſed ſolam pœnam damni, quia tota Eccleſia tacita quadam opinione videtur ita ſentire. Et Innocent. III. *cap. Maiores de baptiſmo* videtur decreuiſſe, peccati originalis pœnam eſſe ſolam carentiam viſionis diuinæ; peccati autem actualis, cruciatum ignis æterni. Igitur hæc opinio inde maxime probatur, vnde D. Auguſtin. ſuam probat.

Nam vbicunque in Scripturis fit mentio de futuris ſupplicijs, fit etiam mentio de operibus, quæ infantes non poſſunt habere, vt *Pſalmo 61. Eccleſiaſt. 35. Hieremiæ 33. Threnorum 3. Matthæi 16. Ioan. 5. ad Rom. 2. 2. ad Corinth. 5. Apocal. 22.* & in illo ipſo loco *Matth. 25.* Hanc cauſam reddit Chriſtus, cur damnatos mittat in ignem æternum, quia eſuriui, & non dediſtis mihi manducare &c. Sub qua ſententia non poſſunt comprehendi infantes, qui nihil boni operis agere potuerunt. *Dicet aliquis:* Etiam condemnabuntur multi infideles non propter illam cauſam, ſed propter alia peccata. Ergo comprehenduntur ſub illa ſententia etiam illi, qui non peccauerunt in illo genere. Reſpondeo, Chriſto non fuiſſe propoſitum, vt deſcriberet formam iudicij, quod attinebat ad omnes homines, ſed tantum ad Chriſtianos, quia alij, vt ait Ioan. iam iudicati ſunt, vt Ethnici, &, vt ait Paulus, qui ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt, Chriſtiani autem iudicabuntur per legem. *Rurſus* dicet aliquis, credibile eſſe inter Chriſtianos nonnullos, qui illa omnia fecerunt, & tamen mittantur in ignem æternum, propter alia peccata. Ergo ſicut illa ſententia eos comprehendit, ita etiam

comprehendet infantes. Reſpondeo, Chriſtum protuliſſe illa verba tantum exempli cauſa, volens per ſpeciem intelligi genus. Genus autem eſt, quod illi, qui condemnantur, non habuerunt bona opera vnà cum fide; ſed tamen quia inter opera hæc erant nouiſſima, & quæ merito exigi poterant à quocunque poſuit Chriſtus in illis exemplum. Nunc autem infantes non comprehendentur ſub illo genere operum. Denique poteſt obiici, quod etiam illis, qui erunt ad dextrã, dicturus ſit Chriſt⁹: *Venite Benedicti, percipite Regnũ*, inter quos infantes erunt baptizati, ad quos nõ poſſunt pertinere illa verba: *Eſuriui, & dediſtis mihi mãducare*, etiãſi accipiantur generaliter pro quouis opere bono. Ergo etiã è contrario infantes non baptizati comprehendentur ſub altera ſententia: *Ite in ignem æternum*, quamuis illis non conueniant illa verba *Eſuriui & non dediſtis mihi mãducare*. Reſpõdeo, quemadmodum infideles dicuntur non eſſe iudicandi, quia iam iudicati ſunt, ita infantes iudicio diſcuſſionis non eſſe iudicandos, quia non potuerunt peccare, percepturos tamen regnum Dei alio titulo, quia per baptiſmum facti ſunt filij Dei, & propterea ſaluandos. Denique non iudicabuntur illis verbis, ſed per illam aliam ſentẽtiam *Ioan. 3 Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt videre regnum Dei*, per quam non baptizati infantes carebunt viſione Dei, ſed non ibunt in ignem æternum, quia ad illos non pertinet cauſa; *Eſuriui, & nõ dediſtis mihi manducare.*

Quod autem ſcriptura dicat, omnem hominem non baptizatum condemnatum iri, reſpondeo, etiã cõdemnari eos, qui carent vita beata. Accedit contra ſententiam Auguſtini, quod illi libri de fide ad Petrum, & Hypognoſt. non ſunt Auguſtini, & quod D. Auguſtin. *in ſuis libris* fateatur ſibi dubium eſſe de futuris pœnis puerorum, vt *in Epiſt. 23. ad Hieronym. Cum ad pœnas ventum eſt puerorum, inquit, magnis, mihi crede, coarctor anguſtiis, neque quid reſpõdeam penitus inuenio.* Item *lib. 3. contra Iulianum cap. 8. quis dubitarit* inquit, *paruulos non baptizatos in damnatione omnium leniſſima futuros?* an autem aliqui paruuli ante baptiſmum vita functi extraordinaria via per diuinũ priuilegium ſaluentur per pietatem aut votum baptiſmi quod parentes illis applicant diſputant Theologi præſertim Diuus Thomas *parte 3.* idem de Valentia & alij, ſed de hiſce ſit finis.

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM AC VERBORVM HORVM SIMONIS MAIOLI COLLOQVIOR: LOCVPLETISSIMVS.

A.

ADami & Euæ proceritas.28. Nuditas 30. Ipſorum ſtultè quæſita intelligentia.31. Veſtitus.32. Concretiones oſſiformes. 29
Adami iudicium de Eua. 27
Adulatorum malitioſum genus. 339
Aduocatorum vituperium ex Agrippa. 169
Aduocatorum mores. 358
Aduocatorum officium in quo conſiſtat. 359.360
Aduocatoriæ artis defenſio & quomodo Iuriſc. à Theo. deluſus. 388.389
Aduocatoriæ artis defenſio. 389
Ædes ſacra quomodo extruenda. 16
ad Ædes conficiendas materia quomodo inuenta. 18
Ædium inhabitatio. 15. Ædium deſtructio. ibid.
ad Ædificiorum ſtructuram quæ requirantur. 62
Ædificiorum iura, ex iure & legib. 12
Ædificiorum ſtructuram ab auibus didicerunt homines. 37
Ædificiorum ſtructura magni conſtat. 13. Ædificiorum theologica & phyſica conſideratio. 14. Senis fodientis puteũ hiſtoria. 14
Ædificandi vanitas. 140
Ædificandi depreſſa luxuria. 63
Ædiles quinam & quod olim ipſorum officium. 16
Admonitionis acrimonia quandoque neceſſaria. 338
ex Aeris temperie hominum diuerſi humores. 223
Affinis coram affinibus ſtultitia ibi.
Africæ regis facetia in ipſum autorem retorſa. 333
Agelaſti qui. 7.8
Agreſtes quinam. 345
Aiacis proceritas. 29
Alchimiæ conſideratio. 114.115.116
Alchymiſtarum neniæ. 141
Alexandria. 173

Allium ſerpentes abigit. 54
Amicorum officium quodnam. 338
Amor coniugalis primæuus. 28
Aulicorum procerum apud malos Principes, mores. 156
Anaxagoras agelaſtus. 8
Anaxagoræ animus obfirmatus. 6
Animæ hominis conſideratio. 22. *Eua vnde animam ſumpſerit.* 23
Animãtium vigor ex aëris temperie. 224
Antigonus rex μονόφθαλμος. 321
Apadia, imperitiæ dea. 123
Apum laus. 139
Aquarum inimicitia mutua. 61
Aquatilium cicuratio. 39
Aranei & buffonis concertatio. 57
Aranearum textura. 83
Architecti ſuperbi. 19
Architectorum ſagacitas. 19
de Architectura qui autores ſcripſerunt. 20
Architecturæ initium. 17
Arriſores qui. 342
Artium abſtruſarum elaborandi in quauis materia tractabili quis fuerit autor. 121
Aſellis labiorum pars abſciſſa riſum inſignem vbi mouerit. 332
Aſini inſtitutio. 205
Aſini ſtulta quæſitio. 195
Aſſentatorum peſſima propago. 339
Athenæ ciuitas, ſtatuta. 249
Athenienſibus olim in Academia videre non licuit. 6
Auaritiæ iuſta mulcta. 195
Auguſtus Cæſar a coruis ſalutatus. 316
Capitis phyſiognomia. 106
Auguſti Cæſaris filia Iulia, parenti grauis ferendo fuit quoad mores & ingenium. 316.317
Auguſti Cæſaris ioci. 313.314.315
Auium ſermocinatio. 40.41
Auium nidificatio ſtructuris ædium viam monſtrauit. 37
Auium voces proditoriæ. 40.41
Auium inter ſe colloquia à quibuſdam intellecta. 41
Auicularum vita optabilis. 139
Aulicæ ſimulationes ac diſſimulationes valde periculoſas. 357
Aulicarum nympharum mores. 157
Aures foratas habere quid denotet. 310
Aurium phyſiognomia. 107

B.

Belli cauſa ſtultitia. 134
D. Bernhardo ſeptem Pſalterij verſus patefacti. 142
Bibacitatem Æſopus quomodo retuderit 309
Blutei qui dicantur. 127
Bombycum induſtria. 34
Brachiorum phyſiognomia. 109
Braſſicæ & vitis antipathia, deq; hac narratio fabuloſa. 60
Brabantinorum mores & ingenia. 132
Brutorum ſolertia per artem. 37
Brutorum inter ſe amicitia. 58
Brutorum præſagia. 42
Brutorum ad hominem nulla comparatio. 45.46
Brutorum voces imitari homo poteſt. 43
Brutorum ferociſſimorũ cicuratio. 39

Bruta vbiuis locorum, quodque in ſuo genere ſeſe inuicem intelligunt. 40
Brutorum mutua colloquia. 39
Brutorum amicitiæ & inimicitiæ inter ſe capitales. 54.55.56. & nu.58
Buffo Monachi labiis adhærens quomodo auulſus. 57
Brutis remedia quædam à natura cognita ſunt. 44

C.

Cælatura quid. 119
Calidum & frigidum ex vno ore efflare, vnde natum prouerbium. 128
Canis ſolertia. 37
Capitum concuſſio inopinata monſtroſi partus cauſa fuit. 78.79
Capillorum phyſiognomia. 106
Capillorum criſporum deſignatio quæ. 327
Captatorum peſſima ſtudia. 340
Cardinalis quidam egregie deluſus. 324
Cardinalium conſideratio. 154
Carinthiæ ſtatus totius. 252.253
Caſtralia ſtulta. ibi.
Catonis diſſimulatio quænam. 355
Caupo parce hoſpites tractans, medicum accerſere iubetur. 325
Cauſidico iniuſte illata pœna. 360
Cauſidicorum mores. 358
à Litibus abſiſtendum. 358
Cellarum apud veteres ſtructura. 65
Cellarum vinariarum ſtructura. 63
Ceruicis phyſiognomia. 108
Chemia practica conſideratio prolixa. 114. 115. 116.
Chriſtus riſiſſe nunquam dicitur. 9
D. Chriſoſtomus Lucianum commendat. 5
Cicero in iocis nimirum diſſolutus. 311.
Ciceronis ioci. 312
Ciceronis ſcomma tectum in Octauium. 310
Ciceronis φιλαυτία. 348
Cicuratio ferarum. 39. Aquatilium. ibid.
Ciuis Senenſis oſtentatio. 183
Colli phyſiognomia. 108
Colaptice quid. 121
Colorum in corpore humano diuerſimoda conſideratio. 110. 111.
Columba in columbariis quomodo retinendæ. 59
Comitas inſignis virtus. 338
Conſiliorum diſſimilitudo. 298
Conciliatoris ſtulta perſuaſio. 198
Concionatorum doctorum ſtultitia. 208
Concionatori ſtulti auditores. 199
Confabulationum locus vbi. 10. 11
Coniugalis amor primæuus. 28
Conſul infantem è baptiſmo leuare detrectans egregie mulctatur. ibid.
Contentioſi qui. 343
Coriarij vxor, lictoris vxori par pari refert. 329
Corporis humani ſymmetria quæ. 88. 94 95. 96.
Corui Auguſtum Cæſarem ſalutarunt. 316
Coxendicum phyſiognomia. 110
Cruris alterutrius dolori incertus. 195
Crurum phyſiognomia. 110
Craſſus à Deiotaro ſalſe deluditur. 341

Creationis hominis quinam fuerit finis.
Crocodili curatio. 39
Cuniculi ſimiis chari. 59

D.

Dantis mariti ſtulta perſuaſio. 104
Deformitatis friuola μορφὴ. 325
Delphinorum φιλανθρωπία. 57
Dementis hieroglyphicum. 68
Dimiſsio quomodo attemperanda. 354
Deo ridiculo conſecratum altare. 11
Deriſores qui. 342
Dicaces qui. 342
Deſcriptio Bohemiæ. 250.251
Digitorum phyſiognomia. 209
Diſcendi deſiderium indefatigatum. 6
Diſsimulatores qui. 350
Diſsimulatores perniciosiſsimi. 350
Diſsimulatio prudens quæ. 354
Diſsimulatio irritatoria quæ. 355
Diſsimulatio Catonis quænam. 355
De Doctore, ſimplici & aucupo. 202
Domus ſtructura. Vide Ædificium.

E.

Ecceitates quæ dicantur. 148
Embrionis hieroglyphica ſignificatio. 66
Efformatoria ars quæ. 31
Embryonis in vtero materno formatio. 74
Eua cur creata & conſociata Adamo. 25
Elephanteum ſolertia. 37.38
Epiſcoporum conſideratio. 154
Equi cauda abſciſſa, aſellis labia vt abſcindentur, cauſatrix fuit. 332
Equorum infelicitas. 139
Eraſmi Roterodami grauis ad deſiſtendum a litibus cõmonefactio. 358.359
Eraſmi Roterodami cum ſummo Pontifice colloquium. 155
Europæ deſcriptio. 248
Eutychi Sabini inopinata fortunæ affulſio. 169.170
Exhalationes tres in corpore humano humida. 7

F.

Fabij Maximi prudentia in reconciliando hoſte clandeſtino. 310
Faceta reginæ reſponſio ad concupitum à legato petita. 197
Facetia in ſenem deſipientem. ibid.
Facetiarum mediocritas quænam. 324
in Facetijs quæ obſeruanda. 323
Fallaces qui. 356
Fatui vera impune dicunt. 128
Fatui & ſapientis diuerſitas. 129
Fatui qui. 346
è Femore egreſsi liberi, quomodo intelligendum. 75
Filiorum matri inſidientium hieroglyphicum. 70
Fiſcellarij fiſcella. ibidem
Fletus Heracliti. 7
Florentini ciuis ſtulta credulitas. ibid.
Fœmina ex qua materia creata. 21. Ex qua coſta creata. 22. Vnde animam ſumpſerit. 23. Adã an ex rubra terra creatus. 21
Fœmina quomodo creata. 25

Fœminæ etymologia. 26
Fœmina an ſit monſtrum vel imperfectũ quippiam. 27
Fœmina an ad imaginem Dei creata. 29
Fœminarum ſtultitia. 133
Fœmineus ſexus à maſculo quomodo diſtinguatur. 26
Feneratoris cuiuſdam attentamentum hypocriticum. 351
Formicarum induſtria & labores. 35
Fortis viri hieroglyphicum. 69. 72
Fortuna nec mẽſuram nec modum retinet. 162
Fortuna quid. 159
Fortuna ad Deum referenda. 166
Fortunæ fauor & aduerſitas. 157. 158. 159. 160.
Fortunæ vires ampliſſimæ. 162
Fortunati quinam vere ſint. 163
Fortunatorum duplex genus. 169
Fortunatorum diuerſa genera. 163
Franconiæ deſcriptio. 254. 255. 256. 257. 258. 259.
Franconiæ ritus. 266. 267.
Fraxini vis contra ſerpentes. 60
Frontis phyſiognomia. 105
Furoris hieroglyphicum. 67

G.

Gallus Pythagoras. 140
Geniorum inimicitia quædam ab Ethnicis credita. 62
Germani ſudore diffluunt. 215
Germani admodum ſitiunt. 316
Gigantes an ſint monſtra. 78. 79. 80.
Gigantorum machia. 177
Gigantæa moles cuiuſdam virginis. 29
Graculi Epigramma in ...
Grammaticorum labores tædioſum. 316
Grammaticorum rigor erga pueros quomodo temperandus. 14. 333
Gratitudinis hieroglyphicum. 67
Gutturis phyſiognomia. 108

H.

Hannibalis cauillatio erga regem Antiochum. 310
Hannibalis erga Antiochum regem illuſio. 355. *Erga alios itidem.* ibid.
Heracliti fletus. 2
Hereditates fortuitæ. 161
Herculis ara ridicula. 12
Herinacei prudentia. 36
Hermaphroditi ſectio. 75
Hieroglyphica varij generis. 66. 67. 68. &c.
Hiſpania, Numidia, Perſia, Caldea, Arabia fœlix. 241
Hiſpani ſuperbientis & grandiloquentis lepida eluſio. 326
Homeri poema quomodo à D. Baſilio æſtimatum. 350
Homo belluarũ voces imitari poteſt. 43
Homo μικρόκοσμος. 47
Hominis fabricæ contemplatio ex Zoroaſtre. ibid.
Hominis ſtructura & creatio. 20
Hominis forma quæ. 2
Hominis figura celſa & erecta. 48
Hominis diuerſimode conſiderati hieroglyphica. 70. 71. 72. 73. 74.
Hominis formatio in vtero. 84. 85. 86. 87.
Hominis præſtantia ex Seneca & Lactãtio. 49. *Ex Plutarcho.* 51.

[illegible]am animalia. 52
Homini amici [illegible] creati. 24
Homines [illegible] primæuorum habitacula quæ-
Hom[illegible] ua. 17
Hominium mores atque inclinationes va-riant. 144
Hominum effigies ex imaginatione. 77
Hominum veſtitus. 33
Hoſpes à viatore egregie deluſus. 201
Hoſtis clandeſtini conciliatio quomodo promouenda. 310
Humerorum phyſiognomia. 109
Hungarorum mores, ſtudia, robur, victus & cætera omnia. 272.273.274.275. 276.277.
Hypocrita qui. 356

I.

Iactatores qui. 350
Ieiunium fictitium. 352
Ieiunij oſtentatio. ibid.
Ieiunatoris cuiuſdam fraus detecta. 351
Ignis, cœlum, impetus, quæ illis adiacent explicantur. 5. *cum ſequentibus.*
Iliorum phyſiognomia. 110
Imaginis Dei reſtauratio. 29 30. *Ad imaginem creata an fuerit mulier.* ibid.
Imagines. 88
Imaginationis vis ad effigiandum hominem. 77
Impoßibilitatis hieroglyphicum. 68
Impudentiæ hieroglyphicum. ibid.
Impudicitia cuiuſdam fœminæ obliquè taxata. 325
Indulgentia. 142
Inepti qui. 346
Infantia ſtultitia. 131
Ingenij humani debilitas. 41
Ingeniorum differentia. 172
Ingeniorum diuerſitas vnde. 305
Ingrati hieroglyphicum. 69
Inſania duplex. 129
Inſulæ nouæ ab Hiſpanis inuentæ. 247
Inſulſi qui. 346
Inſulſi quinam. 341
Interitus hieroglyphicum. 68
Inuectiuarum duo genera. 180
Inuidia quatenus viſui maximè confe-rat. 335
Ioci cur dicantur ſales. 311
Ioci Auguſti Cæſaris. 313.314.315.
Ioci apud potentes non carent periculo. 330. *Per iocum, Tarentini iuuenes elabuntur.* ibid.
Ioci frigidi & abſurdi qui. 337
Iocorum vſurpandorum ratio quæ. 308
Iocorum varia de varijs hiſtoria. 324
Io is non deb. us moleſtari miſeri. 330
In iocis Cicero nimium fuit diſſolutus. 311
In iocis quæ adhibenda mediocritas. 309
Iocantium retorſio mutua. 329
Iocandum non eſt in miſeros. 337
Iocandi varia genera, 321. *In iocis quæ obſeruanda.* 323
Iræ hieroglyphicum. 67
Iſaac quid denotet. 9
Italiæ diuiſio. 251
Italorum habitus & Romanorum ſtatu-ta. 252
Italiæ mores. 293
Itali quomodo ſibi amorem concilient. 302
Italorum mores in excipiendo Hoſpites. ibidem.
Fœminarum mores. 303

Italo-

Italorum victus, veſtitus, bella. 297. 298. 299.
Italorum ingenia amatoria. 300
Iudæorum ſtultè attentata exterminatio. 353
Iugurtham Micipſa rex grauiter ac ſerio commonefacit. 338
Iulia, Auguſti filiæ mores. 316
Iunius Brutus ſimulator & diſſimulator. 330
Iuriſconſulti dubia conſulunt eorum origo & prudentia eorum. 398. 400
Iuris doctrina an vitæ hominum ſit pernitioſa. 359
Iuriſconſulti cuiuſdam affectata deuotio. 351
Iuriſconſulti ſtulta vrbanitas. ibid.
Iuriſconſultorum officium in quo conſiſtat. 359. 360
Iureconſultorum labores. 147
Iuriſconſultorum arbitrio non omnia committenda. 394
Iuriſperiti etiam explicant decalogum. 314.
Iuriſprudentia tractat res leuiculas aliquando. 313
Iuuenis graues incuſationes quando euaſerit. 331
Iuuenes Tarentini per iocum elapſi. 330
Iuuentutis exercitamenta. 3. 5.

L.

Lacerta homini amicum animal. 52
Lacrymarum ortus phyſicus. 7
Lactiueri ſerpentes quomodo abigantur. 53.
Lana ſurrepta teſtimonium, lunæ ſurreptione eluditur. 355
Lapidicinarum inuentor quis. 18
Lappiæ ſitus. 244
Laterum phyſiognomia. 110
Laurentius Valla in omnes autores fuit contentioſus. 344
Laurentij Valla φιλαυτία. 354
Labrorum phyſiognomia. 106
Legum diſcrepantia. 402. & ſequentibus.
Laberij & Publij Mimigraphorum ſententiæ. 317
Leguleij qui. 138
Leporum calliditas. 36
Leſche confabulationum locus. 10. 11.
Libertas dictorum factorumque prudenter condonatur. 333
Librorum ſcriptores quodnam tandem pro labore præmium aucupentur. 146. 147
Lictoris vxor, vxorem coriarij egregiè ſubſannat. 329
Linguarum diuerſitas inter homines. 40
Ligna ſecans Philopæmenes ab hoſpite agnoſcitur. 336
Litigatoris importuni eluſio faceta. 326
Litigioſi qui. 145
Lituania regio. 278
Liuonia. 279
Loci & ſales. ibid.
Lœdoria quid. 310
Logici in quibus maxime deſudent. 147
Luciani encomion. 4. 5
Lumborum phyſiognomia. 109
Luſciniarum ſermocinatio. 40

Homini amica ... animalia. 52
Homines ... cur creati. 24
Ho... primæuorum habitacula qualia. 17
Hominum mores atque inclinationes variant. 144
Hominum effigies ex imaginatione. 77
Hominum veſtitus. 33
Hoſpes à viatore egregie deluſus. 201
Hoſtis clandeſtini conciliatio quomodo promouenda. 310
Humerorum phyſiognomia. 109
Hungarorum mores, ſtudia, robur, victus & cætera omnia. 272.273.274.275. 276.277.
Hypocrita qui. 356

I.

Iactatores qui. 350
Ieiunium fictitium. 352
Ieiunij oſtentatio. ibid.
Ieiunatoris cuiuſdam fraus detecta. 351
Ignis, cœlum, impetus, quæ illis adiacent explicantur. 5. cum ſequentibus.
Iliorum phyſiognomia. 110
Imaginis Dei reſtauratio. 29.30. Ad imaginem creata an fuerit mulier. ibid.
Imagines. 81
Imaginationis vis ad effigiandum hominem. 77
Impoſſibilitatis hieroglyphicum. 68
Impudentiæ hieroglyphicum. ibid.
Impudicitia cuiuſdam fœminæ obliquè taxata. 325
Indulgentia. 142
Inepti qui. 346
Infantiæ ſtultitia. 131
Ingenij humani debilitas. 41
Ingeniorum differentia. 172
Ingeniorum diuerſitas vnde. 305
Ingrati hieroglyphicum. 69
Inſania duplex. 129
Inſula noua ab Hiſpanis inuenta. 247
Inſulſi qui. 346
Inſulſi quinam. 341
Interitus hieroglyphicum. 68
Inuectiuarum duo genera. 180
Inuidia quatenus viſui maximè confetat. 335
Ioci cur dicantur ſales. 311
Ioci Auguſti Cæſaris. 313.314.315.
Ioci apud potentes non carent periculo. 330. Per iocum, Tarentini iuuenes elabuntur. ibid.
Ioci frigidi & abſurdi qui. 337
Iocorum vſurpandorum ratio quæ. 308
Iocorum varia de varijs hiſtoria. 324
Io is non deb. ... moleſtari miſeri. 330
In iocis Cicero nimium fuit diſſolutus. 311
In iocis quæ adhibenda mediocritas. 309
Iocantium retorſio mutua. 329
Iocandum non eſt in miſeros. 337
Iocandi varia genera, 321. In iocis quæ obſeruanda. 323
Iræ hieroglyphicum. 67
Iſaac quid denotet. 9
Italiæ diuiſio. 250
Italorum habitus & Romanorum ſtatura. 252
Italiæ mores. 293
Itali quomodo ſibi amorem concilient. 302
Italorum mores in excipiendo Hoſpites. ibidem.
Fœminarum mores. 303

Italo-

Italorum victus, veſtitus, bella. 297. 298. 299.
Italorum ingenia amatoria. 300
Iudæorum ſtultè attentata exterminatio. 353
Iugurtham Micipſa rex grauiter ac ſerio commonefacit. 338
Iulia, Auguſti filiæ mores. 316
Iunius Brutus ſimulator & diſſimulator. 330
Iuriſconſulti dubia conſulunt eorum origo & prudentia eorum. 398. 400
Iuris doctrina an vita hominum ſit pernitioſa. 359
Iuriſconſulti cuiuſdam affectata deuotio. 351
Iuriſconſulti ſtulta vrbanitas. ibid.
Iuriſconſultorum officium in quo conſiſtat. 359. 360
Iureconſultorum labores. 147
Iuriſconſultorum arbitrio non omnia committenda. 394
Iuriſperiti etiam explicant decalogum. 314.
Iuriſprudentia tractat res leuiculas aliquando. 313
Iuuenis graues incuſationes quando euaſerit. 331
Iuuenes Tarentini per iocum elapſi. 330
Iuuentutis exercitamenta. 3. 5.

L.

Lacerta homini amicum animal. 52
Lacrymarum ortus phyſicus. 7
Lactimori ſerpentes quomodo abigantur. 53.
Lana ſurrepta teſtimonium, lunæ ſurreptione eluditur. 355
Lapidicinarum inuentor quis. 18
Lappia ſitus. 244
Laterum phyſiognomia. 110
Laurentius Valla in omnes autores fuit contentioſus. 344
Laurentij Valla φιλαυτία. 354
Labrorum phyſiognomia. 106
Legum diſcrepantia. 402. & ſequentibus.
Laberij & Publij Mimigraphorum ſententia. 317
Leguleij qui. 138
Leporum calliditas. 36
Leſche confabulationum locus. 10. 11.
Libertas dictorum factorumque prudenter condonatur. 223
Librorum ſcriptores quodnam tandem pro labore præmium aucupentur. 146. 147
Lictoris vxor, vxorem coriarij egregiè ſubſannat. 329
Linguarum diuerſitas inter homines. 40
Ligna ſecans Philopœmenes ab hoſpite agnoſcitur. 326
Litigatoris importuni eluſio faceta. 326
Litigioſi qui. 145
Littuania regio. 278
Liuonia. 279
Loci & ſales. ibid.
Lœdoria quid. 310
Logici in quibus maxime deſudent. 147
Luciani encomion. 4. 5
Lumborum phyſiognomia. 109
Luſciniarum ſermocinatio. 40

M.

Magiſtelli ſtultus amor erga virginem. 201.
Mammillarum phyſiognomia. 108
Manuum phyſiognomia. 109
Manuum compleſio. ibidem
Marcus Licinius Craſſus agelaſtus. 8.
Mathematicorum praſtigia. 148
Matthiæ Coruini fortuna. 165
Medici nimia in monſtrandis paruis naturalibus induſtria. 87
Medicorum maximum eſſe numerum vnde probatum fuerit à faceto quodam. 332
Medicinæ vanitas. 139
Mediocritas quæ adhibenda in iocis. 309
Mediocritas amans qualis. 310
Melancholia cuiuſdam œnopolæ ridicula. 65
Melancholici Epitaphium. ibid.
Melancholice, orbis indigito. ibid.
Melancholicus ſibi mortuus viſus. 219
Melancholici naſus, rane rabete, bolici nates vitrei granum milij naues. 220.
Menti phyſiognomia. 106
Mentiri an liceat Reipublic. cauſa. 386.
Mendacium hominum mores atque ingenua. 349
Menippi è Luna proſpectus. 145
Mercatoris fœneratoris attentamentum illiberale. 351
Mercatorum fraudes ac falſitates. 357
Methe, temulentia Dea. 123
Miracula ſeptem mundi. 19
Miracula fictitia. 141
Miſeri non ſunt irridendi. 337
Mollities in iocis quomodo vſurpanda. 329
Momi qui. 344
Monachus à buffone quomodo liberatus. 57
Monachorum conſideratio. 152. 153
Monſtra quæ propriè dicantur. 80
Monſtroſa quædam in philoſophia vocabula. 148
Morio muſices amator. 215
Morionis repreſſa luxuria, puluinar quomodo ſe mortuum exiſtimet. 218
Moriones ex compoſita. ibidem. Paraſita. ibid.
Teſtamentum Cinici. 112
Morionum Conditio optima. 127
Mors è riſu Philemonis. 3
Moſcouia. 279
Mulier nuda. ibid.
Mulier. Vide Fœminæ.
Mulieris quæ virum oderit, hieroglyphicum. 70
Mulieris clamoſæ hiſtoria. 326
Mulierum ſtulta ſuperbia. 329
Muliercularum deluſiones falsè faceta. 333
Mundus hieroglyphicè quomodo efformetur. 66
Mundus an finiendus varia ſententia. lib. 2. f. 2. & ſequentibus.
Mundus an renouandus. 4
Mundum vitreum. 221
Murenæ cicuratio. 39
Muſici ſenis hieroglyphicum. 70

N.

Nationum communis φιλαυτία. 143
Naturæ Septentrionalium. ibid.
Naturalia nec turpia nec honeſta per ſe. 31.
Nebulonis ſalacis ſpurcities. 327
Negotiatorum ſordidum genus. 144
Nobilium altercatio ſuper inſignibus. 182.
Nobilitas generis aliquando prudenter diſſimulatur. 354
de Notario indocto. ibidem. Iudicis ſtulta in aduocatum inuectiua. 203
Notitiæ hieroglyphicum. 67
Nouercæ inſana erga priuignum ſtultitia. 195
Nuditas primorum parentum. 30
Nugatores quinam. 345

O.

Oculorum colores. 105
Oculorum phyſiognomia. 100. 101. 102. 103. 104.
Og regis proceritas. 28
Oratoris ſtulta verboſitas. ibidem
Oreſtis proceritas. 28
Orientalium & Occidentalium natura, iura, ingenium. 237. 238
Oris phyſiognomia. 106
Oſſiformes concretiones. 29
Ouillis pellibus primi parentes amicti. 32

P.

Palpebrarum phyſiognomia. 104
Paſſeris garritus ab Apollonio intellectus. 41. 42.
Patientiæ fructus inſignes. 334
Patris qui hereditatem iniquè diſparitur hieroglyphicum. 71
Peccati hieroglyphicum. 66
Pectoris phyſiognomia. 108
Pedum phyſiognomia. 110
Perdicum calliditas. 36
Peregre abeuntis hieroglyphicum. 70
Peritiæ hieroglyphicum. 67
Perſpectiua quid. 111. 112 113
Philopæmenis erga hoſpitem qui ipſum inuitarat, ipſiuſque hoſpitis facunda humanitas. 336
Philemonis è riſu mors. 3
Philoſophus ad idola confuſus. 207
Philoſophi rerum communium ſunt imperiti. 135
Philoſophorum φιλαυτία. 148
Philoſophorum oſtentatio. 352
Philoſophaſtri ſtultitia. 209
Phyſiognomia. 98. 100
Picæ Auguſtum Cæſarem ſalutarunt. 316
Piramides. 173
Plantaginis vis contra vena & venenatorum ictus. 37
Plauſtice quid. 120
Podagræ luſus. 335
Poetæ an ridiculi. 349
Poetarum nænia. 146
Polonorum mores, gens, ciuitates cum Pruſſia. 280. 281
Polonorum bella. 282
Sacerdotum habitus. 283
Pontificis Romani conſideratio. 154
Portij Catonis ad mortem vſque diſcendi deſiderium. 6

Potentum ioci admodum ſunt periculoſi. 330
Præſagiendi vis cur non in homine, vt in brutis. 43
Præſagiendi certitudo in brutis. 42
Prætoris & ſcabinorum ruralium ſtultitia. 204
Primorum parentum quæſita intelligentia. 31
Principis boni forma quæ. 155
Principum ma'orum ſtudia. 155
Proceritas primorum parentum. 28
Procuratoris litigioſi breuis hiſtoria. 344
Procuratorum & notariorum vituperiũ ibid. & ſeq.
Prognoſticorum ſtultitia. 148
Prouidentiæ diuinæ conſideratio. 54
Pſalterij verſus ſeptem S. Bernhardo patefacti. 142
Pſittaci Auguſtum Cæſarem ſalutarunt. 316
P. Luciani Vari in Scipionem ſarcaſmus. 341.
Publij & Laberij Mimigraphorum ſententia. 317
Puer è fabæ contritæ, polline ſtudiorum ergaſtula tranſgreditur. 356

Q.

Querimonia contra iuriſcon. qui Theologica pro arbitrio diſponere volunt. 389. 390. 391

R.

Rapacis hieroglyphicum. 69
Regis inſipientis hieroglyphicum. 72
Religio ficta. 352
Religioſorum diſſimulatio. 352
Remediorum notitia in brutis. 44
Ridere Athenienſibus olim in Academia non licuit. 6
Riſiſſe Chriſtum, nuſquam legitur. 9
Riſiſſe qui per integram vitam non ſunt viſi. 8
Ridiculo Deo conſecrata ara. 11
Riſus templa & ſimulacra. 10
Riſus Parmeniſci vnde. 8
Riſus Saræ. 9
Parmeniſci riſus vnde. 8
Riſus an ſemper leuitatis ſit argumentum. 12
Riſus iucunda varietas. 2. *Riſus Democriti. ibid. Sultani riſus.* 3. *E riſu mors.* ibi.
Democriti riſus qualis. 2
Riſus quomodo attemperandus. 8
Riſus olim peculiari ritu facta ſolennia. 11.
Ruſticitas quid & vnde. 345

S.

Sacrificia ridicula. 12
Sales cur ioci dicantur. 311
Salis mercurij & ſolis mumi. 175
Salacitatis ſalſa improperatio. 327
Salſi quinam. 341
Salſorum dictorum exempla quædam. 341
Saltantis hieroglyphicum. 68
Sapientum virorum infortunia. 158
Sara riſus. 9
Sarcaſmorum mutua recompenſatio. 331

Saxoniæ deſcriptio. 260.261.263.364
Scapularum phyſiognomia. 109
Scipio à P. Luciano Varo per ſarcaſmum deluſus. 341
Scommatum varia genera. 320.321.322
Scribæ hieroglyphicum. 69
Sculptoris requiſita. 88.89 90.91.92.93
Sculptores. 93
Sculptura. 88
Scuræ quinam vere ita dicantur. 342
Sententiæ memorabiles Laberij & Publij 317.318.319
Senis ſutoris promptum ad dicaculi cuiuſdam vexamen reſponſio. 328
Senis cuiuſdam liberis adaucti hiſtoria lepida. 328
Senis in tibia ſe exercentis hiſtoria. 327
Senis inedia euecti hieroglyphicus. 73
Senes à iuuene deluſi, ipſe viciſſim deluditur. 330
Senum mores & ingenia. 136
Senilis prudentia. 4
de Senectute fabula. 13
Serpentis & lacertæ odium mutuum. 52
Serpentes igni citius quam fraxino appropinquant. 60
Serpentes lactiuori quomodo abigantur. 53
Serpentes in os dormientis ſeſe conijcientes in ſtomachum ſeſe conuoluunt. 54
Simia teſtudinem horret. 57
Simiæ cuniculorum cuſtodes. 59
Simiarum ſolertia. 38.39
Simulachrum ligneum deforme, cauſa fuit aliquando riſus. 8
Simulationes ac diſſimulationes aulicæ quænam. 357
Simulatores qui. 350
Socratis ad mortem vſq; diſcendi deſiderium. 6
Spongia quid. 140
Sponſuli cuiuſdam iocularia. 324
Spurci qui. 343
Sputum facete alterius labris aſperſum. 334
Statua. 88
Statuarum ordines. 97
Statuarij. 93
Stentoris vox quam grandis fuerit. 148
Stiria. 284
Stirpium & aliarum rerum Sympathia & antipathia. 60
Stulta ſuperbia. 182
Stulta ſophiſtica. ibid.
Stultitia homini connata. 132
Stultitia accipitrariorum. 200
Stultitia quomodo ſupprimenda. 181
Sturni auis ridiculoſerium. 40
Subditorum exactiones comiter repreſſæ. 331
Subſurrones ſunt peſſimi nebulones. 339
Sueuiæ conditio ibid. 285.286
Sultani riſus magnum habuit momenti. 3
Superciliorum phyſiognomia. 104
Syderum contrarietas mutua. 61

T.

Taciturnitas. ibid.
Taciturnitatis hieroglyphicum. 68
Talorum phyſiognomia. 110
Tarentini iuuenes per iocū elapſi. 330

Tegularum inuentor quis. 18
Tergi phyſiognomia. 109
Teſtudmem ſimia cane prius & angue fugit. 57
Theocritus Chius apud Antigonũ regẽ ſui ipſius infortunij faber. 321
Theologorum quorundam ineptæ explicationes. 153
Theologorum quorundam importunitas 148.149.150.151.
Theutus quis fuiſſe dicatur. 138
Thraſanica gloriatio. 349
Tegurinorum proceſſ. in decidendis controuerſiis. 384
Titi Flaminij tecta ſcommata à Philopæmone inſigniter excipiuntur. 336
Tomice quid. 120
Tracia. 287

V.

Vagi qui. 145
Valachiæ conditiones bella & cætera. 289.
Venatorum vanitas. 140
Venenorum diſſidia. 61
Ventorum contrarietas mutua. 61
Ventris phyſiognomia. 110
Verboſi qui. 344
Veracis officium quodnam. 347
Verum quandoq; ſubticere an liceat. 348
Veritas patitur ſubinde naufragium. 128
Veritatis ſtudium maxime amplexandum. 347
Veſtitus primorum parentum. 32
Vetula hirciſſans. 137
Vetularum inſani amores. 136
Vexaminis mutui exempla. 328
Vigilantis hieroglyphicum. 68
Vini copia Melancholiam quomodo cieat. 65
Vini modice ſimul atq; immodice ſumpti effectus. 64
Virginum Mileſiarum inſania. ibi.
Virtutes circa ſermo non verſantes quæ. 174
Viſus quid conferat maxime. 334
Vitis & braßicæ antipathia; deq; hac fabuloſa narratio. 60
Vlnarum phyſiognomia. 109
Vnguium phyſiognomia. 109
Voluptatis hieroglyphicum. 67
Voces belluarum imitari homo poteſt. 43.
Vrſi formicas quomodo decipiant. 36
Vxoris vociferantis impetus à marito lepide defenditur. 325

X.

Xerxis ſtultitia. ibi.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

FINIS.

IHS